AUTHOR:

HARANT, ALEXANDER

TITLE:

EMENDATIONES ET ADNOTATIONES AD...

PLACE:

PARISIIS

DATE:

1880

Master Negative #
92-81126-2

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET


Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

 Harant, Alexander,
Emendationes et adnotationes ad Titum Livium, auctore Al. Harant. Parisiis, apud Eug. Belin, 1880.
310 p. 22½ cm.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 2-26-93 INITIALS Susan
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT






AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910


301/587-8202




Centimeter




Inches







MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.



EMENDATIONES

ET ADNOTATIONES

AD

TITUM LIVIUM

EMENDATIONES

ET ADNOTATIONES

AD

TITUM LIVIUM

AUCTORE

AL. HARANT



PARISIIS

APUD EUG. BELIN

VIA VAUGIRARD, 52

—

1880

Tout exemplaire de cet ouvrage non revêtu de ma griffe sera réputé contrefait.

Eug. Belin

SAINT-CLOUD. — IMPRIMERIE DE Mme V^e EUG. BELIN.

PRÆCIPUI CODICES

PRIMÆ DECADIS :

Wormatiensis, hodie desideratus, notisque tantum B. Rhenani (a. 1535) cognitus. Non plus sex primos libros habuisse videtur.

Mediceus (M), sive *Florentinus*, sec. XI, Florentiæ asservatus.

Colbertinus (C), sive *Parisinus*, sec. X, Parisiis asservatus.

His nuper accessit (1868) **Veronensis (V)**, palimpsestus antiquissimus, continens partes tantum librorum III, IV, V.

Multi præterea inferiores, ex quibus *Leidensis* et *Harleianus* haud spernendi.

TERTIÆ DECADIS :

Puteaneus (P), sec. VIII ineuntis, longe præstantissimus, Parisiis asservatus. Deest libri XXI pars prior, libri XXX posterior.

Mediceus (M), sec. XI.

Colbertinus (C), sec. X.

Ex codice *Spirensi*, hodie desiderato, nonnulla olim prompta sunt, quæ in nullis aliis comparuere (ut XXVI, capp. XLI, XLII, XLIII).

Multi præterea inferiores.

QUARTÆ DECADIS :

Moguntinus (Mog.), antiquus, hodie desideratus, notis Carbachii (1518) et Gelenii (1535) cognitus.

Bambergensis (B), et ipse antiquæ ætatis. Solus habet initium libri XXXIII (capp. I-XVII). Adhæsere extrema capita libri XXX. Deest liber XL et pars superioris.

Nonnulli præterea infimæ auctoritatis.

QUINTÆ DECADIS :

Unicus codex **Laurishamensis**, sive **Vindobonensis**, sec. VI aut VII, Vindobonæ asservatus, ex quo Grynæus a. 1531 quinque postremos Livii libros in lucem protulit.

LIBER I

Cap. III, 4. — **Codd., Edd.** : « Inter Lavinium et Albam Longam » deductam coloniam triginta ferme interfuere anni. » Verba *deductam coloniam* ad Albam solam pertinent. Lavinium nulla dici potest deducta esse colonia. Nam Troja deductam intelligi, nemo, opinor, contenderit. Destituto autem atque absolute posito nomine *Lavinium*, vix opus est monere temporis aliquam significationem ex illo elici non posse, non magis quam si dicas : « inter Lavinium et Æneam mortuum quinque interfuere anni. » Verisimile est excidisse aliquod verbum; quod quale fuerit, ipsa indicat sententia. Legendum reor : « Inter Lavinium *conditum* et Albam Longam » deductam coloniam triginta interfuere anni. » Forsitan ad omittendum verbum ansam dederit syllaba *um* bis repetita.

Cap. IV, 2. — **Edd.** : « Vi compressa Vestalis... » Quoniam codices ibi non habent *vi*, sed *ut*, videndum est ne ea correctio abhorreat a voce *culpæ*, quæ paulo post occurrit; mulieris enim vi compressæ culpa nulla est. Cautius editio Moguntina dubiam vocem omiserat.

Cap. IV, 5. — **Codd., Drak.** : « In proxima adluvie... pueros » exponunt. » Recentibus collibuit scribere *eluvie*, nimio licentius : quemadmodum enim dici debet *eluvie*, si fluvium respexeris, ita *adluvie*, si homines ad fluvium adeuntes. Gronovio quidem, etsi dubitanter ac confuse de hac re disputanti, morem gessisse videntur. Sed errasse Gronovium vel ex eo patet, quod, quum illum Columellæ locum (III, 11) attulisset : *valles quæ fluminum alluvie et inundationibus concreverint*, ibi quoque scribendum putavit *eluvie*; quasi, recepta ea emendatione, non simul scribendum fuerit

exundationibus : nam verba *alluvie* et *inundationibus* eodem utraque spectant, et respectu vallium, quas alluunt inundantque flumina, dicuntur.

CAP. VIII, 5. — **Codd., Weiss.** : « Adiciendæ multitudinis causa... » **Madv.** : *alliciendæ*. Eodem haud dubie sensu in eadem re Livius paulo infra dicit *conciendo ad se multitudinem;* unde apparet sententiæ Madvigium melius consuluisse. Verum ex *adiciendæ* fieri debebat *adciendæ*, non *alliciendæ*.

CAP. XII, 3. — **Vulg.** : « Romana inclinatur acies, fusaque est » ad veterem portam Palatii. Romulus et ipse turba fugientium ac- » tus... » Mutata interpunctione Madvigius ad incommodiorem orationis formam confugit (*Romana inclinatur acies fusaque est. Ad veterem portam Palatii Romulus*...), quia, inquit, *fusum ad portam* non est *fusum alibi fugere ad portam*. Ibi errat : meminisse debuit a se ipso hæc retenta esse, II, XLIX, 12 : *Ita fusi retro ad saxa Rubra* (*ibi castra habebant*) *pacem supplices petunt*.

CAP. XVII, 1. — **Madv.** : « Patrum interim animos certamen » regni ac cupido versabat; necdum ad singulos... pervenerat; fac- » tionibus inter ordines certabatur. » Ibi Madvigius duas voces, auctore Grævio, mutavit; nam codices habent *a singulis*. Drak. et Weiss. longius etiam discesserant. Verisimile est in antiquis libris fuisse *pvenerat*, ita ut ne in una quidem littera, sed in una lineola olim erratum sit. Scribendum est : « Necdum a singulis... provene- » rat... » i. e. ortum erat id certamen regni.

CAP. XVII, 9. — **Codd., Edd.** : « Decreverunt (Patres) ut, » quum populus regem jussisset, id sic ratum esset, si Patres auc- » tores fierent. Hodie quoque in legibus magistratibusque rogandis » usurpatur idem jus, vi adempta : priusquam populus suffragium » ineat, in incertum comitiorum eventum Patres auctores fiunt. » Apud Drakenborchium perlustret, cui libuerit, omnia quæ viri docti, duodecim haud minus, disseruerunt de his verbis *vi adempta*; quibus, ut fit in tali dissensione, nihil aliud quam spissiores tenebras offudere. Hæc recentiores tacite reliquerunt. Forsitan aliquem sensum sibi visi sint in eis invenisse; ego nullum omnino. Nec vero quærere operæ est, quum nullum esse posse cetera sententia apertissime demonstret. Quid enim ait Livius? Olim populum priorem jussisse, Patres deinde auctores fuisse; nunc Patres priores auctores esse, populum deinde jubere; hoc idem jus esse. Immo vero jus prorsus dissimile, nisi aliquid adjicias, quo significetur, ipsam

quidem rem permansisse, partium vero vicem mutatam esse. Si cetera sana sunt, is sensus esse debet verborum, quæ sub corruptis verbis *vi adempta* latent. Itaque Livium scripsisse reor *vice dempta*. Cur autem eam vicem dixerit *demptam*, non *mutatam*, illam fuisse causam crediderim, quod *usurpatur* hic idem valet quod *retinetur* : demitur autem quod non retinetur.

CAP. XX, 7. — **Codd., Edd.** : « ...quæque prodigia... susciperentur » atque curarentur. » Nondum obtemperatum est Gronovio monenti prodigia non curari, sed procurari (quod quidem verbum unus deteriorum codicum, fortasse ex emendatione, præfert). Quod si ideo ab Livii et ceterorum usu descitum est, quia audacior visa est plurium litterarum mutatio, attendi velim quam parum dissimilia sint *atqcurarentur* et *acpcurarentur* (h. e. *ac procurarentur*).

CAP. XXI, 3. — **Vulg.** : « Quo quia se persæpe Numa sine arbi- » tris, velut ad congressum deæ, inferebat, Camenis eum locum » sacravit, quod earum ibi concilia cum conjuge sua Egeria essent. » Et soli Fidei sollemne instituit. » **Madv.** : [*soli*]. Vocem *soli*, adhuc non intellectam, multi pro corrupta habuere, atque alii alia conjecere. Eam, opinor, tentare supersedissent, nisi Nannii emendatio, jamdudum male recepta, fucum fecisset. Codices enim habent *sibi*, non *ibi*. Legendum, ne una quidem littera mutata : « ...quod earum » sibi concilia cum conjuge sua Egeria essent, et soli. Fidei sollemne » instituit. » h. e. quod earum sibi concilia essent, aut comitem Egeriam habenti aut soli. Nota res est *sibi cum Egeria* idem esse quod *sibi Egeriæque*. Errat Drak., quum contendit, nisi legatur *ibi* pro *sibi*, non apparitur esse, cur hunc lucum potius quam quemvis alium Camenis sacraverit Numa : non enim quæritur, cur hunc lucum potissimum, sed cur Camenis potissimum; cujus ipsius rei causa hic affertur.

CAP. XXVII, 8. — **Weiss., Madv.** : « Item imperat, ut hastas » equites erigerent. » (**M 1** : *idem... erigere erigerent jubeat.* **C** : *idem... erigerent jubeat.*) Qui ita scripsere, haud dubie verba *erigere jubeat* pro glossemate habuerunt. Verum ita tantum rejici, quasi insiticia, codicum verba licet, dum ne, detractis iis, manca et obscura fiat oratio. Nonne autem ibi Tullus sic imperat, tanquam totus equitatus Romanus adsit, totus accurrerit, defectionem Albanorum nuntiaturus? Certe, postquam patet unum modo equitem accurrisse, ceteros loco suo stetisse, credas ab iis vel ex longinquo Tullum audiri potuisse ipsisque imperasse. Qui error ne legenti

injiciatur, necesse est appareat id imperium per eundem, qui venerat, nuntium referri. Itaque repetendæ videntur voces immerito damnatæ, et, recepta levi Gronovii emendatione, scribendum : « Ei- » dem imperat, ut hastas equites erigere jubeat. » Cf. III, xxviii, 1.

Cap. XXXIV, 4. — **Recc.** : « Tanaquil, summo loco nata, et quæ » haud facile iis, in quibus nata erat, humiliora sineret ea, quo » innupsisset. » **Drak.** (Gron.) : « ... ea, quæ innupsisset. » Codices nec *quo*, nec *quæ* habent, sed *cum*. Forte *ea, cujus innupsisset.*

Cap. XXXIX, 1. — **Vulg.** : « Eo tempore in regia prodigium visu » eventuque mirabile fuit. Puero dormienti, cui Ser. Tullio nomen » fuit, caput arsisse ferunt. » Codices habent *visum*, non *visu*. Quod quum Weissenbornius recepisset, « quasi, inquit Madvigius, eo tem- » pore eventu mirabile fuerit prodigium. « Responderi poterat: » » quasi ad utrumque verbum pertinere temporis significationem ne- » cesse sit, non ad unum verbum *visum* (*est*) eam referri liceat. » Non quod Weissenbornii lectionem per se comprobandam putem; sed aliud latet. Tres codices, in quibus **C**, omisere has quinque voces *puero dormienti cui Ser. Tullio*; præterea in quibusdam, pro *nomen*, scriptum est *omen*. Ex hoc duplici indicio jam vera scriptura conjectari posset, nisi eam plane ostenderent codices duo (**Voss. 1**, **Leid.** 2), ubi legitur : *Eo tempore in regia prodigium visum, eventuque mirabile fuit omen. Puero dormienti, cui Ser. Tullio nomen fuit, caput arsisse ferunt.* h. e. eventus postea docuit id prodigium fuisse omen mirabile. Sic et deprehenditur causa negligentiæ quorumdam librariorum, qui a voce *omen* ad vocem *nomen* aberraverunt, et tollitur alia, etsi levis, Livio imputata negligentia : invenustum enim fuerat bis in tam brevi spatio per idem verbum *fuit* orationis membra desinere.

Cap. XLII, 2. — **Edd.** : « Nec rupit tamen (Tullius) fati necessi- » tatem humanis consiliis, quin invidia regni etiam inter domesticos » infida omnia atque infesta faceret. Peropportune ad præsentis » quietem status bellum cum Veientibus... sumptum. » In priore parte suspicionem movet et paulo impeditius dicendi genus (*nec rupit... quin invidia faceret*), et quod a codicibus discessum est (**M** : *consiliis qui cum in invidia.* **C** : *consiliis qui cum invidia*). Posteriorem deinde si ipsam consideres, non sine admiratione ibi legitur quieti opportunum bellum esse. Quod ita tantum ferri potest, si de domestica unius Tullii quiete agi appareat. Itaque ad id declarandum jungi oportet quæ male distracta sunt, et

scribi : « Nec rupit tamen fati necessitatem humanis consiliis. » Cui quum invidia regni... faceret, peropportune ad præsentis... » Vox *cui* non ad unum modo verbum *faceret*, sed ad ceteram quoque periodum pertinet.

Cap. XLV, 3. — **Codd.**, **Vulg.** : « Uni se ex Sabinis fors dare » visa est... imperii recuperandi. » Latine dici posse *fors imperii recuperandi*, immo et *fors se dedit*, haud facile quisquam affirmaverit. Suspicor ego, pro *se*, legendum esse *spē* (*spem*).

Cap. LVIII, 5 (ubi Sex. Tarquinius Lucretiæ non mortem modo, sed etiam sordidi adulterii dedecus minatur)... — **Vulg.** : « Quo ter- » rore quum vicisset obstinatam pudicitiam velut victrix libido, pro- » fectusque inde Tarquinius...esset... » « Inanes voces *velut victrix* Hertzius tollendas censuit, Madvigius mutavit in hunc modum : *vel vi victrix*, addita hac enarrationne : « Libido, quæ vel sola vi, ne » adhibito quidem illo terrore et dedecoris minis, vincebat supe- » riorque erat. » Ea emendatio mihi, quum parum latina, tum ab recta sententia abhorrens videtur. Etenim hæc libido non erat vi victrix, sed tantum futura erat, si vim Tarquinius adhibuisset : illud imperfectum indicativum, quod subest, etiam si non ponitur, nequaquam eo, quo vult, sensu intelligi potest, nisi adjecta condicione, qua illustretur. Deinde quale hoc genus est gradationis ? Intelligerem, si diceres hominem vi vicisse, qui vel minis vincere potuisset; sed nunquam auditum est : « Vicit vi, nedum minas adhiberet. » Nisi fallor, illud, quod quæritur, ipsa Livii narratio suggerit, si attendere voluerimus quo potissimum adjectivo uti soleat, in hoc Tarquinii facinore notando. Vide quattuor infra versibus *rem atrocem incidisse*, et cap. seq. § 7 : *Nec minorem motum animorum Romæ tam atrox res facit.* Verisimile est hic quoque legendum esse : « Quo terrore quum vicisset obstinatam pudicitiam, velut vi, » atrox libido, profectusque inde Tarquinius... esset » h. e. hic terror æque valuit, ac si vis ipsa adhibita esset.

Cap. LIX, 1. — **Recc.** : « Juro... me L. Tarquinium Superbum... » ferro, igni, quacunque denique vi possim, exacturum... » Codices non *exacturum* habent, sed *exsecuturum*, quod Drak. male retinuerat. Illud *ferro, igni... exacturum* parum apte dictum videtur, pro eo, quod significatum volunt, *me ferrum, ignem omniaque arma advocaturum adversus Tarquinium, donec is exigatur*. Qui se spondet aliquid exacturum, quid refert quibus armis exacturus sit ? Omne pondus, omnem vim orationis sibi vindicare debebant verba *igni*,

ferro ceteraque, quibus ira et conatus hostilis denuntiatur; quæ vis in diversum male avertitur, dum eam, nisi totam, certe magna ex parte ad se trahit verbum *exacturum*. Nec præcedentia modo corrumpit id verbum, sed ipsum, postquam ad sequentia ventum est, tunc abundare videtur : quid enim attulit, quod non insit et in verbis *nec Romæ regnare passurum* ? Proinde verbum aliud, vocibus *ferro, igni* convenientius, exspectabatur, qualia sunt *exagitare, sequi, persequi;* et id monet Vergilius, eandem, de qua hic agitur, sententiam sic elocutus (*Æn.*, IV, 626) : *Qui face Dardanios ferroque sequare colonos*. Legendum igitur *persecuturum*. Quum littera *p* forte excidisset, *ersecuturum* temere a librariis mutatum est in *exsecuturum*.

LIBER II

CAP. V, 4. — Pro *ut tam eminens* rectius scriberetur *ut tandem eminens*. Sæpissime confunduntur *tam̄* (i. e. *tamen*) et *tandem*.

CAP. XII, 3. — **Codd., Edd.** : « ... itaque magno audacique » facinore eam indignitatem vindicandam ratus (Mucius)... » Illud *itaque*, incommodissime in media periodo interjectum, frustra tueri conatus est Gronovius, jure Madvigius uncis inclusit. Sed, quod subest, fere prodit ipsa sententia, quæ sic habet : quum in eo esset Romana res, ut vix servari posse videretur, saltem ejus cladem ulcisci Mucius statuit. Scribendum igitur *utique*.

CAP. XII, 15 (Verba Mucii ad Porsennam).—**Recc.** : « Quando » quidem, inquit, est apud te virtuti honos, ut beneficio tuleris a » me quod minis nequisti, trecenti conjuravimus... » Priores, quum sententiam verbo *nequisti* terminarent, vocem *ut* accepisse videntur pro *quasi*; prave, nam de beneficio Porsennæ non erat quod dubitaretur. Nunc mutata interpunctione, interpretari videlicet jubemur *ut tuleris* eodem sensu quo *ut feras*; qui perfecti conjunctivi usus inventusne sit apud ullum bonum Latinitatis auctorem, nescio; apud Livium certe frustra, ut opinor, quæras; nec aliud quicquam ex illo *ut tuleris* exprimi potest, nisi *fac tuleris*, qui sensus ab hoc loco alienus est. Præterea, hoc quidem vult Mucius : « Quoniam virtutem honoravisti, mercedem a me feres »; illud autem significatur : « Quoniam virtutem honoravisti, trecenti » conjuravimus. » Non inscius sum per ellipsin subindicari *scito trecentos nos conjuravisse*. Quorsum autem istæ ambages? Verius est, eam propositionem, quæ propter sententiæ gravitatem primaria esse debet, non inter secundarias rejici, id est, gratiæ

referendæ significationem (*mercedem a me feres*) non perplexe et accessionis instar, sed diserte et aperta affirmatione poni, ut cum ea ipsa directo conjungatur causa referendæ gratiæ (*quoniam virtutem honoravisti*). Legendum igitur : « Quando quidem... est » apud te virtuti honos, id beneficio tuleris a me, quod minis ne» quisti : trecenti conjuravimus. » Atque ita jam præfert unus deteriorum codd., **Voss.** 2.

Cap. XIII, 2. — **Codd., Vulg.** : « Adeo moverat eum (Porsennam) primi periculi casus, quo nihil se præter errorem insi» diatoris texisset,... ut pacis condiciones ultro ferret Romanis. » In ea lectione, pronomen *quo* referendum est ad nomen *casus,* ut sit *per quem casum*. Hoc multis, nec injuria, displicuit; Heumannus conjecerat *a quo* (scil. *periculo*). Probabilior, præterquam lenior, emendatio ex ipso sententiæ vitio colligi potest. Quis enim est hic, de quo agitur, casus (i. e. fortuita res)? Nempe nihil Porsennam texisse præter errorem insidiatoris. Mire igitur dicitur ea res casu accidere, quæ nihil aliud est quam ille ipse casus. Ut recte se haberet sententia, quoniam pronomen *se* ostendit eam cogitationem Porsennæ ipsius esse, casum secum reputantis, dicendum erat : « Moverat eum is casus, nihil se texisse... » Et id ipsum, etsi alio modo, scripsit Livius; una enim addita littera, legendum est : « Adeo moverat eum primi periculi casus, quod nihil se... » texisset...» Per conjunctivam particulam *quod* adjecta est explicatio vocis *casus*.

Cap. XVI, 4.— **Codd., Edd.** : « Quum pacis ipse auctor a tur» batoribus belli premeretur. » Belli turbator ille est, qui bellum turbat. Ferantur sane inepta, dum ne perversa eadem sententiæque prorsus contraria sint. Miror ego emendationem *ab auctoribus* primum negligenter a Gronovio et quasi verbo tenus jactam esse, deinde ab omnibus spretam. Etsi *abauc* multum differt ab *aturba,* tamen, si totidem fere litterarum lineas utrinque esse animadverteris, non fortior ea medela videbitur, quam quas alii suaserunt, ut pro *belli* scriberetur *vulgi* vel *rei publicæ*. Sed liberum nobis in eligendo arbitrium vix permittitur, quum ita, ut dixi, legi debere evincant ea, quæ præcessere, *inter belli pacisque auctores*.

Cap. XVIII, 3 (postquam dictum est curam Romanis incessisse, ne Sabini rebellarent). — **Codd., Drak.** : « Supra belli Latini metum » id quoque accesserat, quod triginta jam conjurasse populos, conci» tante Octavio Mamilio, satis constabat. » Admonente Dukero nusquam eo sensu apud Livium *supra* usurpari, Madvigius reposuit *super*. Præterea contendit debuisse scribi, non *Latini*, sed *Sabini,* id quod, jam a Weissenbornio receptum, ipse ideo tantum fatetur se non recepisse, ne male occultaretur Livii error : nam de Livii errore, consentientibus codicibus, dubitari posse negat. Fac igitur erraverit ibi Livius, et scribendum fuerit *Sabini,* unde sciam illos triginta populos, quorum statim post mentio fit, Latinos esse? Sabinos autem intelligi, nec eorum numerus nec Mamilii nomen patitur. Ergo bis errasse Livius putandus est, primum mutato *Sabini,* deinde omisso *Latinos*. Immo bis errasse parum fuit : accessisse quidem videmus aliquid; ad quid autem accessisse? nam latine dici solet *accedere ad,* non *accedere super*. Viden' quot remediis opus sit Livium culpanti? At defendenti unum satis est. Potest una vox *supra* pro corrupta haberi, ita tamen ut ex ea duplex mendum ortum sit. Arbitror ego pro *supra* legendum esse *sup'ea* (h. e. *super ea*. Cf. II, xxvii, 10 : *super hæc timor incessit Sabini belli*), et post *ea*, propter ultimam litteram *a,* excidisse *ad.* Plana omnia erunt legenti : « Super ea ad belli Latini metum id » quoque accesserat, quod... » h. e. super eam curam de rebellione Sabinorum, non modo Latini belli metus erat, sed etiam triginta populos conjurasse satis constabat. Nec mirum est memorari, tanquam rem a Romanis exspectatam, Latinum bellum, postquam proximum biennium totum adversus Pomætiam, coloniam Latinam, bellaverant, neque ulladum pax intervenerat, sed maxime postquam Tarquinius, duplicis Etrusci belli jam ante concitor, nuper ad Latinos apud illum ipsum Mamilium, generum suum, confugerat.

Cap. XXI, 4. — **Codd., Drak.** : « Tanti errores implicant tem» porum..., ut, nec qui consules secundum quosdam, nec quid » quoque anno actum sit,... digerere possis. » Videre recentiores *secundum quosdam* ineptum esse, et, quum de consulum serie agatur, intelligendum esse *secundum quos,* i. e. *post quos,* utrisque relativis *qui* et *quos* interrogative positis. Itaque syllabam *dam* Weiss. uncis inclusit, Madvigius expunxit. Ceterum ne sic quidem sanatur oratio : nullo enim alio post *qui consules* occurrente verbo, nisi *actum sit,* necesse est conjungi *qui consules acti sint,* absurde. Inde colligendum est syllabam *dam* non fortuito additamento irrepsisse, sed id, quod sententiæ deest, sub ea latere. Legerim

referendæ significationem (*mercedem a me feres*) non perplexe et accessionis instar, sed diserte et aperta affirmatione poni, ut cum ea ipsa directo conjungatur causa referendæ gratiæ (*quoniam virtutem honoravisti*). Legendum igitur : « Quando quidem... est » apud te virtuti honos, id beneficio tuleris a me, quod minis ne» quisti : trecenti conjuravimus. » Atque ita jam præfert unus deteriorum codd., **Voss.** 2.

Cap. XIII, 2. — **Codd.**, **Vulg.** : « Adeo moverat eum (Porsennam) primi periculi casus, quo nihil se præter errorem insi» diatoris texisset,... ut pacis condiciones ultro ferret Romanis. » In ea lectione, pronomen *quo* referendum est ad nomen *casus*, ut sit *per quem casum*. Hoc multis, nec injuria, displicuit; Heumannus conjecerat *a quo* (scil. *periculo*). Probabilior, præterquam lenior, emendatio ex ipso sententiæ vitio colligi potest. Quis enim est hic, de quo agitur, casus (i. e. fortuita res)? Nempe nihil Porsennam texisse præter errorem insidiatoris. Mire igitur dicitur ea res casu accidere, quæ nihil aliud est quam ille ipse casus. Ut recte se haberet sententia, quoniam pronomen *se* ostendit eam cogitationem Porsennæ ipsius esse, casum secum reputantis, dicendum erat : « Moverat eum is casus, nihil se texisse... » Et id ipsum, etsi alio modo, scripsit Livius; una enim addita littera, legendum est : « Adeo moverat eum primi periculi casus, quod nihil se... » texisset...» Per conjunctivam particulam *quod* adjecta est explicatio vocis *casus*.

Cap. XVI, 4.— **Codd.**, **Edd.** : « Quum pacis ipse auctor a tur» batoribus belli premeretur. » Belli turbator ille est, qui bellum turbat. Ferantur sane inepta, dum ne perversa eadem sententiæque prorsus contraria sint. Miror ego emendationem *ab auctoribus* primum negligenter a Gronovio et quasi verbo tenus jactam esse, deinde ab omnibus spretam. Etsi *abauc* multum differt ab *aturba*, tamen, si totidem fere litterarum lineas utrinque esse animadverteris, non fortior ea medela videbitur, quam quas alii suaserunt, ut pro *belli* scriberetur *vulgi* vel *rei publicæ*. Sed liberum nobis in eligendo arbitrium vix permittitur, quum ita, ut dixi, legi debere evincant ea, quæ præcessere, *inter belli pacisque auctores*.

Cap. XVIII, 3 (postquam dictum est curam Romanis incessisse, ne Sabini rebellarent). — **Codd.**, **Drak.** : « Supra belli Latini metum » id quoque accesserat, quod triginta jam conjurasse populos, conci» tante Octavio Mamilio, satis constabat. » Admonente Dukero nusquam eo sensu apud Livium *supra* usurpari, Madvigius reposuit *super*. Præterea contendit debuisse scribi, non *Latini*, sed *Sabini*, id quod, jam a Weissenbornio receptum, ipse ideo tantum fatetur se non recepisse, ne male occultaretur Livii error : nam de Livii errore, consentientibus codicibus, dubitari posse negat. Fac igitur erraverit ibi Livius, et scribendum fuerit *Sabini*, unde sciam illos triginta populos, quorum statim post mentio fit, Latinos esse? Sabinos autem intelligi, nec eorum numerus nec Mamilii nomen patitur. Ergo bis errasse Livius putandus est, primum mutato *Sabini*, deinde omisso *Latinos*. Immo bis errasse parum fuit : accessisse quidem videmus aliquid; ad quid autem accessisse ? nam latine dici solet *accedere ad*, non *accedere super*. Viden' quot remediis opus sit Livium culpanti ? At defendenti unum satis est. Potest una vox *supra* pro corrupta haberi, ita tamen ut ex ea duplex mendum ortum sit. Arbitror ego pro *supra* legendum esse *sup*ʾ*ea* (h. e. *super ea*. Cf. II, xxvii, 10 : *super hæc timor incessit Sabini belli*), et post *ea*, propter ultimam litteram *a*, excidisse *ad*. Plana omnia erunt legenti : « Super ea ad belli Latini metum id » quoque accesserat, quod... » h. e. super eam curam de rebellione Sabinorum, non modo Latini belli metus erat, sed etiam triginta populos conjurasse satis constabat. Nec mirum est memorari, tanquam rem a Romanis exspectatam, Latinum bellum, postquam proximum biennium totum adversus Pomætiam, coloniam Latinam, bellaverant, neque ulladum pax intervenerat, sed maxime postquam Tarquinius, duplicis Etrusci belli jam ante concitor, nuper ad Latinos apud illum ipsum Mamilium, generum suum, confugerat.

Cap. XXI, 4. — **Codd.**, **Drak.** : « Tanti errores implicant tem» porum..., ut, nec qui consules secundum quosdam, nec quid » quoque anno actum sit,... digerere possis. » Videre recentiores *secundum quosdam* ineptum esse, et, quum de consulum serie agatur, intelligendum esse *secundum quos*, i. e. *post quos*, utrisque relativis *qui* et *quos* interrogative positis. Itaque syllabam *dam* Weiss. uncis inclusit, Madvigius expunxit. Ceterum ne sic quidem sanatur oratio : nullo enim alio post *qui consules* occurrente verbo, nisi *actum sit*, necesse est conjungi *qui consules acti sint*, absurde. Inde colligendum est syllabam *dam* non fortuito additamento irrepsisse, sed id, quod sententiæ deest, sub ea latere. Legerim

ego : « ... nec qui consules secundum quos facti, nec quid quo» que anno actum sit... », ut post *facti* audiatur *sint,* ex sequenti *sit*.

Cap. XXIII, 11. (Quum nexi ob æs alienum, quibus maxime militia perniciei fuerat, se in publicum proripuissent, et multitudinem concitassent, consules intervenere.) — **Codd.** : « At in eos mul» titudo versa ostentare vincula sua deformitatemque aliam. Hæc » se meritos dicere, exprobrantes suam quisque alius alibi mili» tiam. » Requirit sensus aut interrogationem *hæcine se meritos*, aut ironiam *hæc scilicet se meritos;* sin minus, ea verba sunt hominum vere se incusantium. Quum igitur respexissem ad hujus capitis § 2 : « *Fremebant tutiorem in bello quam in pace libertatem plebis* » *esse* », succurrerat pro *hæc* legi posse *pacĕ,* hoc modo : « ... de» formitatemque. Aliam pacem se meritos dicere... » h. e. aliam in pace sortem. Sed monuit doctissimus vir Thurot, cujus consiliis uti mihi non semel contigit, multo minore conatu hæc sanari, si scribatur *emeritos*; facile *e* post *se* excidere potuisse. Atque id verum existimo : namque aliud est *meritos,* aliud *emeritos,* i. e. hanc se mercedem stipendiorum consecutos.

Cap. XXIV, 4. — Quum propter æs alienum debitorumque miserias immineret seditio, deque ea re Patres in curia, circumstante irata multitudine, deliberarent, repente allatum est Volscos infesto exercitu adventare. Consul Servilius in contionem prodit, hortaturque plebem, ut moram patiatur, neve militiam detrectet. **Codd., Drak.** : « Ibi curæ esse Patribus ostendit, ut consulatur » plebi; ceterum deliberationi de maxima quidem illa, sed tamen » parte civitatis, metum pro universa re publica intervenisse; nec » posse, quum hostes prope ad portas essent, bello prævertisse » quidquam : nec, si sit laxamenti aliquid, aut plebi honestum esse, » nisi mercede prius accepta, arma pro patria non cepisse ; neque » Patribus satis decorum, per metum potius, quam postmodo » voluntate, adflictis civium suorum fortunis consuluisse. » Ibi tria offendunt. Primo corruptum esse verbum *prævertisse* patet; pro quo Madvigius, ex conjectura Hertzii, substituit *præverti* (præponi); Weiss. *præverti se* (præponere se), activo significatu rariore. Præterea jam diu notatum est illud *aut... neque*, aliis aliter vocatum, sive solœcismum, sive anacoluthon maluerunt. Denique non minus suspectus esse debuerat, etsi adhuc non sollicitatus, universæ sententiæ ordo. Postquam enim dictum est, illud, quod

postuletur, fieri non posse, frigidissime additur post in eadem verborum comprehensione, idem, si fieri liceat, indecorum fore : altera hæc sententia, in qua multo minor vis inest, saltem prior ponenda erat; posteriore loco ita tantum ferenda est, si separata prodit et quasi per accessionem. Itaque legendum videtur : « ... nec posse, quum hostes prope ad portas essent, bello præverti » a se quicquam. Vel si sit laxamenti aliquid, haud plebi ho» nestum esse, nisi mercede prius accepta, arma pro patria non » cepisse, neque Patribus... » (Jam **Harl.** 2 : *haud.*)

Cap. XXXIII, 7. — **Codd.** : « Per patentem portam (Corio» lorum Cn. Marcius) ferox irrupit, cædeque in proxima urbis » facta, ignem temere abreptum imminentibus muro ædificiis » injecit. » Multum circa verba *in proxima urbis* laboratum est. Fuere qui ferenda censerent; quidam suaserunt *urbe*. Weiss. ex vetustis editionibus retraxit *proximo;* Madvigio placuit sic transponi : *irrupit in proxima urbis cædeque facta...* His ego conatibus nihil profectum esse, immo nihil profici potuisse reor, ut cui longe corruptior videatur codicum scriptura, quam aliis visa est. Mihi enim certissimum, maxime apud Livium, vitii indicium est vox *que* subjecta litteræ *e* brevi (*cædeque*); cujus rei ullum exemplum, quod quidem ipsius Livii sit, proferri posse nego. Unum modo in ejus libro invenias, quod in controversiam non cadat (VIII, ix, 7), sed ex antiqua precationis formula sumptum, non ex proprio Livii sermone. Nec Livium modo, sed etiam optimum quemque Latinitatis auctorem, id pro mendo habuisse, nec minore diligentia vitasse, quam *ac* ante vocalem positum, manifestum ei erit, quicumque eo animum adjiciet (1). Itaque emendatione

(1) Hoc mendum (*que, ve, nĕ* positum post litteram *e* brevem), quam sæpe insciis aut imprudentibus excidere possit, hujus admittendi quam sæpe ansa detur, nusquam magis apparet, quam in quorundam recentiorum latinis scriptis, ubi nulla fere pagina eo caret. Quod si toties ita scribendi locus datur, nec tamen ita scripserunt antiqui, quid inde sequitur, nisi antiquos ea re consulto abstinuisse, eam diligenter fugisse ? Id unus adhuc, quod sciam, notasse videtur Quicherat (*Traité de Versification latine*, ch. xxii), ita tamen ut intra carminum fines præceptum contineret. Universam hanc ego legem fuisse contendere ausim, et quam haud scio an constantius custodierint prosæ orationis auctores. Vetustioris autem sermonis residuæ labeculæ eæ fuerunt, quæ in actis quidem publicis, decretis, precationum formulis civilibusque negotiis semper mansisse videntur, sed in litteris sensim rariores factæ jam inde ab Augusti temporibus non fere comparuere, donec, senescente lingua, altero post seculo revocatæ sunt. Libuit exempla investigare et colligere. Qui labor quoniam infinitus erat, neque scriptores omnes evolvere vacabat, eos potius omitti posse putavi, quos ætas sua minus suspectos faciebat, quique in

plura, quam quæ suspecta antea fuerant, amplecti coacto illud in mentem venit : «... ferox irrupit, tædæque in proxima urbis jactæ

universum æstimanti extra hujusmodi reprehensionem esse videbantur, ut Senecam, Tacitum, Quintilianum, Suetonium, Lucanum, Silium, Statium, Martialem. Jam nunc ex ceteris, quos afferendos habeo, satis argumenti colligi posse confido.

Nulla hujus rei exempla reperi apud Catullum, Vergilium, Ovidium, Phædrum, Persium, Juvenalem; nulla apud Sallustium, Velleium, Curtium, Plinium juniorem, Florum, Justinum. Item nulla apud Varronem, nisi ei velis imputare unum locum ex Catone sumptum, duasque veteres formulas, quarum altera ter repetita est. Singula autem apud Terentium (*And.*, I, iii, 12), Horatium (*Sat.*, I, i, 89), Cæsarem, ut Cæsaris ipsius sint *Belli Civilis* postrema capita (*B. C.*, III, xcvii, 3; nam *B. G.*, VI, xii, 6, Nipperdeius primus invexit). Aliquot apud Plautum, Tibullum, Propertium, Catonem, Corn. Nepotem, Columellam, ita ut conjunctim ad triginta exempla efficiant, quorum majorem partem vindicat Plautus. Quod ad Ciceronem attinet, fateor me non totum (tantæ molis erat) perlustrasse; ceterum, evolutis plerisque ejus orationibus, nullum exemplum ibi deprehendi; in ceteris ejus scriptis quædam passim, eaque rarissima. Notatione digna res est, in horum auctorum exemplis fere omnibus vocem *que* præpositam esse verbo per vocalem incipienti, ideoque elisam.

Seorsum a grege tres ponendi sunt auctores, qui nihil omnino id mendi genus, neque elidereturne vox *que*, necne, curasse videntur; quo genere adeo scatent eorum scripta, ut, quanquam quindecim utique partibus pauciora ipsa quam ceterorum, tamen exemplorum summam triplicem conficiant. Hi sunt Lucretius (27 ex.), Gellius (44 ex.), et ille, quisquis fuit, qui bellum Africanum scripsit; is in tantulo libro duodecim exempla congessit. Quare, ut obiter dicam, miror Nipperdeium, qui, quum de ejus stilo subtiliter disputaret, et indicia vel tenuissima persequeretur, quibus comprobaret ejus libellum non Hirtio, nedum Cæsari, adscribendum esse, id argumenti ne suspicatus quidem sit.

Ad Livium nunc venio. In vetustis ejus editionibus exempla hujusmodi fuere undecim, ut illa omittam, quæ, invitis et codicibus et ceteris editoribus, excogitaverunt privatoque arbitrio infulserunt quidam (ut Gronovius VII, xxx, 16, *hiscene* pro *hiscine*; ut Madvigius XXXVIII, xlviii, 4, *mareque* pro *marique*; ut idem XLIV, xxvi, 11, *abire nuntiareque* pro *abi renuntia ergo*). His neglectis, ex undecim reliquis operæ pretium est cognoscere quot nunc supersint; nec vero parum documenti in eo est, quod ea menda pleraque, accuratius inspectis codicibus, paulatim ab his ipsis editoribus expulsa sunt, qui menda esse non opinabantur. Quæ igitur, olim male intrusa, nunc abiere, hæc sunt : I, i, 1, *Antenoreque* (nunc *Antenorique*); II, lii, 5, *ægritudineque* (nunc *ægritudinemque*); VI, xiv, 13, *differenteque* (nunc, excepto Madvigio, *differentique*); XXVII, xlvi, 9, *redireque* (nunc *redirique*); XXXIII, xxxviii, 12, *contrahereque* (nunc *et contrahere*); XXXVI, xvii, 11, *anteque præcautum* (nunc *atque præcautum*). Proinde quinque hodie restant; quorum duo sine codicum assensu. Nam XXXV, xxxii, 2, ubi receptum est *redierat indeque Menippum*, huic lectioni aperte refragatur Moguntinus codex, illius decadis præstantissimus, qui, nisi quod supervacua una male irrepsit littera, illud exhibuit quod vidit Drakenborchius, *redierat inde Menippumque*. Item XLV, xix, 11, ubi jam inde a Grynæo editum est *infirmitate ætateque*, unicus illius partis codex præfert *infirmitatem ætatemque*, id quod suo loco demonstrabitur retinendum fuisse. Ex tribus reliquis, duo reperiuntur in locis confessione omnium misere depravatis, atque ubi ad hanc diem nulla probabilis excogitata est emendandi ratio; quorum alterum nobis hic (II, xxxiii, 7) obvium fuit; alterum (XLI, xxiii, 7, *manereque id decretum*), quum ne umbram quidem sensus recipere posset, jam a Madvigio ipso utcumque mutatum est. Itaque unum illud, quod dixi, relinquitur exemplum (VIII, ix, 7 : *formidine morteque afficiatis*), haud dubium quidem illud, sed advecticium, solisque pontificibus imputandum.

» ignem temere abreptum imminentibus muro ædificiis injecit. » Forsitan jacta fuerit tæda ab aliquo eorum militum, qui Marcium secuti erant. Hanc lectionem, præter cetera, et illud commendat, quod apta jam fit vox *abreptum*; quam reprehenderat Madvigius, mutandamque in *arreptum* censuerat, « quia, inquit, ignem, qui » ubi sit non dicitur, arripit alicunde aliquis, non abripit. » Cf. XXX, vi, 5 : *ignibusque in proxima tecta conjectis*. De vocabulo *tædæ*, Livianumne sit, vide XLII, lxiv, 3. Si quem forte offendet repetitio *jactæ... injecit*, eum, ne Livii fere singula quæque capita afferam, exempli gratia respicere jubebo ad XXV, xxxvii, ubi in eodem capite tres hujusmodi occurrunt repetitiones, § 11, 14, 16.

Cap. XXXV, 4. — Quum C. Marcio dies dicta esset, et, accensa in eum plebe, damnatum iri appareret : « Restiterunt tamen (Patres) » adversa invidia. » Quid sibi velit *adversa invidia*, non assequor. Num adversante, opposita, contraria? At neque odio plebis Patres suum tuebantur, neque aperte aut invidiose tum restiterunt, sed arte et precibus. An animadversa plebis invidia in Marcium? At ea jamdiu luce clarior erat, nec præterea latine hoc sensu dicitur *adversa*. Nisi fallor, legi debet *adversus invidiam*, nempe qua flagrabat Marcius.

Cap. XXXVI, 3. — Quum Tito Latinio Jupiter in somnis adesse visus esset, jubens ire ad consules eisque nuntiare ludos instaurandos esse, is dei jussa primum neglexit. **Codd., Edd.** : « Quan» quam haud sane liber erat religione animus, verecundia tamen » majestatis magistratuum timorem vicit, ne in ora hominum pro » ludibrio abiret. » Primo aspectu dicas jungendum esse *timorem ne abiret;* verum id a sententia abhorret, quum verecundia magistratuum et ludibrii metus non inter se pugnaverint, sed eodem inclinaverint, nempe ut taceret Latinius. Superest ut Gronovium audiamus, monentem hac voce *timorem* significari ipsam religionem et numinis metum. Qui sensus si recipitur, offenditur deinde in postremis verbis *ne in ora hominum pro ludibrio abiret;* hæc enim ad verecundiam magistratuum pertinere atque ex ea sequi tunc necesse est, quasi ideo magistratuum majestatem veritus sit Latinius, ne derideretur. Saltem si scriptum foret *ne eis (magistratibus) pro ludibrio abiret*, id, etsi nondum cum voce *majestatis* satis congruens, tamen non utique alienum a voce *verecundia* videretur. Nunc ea verecundia, h. e. is pudor, quo plebeius homo propter humilitatem suam coram honoratissimis viris affici solet, quid cogna-

tionis habet cum eo metu, ne ceteris hominibus derisui sit? Res prorsus dissimiles perperam conjunctas esse apparet. Nec quicquam agit Madvigius tollenda voce *timorem* ; idem enim, quod dixi, residet vitium. Arbitror ego unam litteram in antiquiore codice corruptam fuisse, ita ut *timorē* male scriptum sit pro *timorq*; proinde legendum esse : « Verecundia tamen majestatis magistra-» tuum timorque vicit, ne in ora hominum pro ludibrio abiret », h. e. religionem duæ res vicerunt, verecundia magistratuum et is timor ne... abiret.

Cap. XLIV, 6. — Ibi quoque admirari licet in quo honore apud Madvigium Livius sit. Codicibus exhibentibus *novem tribunorum*, quum illo tempore nondum plus quinque tribuni plebis crearentur, sensere omnes substituendum esse *quattuor*, atque id scripsere ceteri editores; maluit Madvigius retinere *novem*, ut hanc subjiceret notam : « Livius debuit scribere *quattuor*. » Enimvero ridicula calumnia hæc est; scilicet potuit Livius desipere, non potuit librarius in dimidia littera pingenda labi, ac pro *IV* scribere *IX*.

Cap. XLVIII, 6. — « Æquis Volscisque non diutius, quam recens » dolor proximæ cladis transiret, quiescentibus... » Nisi quid me fallit, manca oratio est; illud requiritur : «... quam dum recens » dolor... transiret. »

Cap. XLIX, 4 (de Fabiis adversus Veientes proficiscentibus). — **Madvig.** : « Sex et trecenti milites, omnes patricii, omnes unius » gentis, quorum neminem ducem sperneres, egregius quibuslibet » temporibus senatus, ibant... » (**Codd.** : *sperneret*.) Animadvertisse videor, in hujusmodi locutionibus *crederes, diceres, videres*, lectorem scriptori pro spectatore esse, neque ad aliam rem induci et appellari, quam quæ ad ipsum spectaculum pertineat aut ex ipso spectaculo colligi possit. Sic paulo supra (II, xliii, 9), quum, mœstis in castra redeuntibus Romanis, addit noster *crederes victos*, nihil aliud ibi existimandum datur, quam quod in existimationem spectatoris cujuslibet cadat. Nunc autem, num ex alicujus aspectu dispicitur spernendusne dux sit, necne? Immo num ego lector ex spectatore miles factus sum, et mihi duces habendi sunt, quos aut spernam aut non spernam? Leviore mutatione scribi oportuit *sperne-rent* (*spernerēt*) : agitur enim de iis hominibus, qui in præcedente periodo dicti sunt Fabios proficiscentes magna admiratione spectare.

Cap. XLIX, 11. — **Vulg.** : « ... Dum post signa ordines introeunt » subsidiaque locant... » Videndum iidemne homines dici possint

et ordines introire et subsidia locare, hinc milites, illinc duces. Placeret *instruunt*.

Cap. L, 1. — **Recc.** : « Nec erant incursiones modo in agros » aut subiti impetus in incursantes, sed aliquoties æquo campo... » certatum. » (M : *incursantes lupi sed...* C : *incursantesium sed*). Etsi dissimilia sunt *lupi* et *ium*, tamen id congruit, totidem litterarum lineas utrinque esse. Forte *in incursantes facti, sed...*

Cap. LV, 8. — **Vulg.** : « Concitati homines, veluti ad prœlium, » se expediunt; apparebatque omne discrimen adesse; nihil cui-» quam sanctum, non publici fore, non privati juris. » Latine quidem dicitur *discrimen adest*, etiam *ingens, atrox discrimen adest;* num autem usquam alibi inventum sit *omne discrimen adest*, vehementer dubito. Hic certe vitium odorari licet ex sequentibus verbis, ubi agitur de jure ab injuria discernendo. Scribendum est : «... apparebatque omne discrimen abesse, nihil cuiquam » sanctum, non publici fore, non privati juris, » h. e. sublato omni juris et injuriæ discrimine.

Cap. LVIII, 5. — (Ubi Appius indignabundus secum reputat se a plebe victum.) **Vulg.** : « Odisse plebem plus quam paterno odio : » se victum ab ea; se unico consule electo adversus tribuniciam » potestatem, perlatam legem esse, quam... priores impedierint » consules. Hæc ira indignatioque... » (**Codd.** : *odio quod se victum...*) Sub illa codicum voce *quod*, quam Weissenb. uncis inclusam retinuit, quid lateat, indicare videntur sequentia verba *ira indignatioque* : convenientior enim huic iræ sermo erit, si scripserimus : « Odisse plebem plus quam paterno odio. Quid? se victum ab ea? se unico... consules? » Cf. emend. ad IV, xliv, 3.

Cap. LIX, 6. — Quum Appius consul in exercitum suum sævire vellet, contionemque ad id ipsum advocaret, monent eum legati tribunique rem ad seditionem spectare, milites negare se ad contionem ituros. **Vulg.** : « Victus tandem, quando quidem nihil » præter tempus noxæ lucrarentur (milites), remissa contione, » iter in insequentem diem pronuntiari quum jussisset... » Ea codicum lectio adversus Madvigium tuenda est, qui pro *remissa* scripsit *omissa*. Sane si ea contio nihil discreparet ab aliis quibuslibet contionibus, quæ ad milites monendos adhortandosve haberi solebant, simplice proprioque verbo *omissa* standum foret. Nunc, postquam sæviendi causa eam advocavit consul, atque ipse Livius addit contionis dilationem nihil aliud esse quam pœnæ

dilationem, sequitur contionis festinationem idem esse quod pœnæ festinationem. Quid igitur mirum, si, quemadmodum dici potuit *remissa pœnæ festinatione,* ita dicitur *remissa contione*? Duplicem sensum eadem vox complectitur, non apte modo, sed et ingeniose.

CAP. LX, 2. — **Recc.** : «... nec ullo ante bello latius inde actæ » prædæ. Ea omnis militi data est. » Ista cohærere, id est, ex plurali *prædæ* intelligi deinde posse *præda* singulari numero, ne ipsi quidem, qui ita ediderunt, contenderint. Profecto scripsit Livius : «... inde acta præda. Ea omnis...» Atque id ex ipsis codicum vestigiis manifestum fit, qui plerique omiserunt vocem *ea* (neque eam edidit Drak.). Itaque exhibent *prædae omnis,* ubi tenendum est nihil aliud omissum esse, nisi posteriorem litteram hujus vocis *ea,* priorem autem adhæsisse præcedenti voci *præda,* ac postea ad corruptum substantivum *prædæ* temere accommodatum esse participium *acta.*

CAP. LXV, 3. — **Vulg.** : « Fixis in terram pilis, quo leviores » ardua evaderent, cursu subeunt.» Puto scribendum esse *leviores in ardua,* sicut fuit in vetustis quibusdam editionibus. Aliud enim est *evadere ardua,* aliud *evadere in ardua,* quorum prius significat superare ardua, ire ultra ardua, posterius pervenire ad ardua, id quod sententia hic requirit. Cf. paulo infra, § 6, *ut in summum clivi jugum evaderent.* Se ipse confutavit Drakenb., allato exemplo libri XLV (XLI, 4) *saltum ad Petram evasi,* quippe ubi non de adeundo, sed de superando saltu agitur.

CAP. LXV, 5. — Collem insidentes Volscos ferocius quam cautius aggressi erant Romani, pulsique jam referebant pedem, quum eis consul pudorem incutit. **Codd.** : « Resistere primo obstinatis » animis ; deinde, ut obtinentes locum vires ferebant, audent ultro » gradum inferre, et clamore renovato commovent aciem.» Hujus *ferebant* quum sensus expediri non posset, Weiss. substituit *refecerant,* Madvigius *reficiebant.* Viderint igitur quomodo refici vires possint militibus, dum acerrime pugnant, et quidem dum locum ancipitem obtinent, ubi saxis obruuntur. Multo propius vero est, eos, extracta ibi pugna, vires exhausturos fuisse, et, id ipsum timentes, summa ope enisos esse, ut ex hac iniquitate loci quam primum evaderent. Proinde legendum censeo : «... ut obtinentes locum vires terebant...» h. e. metu ne diutius in loco iniquo vires tererent. Eodem modo Livius dixit (VI, VIII, 10) *ne in opere longinquo sese tererent.* Præterea dubito, rectene omnes, jam inde a Drakenborchio, scripserint *restitere* pro *resistere*.

LIBER III

CAP. VIII, 8. — **Codd., Madv.** : « Hostes... in Lucretium in» cidunt consulem, jam ante exploratis itineribus suis, instructum » et ad certamen intentum. » Jam pridem Dukerus monuit sibi pronomen *suis* suspectum esse ; neque id a Livio, quum sæpissime alibi explorata itinera dixerit, adjici solere. Huc addi potest, Livium, si hic quænam forent ea itinera definiturus esset, multo potius itinera hostium dicturum fuisse : nam Lucretii itinera nulla erant, ut qui in Hernicis sederet, sicut § 6 memoratum est. Quare vox *suis,* si nihil aliud, supervacua habenda est. Tollendam eam Madvigius quoque censuit (omitto tentatam ab eo alteram emendandi rationem, vix dignam quæ afferretur, *itineribus, cum suis instructum* : quasi dux per se ac sine suis instructus esse potuerit). Præterea displicet recepta interpunctio, qua scilicet utrasque voces *jam ante* referre jubemur ad verbum *exploratis*; sane et alibi (Cf. XXIII, XLII, 9) apud Livium reperitur *ante explorato,* non *jam ante explorato.* Malim equidem : « in Lucretium » incidunt consulem, jam, ante exploratis itineribus, satis instruc» tum et ad certamen intentum. » Nimirum jam instructus is erat, quia per exploratores certior factus erat de adventu hostium.

CAP. XIV, 6. — (De juventute patricia Terentiliæ legi per vim adversante, in ceteris rebus populariter agente.) **Madv.** : « ... Alibi » popularis juventus erat. Nec cetera modo tribuni tranquillo pere» gere, sed refecti quoque in insequentem annum. Ne voce quidem » incommodi, nedum ut ulla vis fieret, paulatim permulcendo » tractandoque mansuefecerant plebem. » **Codd.** : *incommoda.* Obscure hæc scripta sunt. Ex universa loci sententia manifestum

est verba *incommodi* et *mansuefecerant* ad juvenes patricios referri debere, neque aliud voluit Madvigius; is autem est sermonis tenor, ut ad tribunos referenda videantur, nullo alio occurrente subjecto, quam quod ante fuerat. Retinere oportuit *incommoda* (nominativo casu), deinde scribere *mansuefecerat*; et, ne juventutis mentio interrupta videretur, priora sic interpungere : « Alibi popularis juventus erat, nec cetera modo... »

Cap. XV, 7. — In his : « Consules et armare plebem et inermem pati timebant. Incerti quod malum repentinum, externum » an intestinum,... urbem invasisset, sedabant tumultus », aliter distingui oportet; neque enim, quia incerti erant consules, ideo sedabant tumultus, sed ideo arma plebi et dare et negare timebant. Scribendum : « ... pati timebant, incerti quod malum... » urbem invasisset. Sedabant tumultus... »

Cap. XVI, 5. — Ibi quoque ejusdem generis adhibenda est castigatio, sic distincta oratione : « Tantus enim tribunos furor » tenuit, ut non bellum, sed vanam imaginem belli... Capitolium » insedisse contenderent, patriciorum hospites clientesque; si, » perlata lege, frustra tumultuatos esse se sentiant, majore, quam » venerint, silentio abituros », ita ut verba *patriciorum hospites clientesque* per appositionem referantur ad *imaginem belli*. Horum enim hospitum clientiumque nulla ante mentio facta est, nec, si in posteriore tantum periodo, ut editum est, inducuntur, apparet cur Capitolio dicantur abituri, quos eo venisse nondum scimus.

Cap. XX, 6. — (Quum consules, frustra adversantibus tribunis plebis, educere legiones vellent, edixissentque ut postero die juniores ad lacum Regillum armati adessent.) **Codd., Drak., Weiss.**: » Igitur tribuni, ut impediendæ rei nulla spes erat, de proferendo » exercitu agere. » *Proferre exercitum* non latine dici omnes viderunt, multaque jamdiu excogitata sunt remedia. Suasit Lipsius *de proferenda agere* (scil. *re*, deleta voce *exercitu*), Gronovius *deperterrendo exercitu*, Dukerus *de proferenda cum exercitu*, Perizonius *de proferendo exitu*, id quod recepit Madvigius. Illud mihi succurrerat, ad Livii consuetudinem accommodatius : *de die proferendo exercitu* (pro *exercitui*, ut sæpe in mss.); et facile *die* post *de* poterat excidisse. Ceterum eam emendationem, sicut confirmare, ita aliqua ex parte mutandam ostendere visa est vulgata nuper codicis Veronensis scriptura, quæ hæc est : *de proferēdo......... uagere* (ceteris litteris in medio evanidis) : illo enim vacuo spatio monet

Madvigius contineri potuisse non modo *exercit*, sed duas quoque aut tres alias litteras. Itaque legendum censeo : « Igitur tribuni, ut » impediendæ rei nulla spes erat, de proferendo die exercitui agere. » Quod ad genus vocis *die* attinet (nam paucis supra versibus occurrerat *crastina die*), eam promiscue masculino aut feminino genere usurpasse Livium docet Drak. hoc ipso capite § 4, ubi vide, quæ congessit, exempla.

Cap. XXXIII, 5. — Postquam tres decemviros dictum est, alios aliam ob causam, primos creatos esse, hæc sequuntur : « His » proximi habiti (sunt) legati tres, qui Athenas ierant. » Nihil aliud inde elici posse videtur, nisi *his proximi crediti sunt fuisse legati tres*; etenim quomodo verbum *habiti* eodem sensu usurpari queat, quo *creati* aut *electi*, docere difficile sit. Corruptum puto id verbum, eique substituendum *additi*, non tam quia ea lectio est codicis Veith., cujus auctoritas admodum parva est, quam quia et alibi in re simillima sic scriptum esse a Livio videmus. Nam XLV, xvii, 3, quum decem legati in Macedoniam decreti essent, tres consulares item primi nominati sunt; quorum, sicut hic, e grege secretorum, postquam merita memoravit, sic pergit : *his consularibus addidere Cn. Domitium...* — Ne finis quidem hujus periodi integra est, quæ sic habet : « ... Athenas ierant, » simul ut pro peregrinatione tam longinqua præmio esset honos, » simul peritos legum peregrinarum ad condenda nova jura usui » fore credebant. » Claudicant hæc *simul ut esset honos, simul credebant*. Anacoluthon id vocari solet, commodissimum nomen, cujus sub umbra tot olim latuere menda. Occurrere quidem aliquando id dicendi genus fatendum est, sed rarissime, nunc ex aliquo animi impetu natum, nunc scriptore post interjectam parenthesin aut longiorem verborum circuitum quasi oblito quo modo exorsus sit : quorum quid hic orationis vitio prætendi potest? Nisi per libidinem in tam simplice brevique periodo peccavit Livius. Illud requiritur : « ... simul ut... esset honos, simul quod pe- » ritos... credebant »; atque ibi quoque nos adjuvat idem codex Veith., in quo legitur *simulque peritos*. Nec vero id ex interpolatione ortum verisimile est, quoniam, si quis interpolando castigare voluisset, is non vocem *que*, plane sensu carentem, scripsisset, sed *quod*.

Cap. XXXIII, 10. — **Edd.**: « C. Julius decemvir diem Sestio » dixit, et accusator ad populum exstitit cujus rei judex legitimus

» erat; decessitque jure suo, ut demptum de vi magistratus populi » libertati adjiceret. » Codices habent *decessitque ex jure suo.* Vocem pravam *ex* non resecandam, sed corrigendam fuisse puto, scribendumque : « ... decessitque ei jure suo...», h. e. populo. *Decedere alicui aliqua re* non Livius modo, sed omnes dixerunt.

Cap. XXXIV, 6. — **Codd., Drak.** : « Quum ad clamores homi- » num de unoquoque legum capite edito satis correctæ viderentur » (eæ leges)... » Recentiores, ex conjectura Dukeri, substituerunt *editos.* Una illa mutandi causa Dukero fuit, quod supervacuum videbatur *edito.* Ea autem mutatione vitium non sublatum, sed alio translatum est. *Editos* enim æque supervacuum est, immo magis ; quippe in *edito* ille saltem sensus subesse videtur, *prout unumquodque legum caput edebatur.* Ceterum, ne quid mutaretur, nova adjecta est nuper auctoritas codicis Veronensis, maxima quidem illa, quum antiquissimum eum et ex alio fonte, ac ceteros omnes, ortum esse constet.

Cap. XXXVII, 2. — **Codd., Vulg.** : « Primores patrum odisse » decemviros, odisse plebem ; nec probare, quæ fierent, et credere » haud indignis accidere ; avide ruendo ad libertatem in servi- » tutem elapsos juvare nolle ; cumulare quoque injurias, ut tædio » præsentium consules duo tandem et status pristinus rerum in » desiderium veniant. » In universum consideranti obscura hæc videntur, nec facile, ut interim taceam de perplexo verbo *cumulare,* dispicitur, quo ordine procedant atque inter se cohæreant sententiæ. Quam confusionem inde ortam esse reor, quod creditum est universam periodum per infinitivum historicum decurrere, quum contra verisimile sit, jam inde a verbis *avide ruendo* incipere obliquam orationem patrum, iram suam in plebem expromentium. Atque ita intelligi debere indicio est verbum *veniant,* soli obliquæ orationi aptum : quippe post infinitivum historicum exspectabatur *venirent.* Opinor igitur sic scribendum ac distinguendum esse : «... et credere haud indignis accidere : avide » ruendo ad libertatem in servitutem elapsos. Juvare nolle. Cumu- » larent quoque injurias, ut... in desiderium veniant. » h. e. credebant plebeios meruisse suam sortem : improbo enim, inquiebant, libertatis amore in servitutem ruerunt. Juvare eos nolumus. Immo cumulent injurias suas, ut... Nomen *injurias* passiva significatione accipiendum est, ut si dicatur *miseriis suis cumulum adjiciant,* h. e. *cumulum adjectum experiantur.* Ibi una tantum lit-

tera addita est, si putes olim scriptum fuisse *cumularēt.* Madvigii emendatio *cumulari* (ita ut ex verbo *nolle* audiatur deinde *velle,* hoc sensu : *juvare nolle, sed cumulari quoque*) nec per se ullo pacto probari potest, quum præsertim desit illa particula *sed,* in qua totus vertitur sensus, nec præterea hujus loci cetera tollit vitia.

Cap. XXXVII, 7. — **Codd., Weiss.** : « Hi (patricii juvenes) ferre » agere plebem plebisque res, cum fortuna [qua] quicquid cupitum » foret, potentioris esset. » **Madvigius** : «... quum fortuna æqua » quicquid... » Neutra lectio probabilis est ; posterior adeo obscura, ut neque eam, neque ejus enarrationem a Madvigio allatam, satis assequi potuerim ; ceterum hic locus quam perplexus sit, ostendunt irriti multorum conatus, quos retulit Drakenborchius. Ut aliquid et ipse conferam, illud suadeo : «... quum » fortunaque et quicquid cupitum foret potentioris esset. » h. e. quoniam et bona et quæcumque res appetebantur potentioris erant. Id copulæ genus *que et* nulli magis quam Livio familiare fuit ; et apud eum per nomen *fortuna* singulari numero positum divitias interdum significari, exemplo sunt I, xlvii, 12 ; III, lxviii, 4 ; XLV, xxxii, 5. — Possit etiam pro *cum* scribi *usi,* ceteris manentibus.

Cap. XXXVIII, 10. — (De patribus in curiam ad decemviros vocatis, nec convenientibus.) **Codd., Vulg.** : « (plebs) solitudinem » circa decemviros intueri, quum et ipsi consensu invisum impe- » rium, et plebs, quia privatis jus non esset vocandi senatum, » non convenire patres interpretarentur. » Nisi quid me fefellerunt exempla hujus locutionis *consensu,* apud Livium sæpius usurpatæ, potest consensu (id est, nunc consensione facta, nunc simpliciter consentientibus omnibus) aliquid fieri, non aliquid esse : nimirum intelligerem consensu imperium sperni, negligi, detrectari ; consensu autem imperium displicere, odiosum aut invisum esse, non latine dictum videtur. Nec minore offensione tentaverimus jungere *consensu interpretarentur,* ita ut significetur *ex ea consensione patrum interpretarentur decemviri* ; omissa enim præpositione *ex,* eum consensum decemvirorum fieri necesse est. Forsitan legendum sit : « ... quum et ipsi consensum in invisum imperium... » interpretarentur, » h. e. consensum esse a patribus, consensisse patres adversus...

Cap. XXXIX, 5. — (Verba Horatii adversus decemviros.) **Vulg.** : « Superbiam violentiamque tum perosos regis. Quæ si in rege tum

» eodem aut in filio regis ferenda non fuerint, quem laturum in » tot privatis? » Quid sibi vellet vox *eodem,* frustra quæsitum est. Mansit quidem illa, sed suspecta jamdiu, atque apud Madvigium signo notata. Saltem contingit ut ex universa sententia colligi facile possit, quid desideretur. Quum enim Tarquinius filiusque ejus opponantur tot privatis, id est, paucitas multitudini, nullum aliud adjectivum Tarquinio apte apponi posse videtur, quam quod ad paucitatem pertineat; tunc oratio recte se haberet, si, ut dicitur *in uno aut altero homine,* ita hic diceretur *in rege tum eo uno aut in regis filio.* Eum autem sensum præstabit lenis castigatio vocis *eodem,* hoc modo : « ...Quæ si in rege tum eo » demum aut in filio regis ferenda non fuerint... » Sæpe in mss. voces *eo demum* (item *ea demum, ejus demum,* etc.) evasere in *eodem,* quia per compendium plerumque pro *demum* scribebatur *dem̄* : vide apud Drak. quæ de hac re disseruit Perizonius ad XXXII, xiv, 2, ubi similem errorem correxit. Cf. etiam emendationem nostram ad XXXII, xv, 2.

Cap. XL, 10. — Quum, bello imminente, decemviri senatum vocare tandem coacti essent, eosque multi ex patribus justos magistratus esse negarent, nec prius quicquam agi, quam de re publica, sinerent, L. Cornelius contendit eam de jure decemvirorum controversiam belli curæ posthabendam esse. **Drak.** : « Ceterum neminem, majore cura occupatis animis, verum esse, » præjudicium rei tantæ adferre. Sibi placere, de eo, quod Vale- » rius Horatiusque ante Idus Maias decemviros abisse magistratu » insimulent, bellis, quæ immineant, perfectis, re publica in tran- » quillum redacta, senatu disceptante, agi... » **Weiss.** : « Cete- » rum (nec enim, majore cura occupatis animis, verum esse » præjudicium rei tantæ auferri) sibi placere de eo... » **Madv.** : « Ceterum (etenim... verum esse præjudicium rei tantæ haud fieri) sibi placere de eo... » Hæc bona malane sint, quærere non tam attinet, quam utrum Livii sint, necne. Verba autem *nec enim, etenim, adferre, haud fieri,* nusquam in mss. invenias, sed in optimis et in iis, quorum aliqua ratio habenda est, hinc *nemini* aut *neminem,* illinc *auferri.* In codice **M**, hujus decadis præstantissimo, hæc ad verbum, præter distinctionem, quæ sola nostra est, leguntur : « Ceterum nemini, majore cura occupatis animis, » verum esse præjudicium rei tantæ : auferri sibi placere; » de eo... » h. e. neminem recte nunc de tanta re præjudicare posse : omittendum id præjudicium se censere, nec de ea re prius agendum, quam bella perfecta sint. Quæ verba quid pravi habeant, et cur mutata sint, equidem non video. Quiane visa est vox *verum* eo sensu (scil. rectum) cum nomine jungi non posse? Cujus rei exempla ex Sallustio et Cicerone proferuntur. An quia displicuit verbum *auferri*? Id immo non tantum defendi eo potest, quod ex contraria parte dicitur *afferri præjudicium,* sed etiam magis, quam *omitti,* ibi aptum est : *omitti* enim de re qualibet, sive tentata, sive non tentata illa fuit, usurpari solet; *auferri* de ea tantum, quæ jam agi cœpta est : aufertur, quoniam allata est. Præterea in hoc verbo vis quædam et indignatio inest, qualis Cornelium decet, vehementi adversantium insectatione exorsum, ut si eis dicat : « Tollite hinc istud præjudicium. » Alii aliter, pro tempore et ingenio quisque suo, loquuntur : Marcellus consul (XXVI, xxix, 8), ab verecundia magistratus sui et patrum, cum quibus in magna gratia erat, senatus præjudicium deprecatur; at L. Cornelius id præjudicium auferri jubet, utpote M. Cornelii decemviri frater, eorumque fautor, qui jam violentia victum imperium suum viderent, nisi pari resisteretur audacia. Hujus *auferri* eo sensu usurpati exempla, adeo sunt multa, apud Plautum maxime, memorare supersedebo. Non diffiteor, usitatiorem videri potuisse dicendi formam, si, pro *esse,* scriptum foret *esse posse*; eam vero correctionem, leniorem utique iis, quæ allatæ sunt, fieri non opus est. Nam, quemadmodum dicitur *præjudicium alicujus* (XXVI, xxix, 8; XXXV, x, 9) postquam præjudicat aliquis, ita *alicui præjudicium esse* satis per se significat aliquem præjudicare posse.

Cap. XLVI, 3. — (Verba Appii decemviri de Icilio.) **Vulg.** : « Non præbiturum se illi eo die materiam (seditionis), sed, ut » jam sciret, non id petulantiæ suæ, sed Verginio absenti et patrio » nomini et libertati datum, jus eo die se non dicturum neque » decretum interpositurum; a M. Claudio petiturum, ut decederet » jure suo vindicarique puellam in posterum diem pateretur. Quod » nisi pater postero die affuisset, denuntiare se Icilio similibusque » Icilii, neque legi suæ latorem neque decemviro constantiam de- » fore. » Harum sententiarum prioris summa hæc est : *ut sciat id non sibi datum, sed Verginio absenti, jus hodie non dicam, et a M. Claudio petam ut rem differri patiatur.* Quomodo per hæc Icilius doceri potuerit, id non sibi datum esse, non liquet : quid

enim est, cur Icilius contemptum se sentiat, postquam eo die et jus non dictum erit, et dilatio a M. Claudio impetrata erit? Immo non aliter locuturus fuisse videtur Appius, si eam Icilio injicere opinionem voluisset, id sibi datum, id est, metu seditionis rem dilatam esse. Tunc tantum constaret argumentatio, si dictum foret: *ut sciat id non sibi datum, sed Verginio absenti, denuntio illi cras me, nisi pater adsit, legi meæ non defore.* Nec vero aliud dixit Livius; sed sententiæ confirmationem quum posset una propositione complecti, eam maluit in tres partes distribuere, 1° *jus eo die non dicturum,* 2° *a M. Claudio petiturum...,* 3° *quod nisi pater...,* ita ut argumentum duæ priores præpararent, tertia concluderet. Inde apparet quam perverse hæc postrema pars a duabus ceteris divulsa sit, quum sic distinguendum fuerit : «... pateretur; » quod nisi pater postero die affuisset... »

Cap. LII, 2. — (Verba Duillii plebi suadentis, ut in Sacrum montem ex Aventino transeat.) **Drak.** : «... admoniturum (patres) » Sacrum montem constantiæ plebis; scituros, quod sine restituta » potestate redigi in concordiam res nequeant. » (**Codd.** : *sciturosque sine.*) Eam lectionem recentiores jure damnaverunt : nam et durior erat illa dicendi forma *quod,* non præcedente pronomine *id* aut *illud,* cui jungeretur, et eam, de qua agitur, potestatem definiri oportuerat. Itaque substituit Weiss. : *sciturosque qua sibi non restituta potestate...*; Madvigius : *sciturosque qua sine restituta potestate...* Neutrum placet. Hæc enim ita dicta sunt, quasi scierint quidem patres opus esse restituta potestate aliqua, illud autem ignoraverint, illud unum dubitaverint, quænam foret ea potestas. Præterea, qui ambigit quam potestatem restituat, ejus animo plures potestates obversari necesse est; unus autem tribunatus apud Romanos nuncupabatur potestas, etsi id nomen sine adjectivo suo *tribunicia* usurpari non solebat. Legendum censeo :... *sciturosque sine restituta potestate tr.* (i. e. *tribunicia,* quod compendii genus in mss. usitatissimum est, atque hic facile, propter præcedentem syllabam *te,* præsertim sequente *re,* excidere potuit) *redigi in concordiam resne queant.* Quod attinet ad particulam *ne* usque inter postrema periodi verba rejectam, eam vero formam Latini non probasse modo videntur, sed etiam captasse. Cato, *de Re rust.*, I : *videte vasa torcula et dolia multane sient.* Varro, *de Re rust.*, II, 2 : *hæc sic recte fieri spondesne.* Cic., *Ep.*, XIV, 14 : *reliquum est... vestri similes feminæ sintne Romæ.*

Cic., *de Signis,* 67 : *hæc sum rogaturus, navem populo Romano debeantne.* Item cf. Liv. VIII, XXXIV, 5; Verg., *Æn.*, II, 597 et 738.

Cap. LII, 7. — (Verba patrum ad decemviros.) **Codd., Drak.** : « Non pudet, lictorum vestrorum majorem prope numerum in foro » conspici, quam togatorum aliorumque? » In loco apertissimo ambages attulit Lipsius : lictores enim et ipsos togam habuisse; ideo copulam *que* recidi debere. Ipsum quidem, quum id contenderet, obtemperasse libro suo proprio scimus; recentiores autem propter tales argutias vocem *que,* invitis codicibus, sustulisse mirum est. Quum illud agatur, quid discriminis inter homines primo aspectu et in universum intuenti fuerit, togati vocantur ii, in quibus nihil aliud, præter togam, conspicuum erat; eodem vero nomine lictores, quia quoddam togularum instar habuerint, comprehendi nequeunt, qui virgis et securibus et alio apparitorum ornatu insignes erant. Adde quod in vocibus *aliorumque* nihil offensionis est. Sane si eo die in foro contio fuisset, id est, purum civium concilium, exclusis ceteris, forsitan quæri posset, qui fuerint illi alii homines; nunc autem, præterquam quod plerique cives urbem deseruerant, quid prohibebat, quin et mulieres et pueri et servi in publico vagarentur et in foro starent?

Cap. LXVII, 9.— (Ex oratione T. Quinctii Capitolini ad Quirites.) **Madv.** : « Tribunos plebis creare iterum voluistis; creastis; con» sules facere vestrarum partium; etsi patribus videbamus » iniquos, patricium quoque magistratum plebi donum fieri vidi» mus. » Hæc Madvigius rectius distinxit, quum antea legeretur *partium, etsi patribus videbamus iniquum; patricium...* Sed quod, pro voce *iniquum,* ex codice **M** sumpta, maluit ex pluribus aliis adsciscere *iniquos,* sequius factum puto. Quomodo enim videri poterant iniqui illi consules, qui nondum erant? Dici oportebat *iniquos fore,* et quidem addito *eos.* Ceterum ne sic quidem. Nam, postquam præcessere verba *vestrarum partium,* frigidissime adjicitur eos consules iniquos patribus fore, quum in discordia ordinum nemo posset ab altero stare, quin alteri iniquus esset. Quod ad cetera, hauddum sollicitata, attinet, verbum *vidimus* et in reprehensionem ingratissimæ repetitionis cadit, maxime quum sensu prorsus alio, ac *videbamus,* usurpetur, et per se haudquaquam aptum est. Namque, si respexeris cetera verba, quibus ante declaratum est patres alia ex aliis plebi indulsisse (*concessimus, passi sumus, coegimus,* iterum *passi sumus*), ea omnia

indicant patres concordiæ causa aliquid voluisse et fecisse; at verbum *vidimus,* unde eadem concessionis significatio exspectabatur, nihil aliud significat, nisi eos aliquid factum vidisse, tanquam hujus facti nullo modo participes, sed meros spectatores. Saltem ad id verbum, ut constaret sententia, addi debebat *patienter* aut *æquo animo*. Quin etiam non sine aliqua repugnantia dicitur *vidimus plebi donum fieri :* a quo enim donum fieri? nonne a patribus? Quasi iidem dent datumque videant, et, pro *dedimus,* ferri possit *vidimus a nobis donum fieri.* Nisi forte quis malit a tribunis aut a plebe ipsa sibimet donum fieri, quod æque ineptum est. Libenter ego legerim : «... consules facere vestrarum partium; » etsi patribus videbamus iniquum patricium quoque magistratum » plebi donum fieri, sivimus (vel tulimus), » h. e. patribus iniquam rem esse patricium quoque magistratum plebi donum fieri.

Cap. LXVII, 11. — (Ex eadem oratione.) **Codd., Vulg.** : « Satisne est, nobis vos metuendos esse? Adversus nos Aventinum » capitur, adversus nos Sacer occupatur mons. Esquilias quidem » ab hoste prope captas et scandentem in aggerem Volscum hostem » nemo submovit : in nos viri, in nos armati estis. » Hæc disjecta pravaque. Pro *quidem* multo potius requiras *autem.* Illud *Esquilias captas submovere* iis tantum placere potest, quibus destinatum est vel pravissima, quocumque modo interpretata, retinere. Madvigius ex Welz. et Forchamm. recepit : «... occupatur mons. » Esquilias vidimus ab hoste prope captas et scandentem in ag- » gerem Volscum. Hostem nemo submovit; in nos...» Ibi, præter contrariorum comparationem *hostem... in nos,* nihil est quod laudes. Abruptum est illud præteritum *vidimus*; abrupta item vox *Volscum,* atque a nomine *hostem* non modo dure, sed etiam adeo incommode distracta, ut credas eam cum nomine *aggerem* jungi. Ego jam antequam emendationem hanc viderem, legendum putabam, una modo codicum littera mutata (nihil enim mutatum videri æquum est, si *Esquiliasq uidem'* legimus ut jure legi potest, id est *Esquiliasque videmus*) : «... adversus nos Sacer occupatur » mons, Esquiliasque videmus ab hoste prope captas, et scan- » dentem in aggerem Volscum hostem nemo submovet : in nos... » Quod interpretor : Satisne esse creditis, nobis solis vos metuendos esse? Postquam enim et adversus nos Aventinum capitis, et Volscum ab Esquiliis non submovetis, in nos solos viri estis.

LIBER IV

Cap. I, 1-3. — **Vulg.** : « Nam anni principio et de connubio » patrum et plebis C. Canuleius tribunus plebis rogationem pro- » mulgavit, qua contaminari sanguinem suum patres... rebantur, » et mentio primo sensim illata a tribunis, ut alterum ex plebe » consulem liceret fieri, eo processit deinde, ut rogationem no- » vem tribuni promulgarent, ut populo potestas esset, seu de » plebe seu de patribus vellet, consules faciendi. Id vero si fieret..., » auferri a primoribus ad plebem summum imperium credebant. » Læti ergo audiere patres Ardeatium populum... descisse...» Ibi duæ conjunctim (per *et... et*) memorantur tribunorum rogationes, sed ita ut utrique statim adjiciatur, quid de ea senserent patres (hinc *qua contaminari...,* illinc *Id vero si fieret...*). Quemadmodum igitur utraque rogatio, sic et utriusque consequentia, non prioris tantummodo, eadem periodo comprehendi debuit, atque ita oratio distingui : «... consules faciendi; id vero si fieret...» Vulgata interpunctio, præterquam quod per se prava est, duplicem offensionem affert : primum enim parum liquet, quod subjectum intelligendum sit ad verbum *credebant,* quum contra, continuata periodo, facile appareat idem intelligendum esse subjectum, quod fuerat ad verbum *rebantur*; deinde, postquam venimus ad verba *Læti ergo...,* videntur patres occasione belli gaudere, non, id quod verum est, propter utrasque rogationes, sed propter posteriorem tantummodo, ut ad quam separatam postremo attendere jussi simus.

Cap. VI, 2. — **Vulg.** : « Quum in contionem et consules pro- » cessissent, et res a perpetuis orationibus in altercationem ver-

» tisset, interroganti tribuno, cur plebeium consulem fieri non » oporteret, ut fortasse vere, sic parum utiliter in præsens certa- » men, respondit, quod nemo plebeius auspicia haberet. » Quis ita responderit, non reperimus; itaque hanc notam subjecit Madvigius : *excidit nomen alterius consulis*. Verisimilius est nullum excidisse nomen, sed scribi debere : « ... vertisset, alter roganti tribuno... respondit... »

Cap. VII, 11. — **Madvigius** : « ... idque monumenti est, con- » sules eos illo anno fuisse, qui neque in annalibus priscis neque » in libris magistratuum inveniuntur. Credo, quod tribuni mili- » tum initio anni fuerunt, eo, perinde ac totum annum in imperio » fuerint, suffectos iis consules prætermissos. Nomina consulum » horum Licinius Macer auctor est...ad Monetæ inventa. » **Codd.** : *suffectis his consulibus prætermissa*. Hæc a Madvigio rectius distincta esse fatendum est; videndum autem, tantane mutandi licentia opus fuerit. Maluerim certe : «... inveniuntur, » credo, quod tribuni militum initio anni fuerunt; eo, perinde ac » si (sic codices, excepto uno Veronensi) totum annum in imperio » fuerint, suffectis his consulibus prætermissis... », ita ut verbum *credo* pro parenthesi sit, tanquam *ut opinor*; alioquin, per hoc verbum Livius periodum ordiri non debuisse videtur, aut saltem dicturus fuisse *credo ego,* non simpliciter *credo*.

Cap. XIII, 8. — **Drak., Madv.** : « Minucius eandem publice » curationem agens, quam Mælius privatim agendam susceperat. » **M.** *rep.*; ceteri *reip.* (sic Weiss., sensu parum apto). E vestigiis codicis **M** legendum existimo *eandem in re publica curationem...* (*eandēinrep.*)

Cap. XVII, 12. — **Vulg.** : « Dictator Romanus haud procul » inde ad confluentes consedit in utriusque ripis amnis (Tiberis » atque Anienis), qua sequi munimento poterat, vallo interposito. » (Sic codices, nisi quod **M** *nullo,* non *vallo*.) Ibi Glareanus : vide, inquit, quid sibi velit *munimento sequi*; nam ego sane non intelligo. Ad ea docet Drak. consedisse dictatorem, qua situs riparum permitteret, ut munimento sive vallo interposito tectus eas adire posset. Qua enarratione nihil horum, quæ oportuit, docemur, nec quid sit *munimento sequi,* quibusve auctoritatibus innitatur hoc dicendi genus, nec cur e regione amnis potissimum muniri castra debuerint, quasi ex ea parte, ratibus videlicet, aggressurus fuerit hostis, nec quid attinuerit eandem rem duplici verbo (*munimento* et *vallo*) declarari. Legendum est : « ... consedit in utrius- » que ripis amnis, quas sequi munimento poterat nullo inter- » posito. » Cupiebat enim dictator a ripis non abscedere, sed secundum eas castra movere, quum aquationis causa, tum quia nullo ad amnem versus munimento egebat, quum ipse amnis pro munimento esset.

Cap. XIX, 5. — Quum a Romanis pedites quidem Etrusci fusi essent, sed equites certamen traherent, ac maxime eorum rex Tolumnius victoribus effuse sequentibus obequitans trepidationem injiceret, eum Cornelius Cossus equo dejecit occiditque. **Vulg.** : « Tum exsangui detracta spolia, caputque abscisum victor spiculo » gerens terrore cæsi regis hostes fudit. Ita equitum quoque fusa » acies, quæ una fecerat anceps certamen. Dictator legionibus » fugatis instat... » Jure Madvigius hæsit in ea ingrata tautologia *hostes fudit. Ita fusa* (*est*) *acies*. Sed quod pro *fudit* scribi suadet *perfudit,* ea emendatione minuitur, non tollitur vitium. Relinquitur enim admodum frigida illa conclusio *Ita equitum... certamen*. Minore conatu sic sanabitur oratio : «... hostes fudit. Ita, » equitum quoque fusa acie, quæ una fecerat anceps certamen, » dictator legionibus fugatis instat. »

Cap. XX, 11. — (De ea controversia, tribunusne militum an consul secunda spolia opima ceperit Cornelius Cossus.) **Vulg.** : « Ea libera conjectura est; sed, ut ego arbitror, vana versare in » omnes opiniones licet, quum auctor pugnæ, recentibus spoliis » in sacra sede positis,... se A. Cornelium Cossum consulem scrip- » serit. » Quam perplexa hæc sint, vel ex eo æstimari potest, quod etiam ad prima verba, etsi reliquis magis perspicua, erravit Perizonius, dum interpretatur *ea mera conjectura est*; interpretandum erat *de ea re liberum est omnibus conjecturam facere,* eodem sensu quo paulo supra dictum erat *existimatio communis omnibus est*. Cetera editores utrum qualiacumque relinquere, nulla reperta medela, coacti sint, an intelligi posse crediderint, incertum est. Mihi nec liquet quid sit *aliquid versare in omnes opiniones,* nec cetera intuenti quicquam aliud ex hac nebula emergere videtur, nisi spurca repugnantia. Itane, quia certissimum exstat Cossi testimonium, quo se consulem eo tempore fuisse asseveravit, ideo vanas de ea re opiniones versare, id est, ipsum illud testimonium in suspicionem vocare, licet? Immo vero dici debuit *non licet*. Quid requireret sententia, perspexit Wagne-

rius, cujus haud scio an recipienda fuerit illa emendatio : « Ea » libera conjectura est, sed, ut ego arbitror, vana ; aversari » omnes opiniones licet, quum... » Proxime huic ego suspicatus eram : «... vana ; an versare inanes opiniones licet, quum... scrip- » serit ? »

Cap. XXIV, 2. — **Codd., Drak., Weiss.** : « Itaque quum » renuntiatum a mercatoribus esset negata Veientibus auxilia » (ab Etruscis esse), jussosque suo consilio bellum initum suis » viribus exsequi, nec adversarum rerum quærere socios, cum » quibus spem integram communicati non sint, tum dictator... » Quum nusquam alibi forma passiva *communicor* activa significatione reperta sit, Madvigius, auctore Jac. Gronovio, substituit *communicari non sirint*. Quæ lectio aliena est ; neque enim hic agitur (vide Periz. ad Sanctii Min., I, 15), quid Veientes non siverint ab aliis fieri, sed quid ipsi non fecerint. Præterea vox *sirint*, id quod olim monuit Drak., a Livio usurpari non solet nisi in vetustis formulis, ut quæ inter antiquatas fuerit. Forte scribendum *communicari noluerint* (*nolu'int*).

Cap. XXV, 14, et XXVI, 1. — **Vulg.** : «... senatus consultum » factum est, ut consularia comitia (non tribunorum militum » consulari potestate) haberentur. Tumultus causa fuit, quem ab » Æquis et Volscis Latini atque Hernici nuntiarunt. » Cujus rei hic tumultus fuerit causa vel occasio, nempe comitiorum consularium, etsi dispici potest, tamen disertius declarari oportuit. Jampridem offenderam ad illud *causa fuit* absolute positum, quod parum latine dictum, certe non Livianum, videbatur. Suspicionem auxerunt prolatæ nuper lectiones codicis Veronensis, ubi scriptum est *causæ fuerunt quem*. Vix dubito quin substituendum sit *Tumultus causa fuerunt* (scil. ea comitia consularia), ita ut vox *causa* ablativo casu accipienda sit.

Cap. XXVIII, 7. — **Vulg.** : « Jam ne duces quidem Romani in- » cruenti pugnant. Unus Postumius ictus saxo, perfracto capite, » acie excessit ; non dictatorem humerus vulneratus, non Fabium » prope affixum equo femur... ex tam ancipiti pugna summovit. » Duo Postumii inter duces Romanos erant, A. Postumius dictator et Sp. Postumius legatus. Idcirco hujus nulla ante mentio facta est, nisi adjecto pronomine, quo a dictatore distingueretur. Hic quoque, geminandis litteris *sp*, quarum altera desinit *unus*, altera incipit *Postumius*, scribendum est *Unus Sp. Postumius*.

Cap. XXX, 12. — Postquam memoratum est A. Cornelio Cosso, T. Quinctio Penno consulibus successisse C. Servilium Ahalam, L. Papirium Mugillanum, paulo infra non sine admiratione legitur eo ipso anno T. Quinctium consulem rogationem ad populum ferre, immo eundem T. Quinctium deinde creari tribunum militum ex consulatu. Ibi reprehendunt quidam Livii levitatem, nec dubitat Madvigius hanc notam subjicere : « Livius errore superioris anni » consulem in hunc transtulit. » Enimvero reprehenderent temeritatem ipsi suam, qui crediderint sanæ mentis hominem bis intra paucos versus adeo stulte sui oblitum esse, neque ibi fœdam interpolationem, luce clariorem, suspicati sint. Verba crimini data hæc sunt (præcessit mentio de peregrinis superstitionibus Romam advectis, in quas animadversum est) : « Iræ adversus Veientes in » insequentem annum, C. Servilium Ahalam, L. Papirium Mugil- » lanum consules, dilatæ sunt. Tunc quoque, ne confestim bellum » indiceretur, neve exercitus mitterentur, religio obstitit ; fetiales » prius mittendos ad res repetendas censuere..... Pervicere » tribuni... ut Quinctius consul de bello ad populum ferret..... Tri- » buni militum consulari potestate quattuor creati sunt, T. Quinc- » tius Pennus ex consulatu, C. Furius... » Ut argumentum omittam, quod ex ipsa sententiarum repugnantia suppetit, cetera omnia evincunt illas voces *C. Servilium Ahalam, L. Papirium Mugillanum consules* ab aliquo interpolatore intrusas esse, qui, quum hos consules fortasse apud Cassiodorum invenisset, eos errore apud Livium prætermissos existimaverit, maxime ansam præbentibus ad interpolandum verbis *in insequentem annum*. Primum enim de eorum consulatu nihil omnino memoravit Livius, ne ut doceret quidem nihil eos memoratu dignum egisse, id quod in talibus consulibus addere solet (vide hoc ipso capite § 4). Deinde, quoniam Veiens bellum, si interpolatorem audimus, in annum Servilii Papiriique dilatum erat, qui credibile est id bellum ab iis ne inchoatum quidem esse, sed integrum annum exemptum esse fetialibus mittendis ac deliberando utrum senatus consulto an populi jussu bellum indiceretur ? Facile autem duabus his rebus absumi potuit reliquum anni, quo Quinctius consul fuit. Præterea ipsum dicendi genus, vix Latinum, alienam manum arguit. Velim Livii, ne dicam cujuslibet boni scriptoris, afferatur alterum exemplum hujusmodi *in insequentem annum, Servilium, Papirium consules* ; ubi ne illud quidem iniri potest, quomodo expediatur oratio, utrum nomen

consules pendeat ex præpositione *in*, admodum prave subaudita (tunc enim dici debuit *in annum et consules*), an per appositionem mirificam ad nomen *annum* referatur. Denique illud maxime fidem facit, quod, si suspecta verba sustuleris, jam et sententiæ et verba omnia nulla offensione, nedum repugnantia, decurrent, hoc modo : *Iræ adversus Veientes in insequentem annum* (h. e. in eum annum, quo tribuni militum quattuor creati sunt : vide ad cap. xxxi, 1), *dilatæ sunt. Tunc quoque* (h. e. etenim, etsi peracta re de superstitionibus quæ Veiens bellum distulerat, tamen tunc quoque, id est, in exitu ejus anni, quo A. Cornelius et T. Quinctius consules erant), *ne confestim bellum indiceretur, neve exercitus mitterentur* (h. e. ne iræ adversus Veientes non differrentur in insequentem annum), *religio obstitit* (h. e. iterum differre id bellum religio coegit). Quæ quum ita sint, nihil jam mirum est Quinctium, cujus consulatus nondum exactus erat, tulisse de bello ad populum, eundemque ex consulatu tribunum militum creatum esse. Tenendum est igitur Livium de consulatu Servilii Papiriique tacuisse. Fac errore prætermiserit, quid hoc præ portentosa illa repugnantia? Errore autem prætermisisse, quis contenderit? Nam et sæpe a Cassiodoro dissidet, et ipsum Cassiodorum non semel errasse compertum est. Ne Diodorus quidem horum consulum meminit; immo apud eum in his decem annis vix quattuor aut quinque nomina consulum consulariumve tribunorum reperiuntur, in quibus ei cum Livio conveniat.

Cap. XXXIV, 4. — **Recc.** : «... singulis captivis ab equite » ac centurione sorte ductis, et, quorum eximia virtus fuerat, » binis... » Admodum dure ante *quorum* subaudire cogimur *ab iis* (equitibus ac centurionibus), eoque incommodius, quod hi equites centurionesque singulari numero ante enuntiati sunt. Hoc certe excedere videtur Livii consuetudinem, qui in talibus sententiarum conformationibus in hunc modum eloqui solet : *Exin Mutine, et, si quorum merita erga populum Romanum erant, in senatum introductis* (XXVII, v, 6). Hic quoque malim *et, si quorum eximia virtus fuerat.*

Cap. XXXVII, 9. — **Codd., Drak.** : « Clamor indicium primum » fuit, quo res inclinatura esset; excitatior crebriorque ab hoste » sublatus; ab Romanis dissonus, impar, segnius sæpe iteratus, » incerto clamore prodidit pavorem animorum. Eo ferocior illatus » hostis urgere scutis, micare gladiis. » Præcipuum ibi vitium est

clamor incerto clamore prodidit, ad quod sanandum multa nequicquam tentata sunt; Madvigius substituit *incerto tenore,* parum feliciter. Deinde offendit *sublatus* pro *sublatus est,* quum sequatur *prodidit.* Aliud adjiciam, per se quidem leve, sed unde hunc locum opinor turbatum esse. Etsi similis inconcinnitatis quædam exempla ex Livio proferri possunt, tamen cum ipsius consuetudine minus congruit dici hinc *ab hoste*, illinc *ab Romanis*; exspectabatur aut *ab hostibus,* aut *ab Romano*. Inde conjicio sic omnia hæc emendanda ac describenda esse : « Clamor indicium » primum fuit, quo res inclinatura esset, excitatior crebriorque » ab hoste sublatus, ab Romano dissonus, impar, segnius sæpe » iteratus. Ut incerto clamore prodidit pavorem animorum, eo » ferocior illatus hostis... »

Cap. XLI, 7. — (Postquam Tempanius tribunis invidiose de Sempronio consule interrogantibus respondit.) **Vulg.** : « Precan» temque deinde, ne se fessum labore ac vulneribus tenerent, cum » ingenti laude non virtutis magis quam moderationis dimissum. » Rationem inire non possum, cur relictum sit verbum *dimissum,* apertissime solœcum, quippe ubi nullus est obliquus sermo. Scribendum est *dimittunt,* scil. tribuni. Nam, etsi unus tribunus C. Julius interrogaverat, is non suo unius nomine, sed et collegarum (vide xl, 4), verba fecerat; neque eum præcipue precabatur Tempanius, sed omnes tribunos, ne se tenerent.

Cap. XLIII, 4. — (De duplicando quæstorum numero.) **Recc.**, ex conjectura Gronovii : « Quam rem, præter duos urbanos quæs» tores duo ut consulibus ad ministeria belli præsto essent,... » **Codd.** : *duo qui consulibus...* Parum apto loco posita est conjunctio *ut*; quæ, etsi sæpissime apud Livium reperitur in medio verborum ambitu collocata, tamen, quum in ea inest vis declarandi explicandique, tum solet huic voci statim adjungi, quam declaratura est; ideo ea vocem *rem* subsequi debebat. Rectius in veteribus editionibus scriptum fuerat *Quam rem, ut præter...* (omissa deinde codicum voce *qui*). Et facile *ut* post *rem* potuit intercidere (*rēut.*) Præterea aliquid videtur deesse : neque enim mos est dici *præter duos quæstores duo creati sunt,* sed *duo alii creati sunt.* Atque illam ipsam vocem *alii* corruptæ voci *qui* substituendam esse non dubitabit, qui meminerit quoties eæ voces in mss. permutatæ sint. Ne vulgata exempla commemorem, vide apud nos XXIV, x, 11, ubi deprehenditur item *qui* pro *alii*; XXXIII,

XXXVI, 3, ubi *alios* pro *quos*; XXXIV, II, 12, ubi *aliam* pro *quam*. Itaque legendum videtur : « Quam rem, ut præter duos urbanos » quæstores duo alii consulibus... præsto essent... »

Cap. XLIII, 5. — (Quum petissent tribuni plebis ut pars quæstorum ex plebe fieret.) **Madv.** : « Adversus quam actionem » primo et consules et patres summa ope adnisi sunt : conce- » dendo deinde ut, quemadmodum in tribunis consulari potestate » creandis jus sissent adæquari, ita in quæstoribus liberum esset » arbitrium populi, quum parum proficerent, totam rem... omit- » tunt. » (**Codd.** : *creandis usi sunt adæque in quæstoribus.*) Hæc sic accipio : Quoniam olim litem composuimus sinendo jus æquari, nunc quoque æquetur, et liberum sit populi arbitrium. Quæ si vera interpretatio est, inepte videntur patres juris æquationem prætendere, quippe quod argumentum anceps fuerit, nec magis ipsorum quam tribunorum causam adjuverit : neque enim magis æquabatur jus, libero arbitrio civibus permisso, id quod volebant patres, quam divisis inter patricios plebemque quæstoribus, id quod volebant tribuni plebis. Illa altera forsitan tentetur interpretatio : ut, quo æquandi juris genere in tribunis consularibus creandis sivissent liberum populi arbitrium esse, eodem, non alio, in quæstoribus liberum esset. Sed, etiam si eo sensu accipi liceret locutionem *quemadmodum... ita,* de quo valde dubito, ne tunc quidem recte se habere orationem existimarem, sed dici debuisse : ut, quemadmodum in tribunis consularibus jus sissent adæquari, ita in quæstoribus adæquaretur (nempe libero arbitrio civibus permisso potius quam divisis quæstoribus). Ego, antequam hanc emendationem in posteriore tantum Madvigii editione viderem, in idem fere verbum incideram, sed sententia dissimili, et codicum vestigiis pressius observatis, hoc modo : « concedendo deinde ut, quem- » admodum in tribunis consulari potestate creandis jussissent » (h. e. jussisset populus, quæ vis est verbi *jubere*), id æque in » quæstoribus liberum esset arbitrium populi... » Quæ postrema sic interpretor : *id arbitrium populi* (h. e. ea eligendi facultas, quæ utique populi erat; namque, etiam si ex solis patriciis quæstores creandi fuissent, creaturus erat populus) *liberum esset* (h. e. nulla lege finiretur, sed quoscunque vellet, sive ex patriciis, sive ex plebe, quæstores eligeret) *æque* (h. e. non minus quam in tribunis consularibus creandis). Illud *id æque* præferunt codices quidam, et vetustæ editiones.

Cap. XLIV, 3. — (Queruntur tribuni plebis suos comitiis tribuniciis quæstoriisque jacuisse.) **Madv.** : « Furere omnes tribuni » plebi, ante omnes Pompilius Antistiusque, repulsa suorum » accensi. Quidnam id rei esse? Non suis beneficiis, non patrum » injuriis,... si non tribunum militarem, ne quæstorem quidem » quemquam ex plebe factum! » (**Codd.** : *id rei esset quod non suis*). Ceteri quidem editores, contra legem obliquæ orationis, retinuerunt *esset,* sed omnes consentiunt in delenda codicum voce *quod.* Una modo littera correcta, standum fuit codicum verbis, legendumque : « Furere omnes tribuni plebi,... repulsa suorum » accensi, quidnam id rei esset. Quid? non suis beneficiis, non » patrum injuriis,... quemquam ex plebe factum? » Nam *furere quidnam id rei esset* nihil aliud est quam *furentes interrogare quidnam id rei esset.* Cf. apud nos II, LVIII, 5.

Cap. XLVIII, 2-4. — **Vulg.** : « Quum (duo tribuni plebis) roga- » tionem promulgassent, ut ager ex hostibus captus viritim divi- » deretur, magnæque partis nobilium eo plebiscito publicarentur » fortunæ (nec enim ferme quicquam agri, ut in urbe alieno solo » posita, non armis partum erat, nec, quod venisset assigna- » tumve publice esset, præterquam plebs habebat), atrox plebi » patribusque propositum videbatur certamen. » Incredibilia hæc videntur. Etenim non liquet, cur sola plebs illos agros habuerit, qui venierant, quasi sola habuerit, unde eos emeret; longe secus fuisse, omnes norunt. Ne illud quidem liquet, cur, quum ante dictum sit nobilium fortunas eo plebiscito publicari, præcipua deinde mentio fiat fortunarum plebis, quasi plebis, non nobilium, bona in discrimen adducta sint. Immo paupertas plebis, divitiæ nobilium monstrandæ erant. Opinor ego vocem *præterquam* loco suo motam in alienum irrepsisse, et in hunc modum digeri verba oportere : « nec enim ferme quicquam agri... non armis partum » erat, nec, præterquam quod venisset assignatumve publice esset, » plebs habebat... »

Cap. LVI, 13. — (Quum senatus adversus tribunos militum, auctoritatem suam spernentes, appellaret tribuniciam potestatem, respondent tribuni plebis, tum se senatui auxilio fore, quum sibi plebique a patribus satis factum sit.) **Codd.**, excepto V, **Drak.** : « Interim patricii, soluti legum magistratuumque verecundia, per » se quoque tribuniciam potestatem agerent. » **Weiss.**, **Madv.** (in altera demum Emendationum Liv. editione) : « ... verecundia

» per se quoque et tribuniciam potestatem agerent. » Posteriorem hanc lectionem nisi Madvigius enarrasset, fateor me longe aliter, ac voluit, interpretaturum fuisse; nec satis scio, idemne voluerit Weissenbornius. Sic enim explicat : *Interim patricii, se* (i. e. tribunis plebis) *quoque sinentibus, agerent* (i. e. viverent) *soluti legum magistratuumque verecundia.* Quæri potest, quid opus fuerit ista tautologia *per tribunos et tribuniciam potestatem* ; aut cur tribuni plebis non iis, a quibus appellantur, respondeant, sed iis, adversus quos appellantur : eos enim, quos sinunt legum verecundia solutos vivere, tribunos militum esse patet. Advocat Madvigius atque ad se trahit codicis Veronensis lectionem, etsi paulum discrepantem; quæ sic habet : *verecundia***** potestatemquæ tribuniciam agerent,* ubi evanuerunt fere quinque litteræ, verisimiliter *per se.* Ex his ipsis vestigiis, cum vulgata scriptura collatis, haud scio an verior alia lectio elici queat. Illam enim vocem *quæ,* sive *que* (quam pro *quoque* scriptam esse ceteri codices indicare videntur; et hæ voces sæpissime in mss. permutatæ sunt), si suo loco in Veronensi, alieno in ceteris positam putaveris, inde efficitur : « Interim patricii, » soluti legum magistratuumque verecundia, per se tribuniciam » quoque potestatem agerent. » Opinor his verbis *soluti magistratuum verecundia* non præsentem modo tribunorum militarium superbiam designari (nec vero senatores nuncupari magistratus mos erat), sed etiam illatas tribunis plebis injurias, quum sæpe in eis patricii juvenes ne manibus quidem abstinuerint (Cf. III, 11 et 14). Quod attinet ad verba *agere potestatem,* quæ vix latine dicta videri ait Madvigius, Cf. Flor., I, VII, 2 : *scelere partam potestatem non melius egit quam acquisierat*; Id. I, VI, 2 : *regnum dolo partum sic egit industrie, ut...* Piget referre quoties Livius aliique dixerint *agere censuram, agere publicum ministerium, agere curationem alicujus rei, acti consulatus, acti honores,* etc. Denique, quod censet Madvigius illam tribunorum plebis irrisionem parum aptam esse (atque ibi allatam ejus rei explicationem non satis assecutus sum), nihil immo aptius convenientiusque videtur hoc responso : Quando quidem nos civium numero non habetis, atque omnes honores vobis solis vindicatis, vindicate agitedum illam quoque, qua nunc egetis, vim tribuniciam, ipsique exercete.

CAP. LVIII, 9. — (Postquam ad populum latum est de bello Veientibus indicendo.) **Vulg.** : « Fremere juventus, nondum debellatum cum Volscis esse; modo duo præsidia occidione occisa, » et cum periculo retineri; nullum annum esse, quo non acie dimicetur. » Quæ quum ferri non posse videret Madvigius, sic castigavit : « duo præsidia occidione occisa, alia cum periculo re- » tineri..., » minore forsitan offensione, pari vitio, etsi sibi visus est id probe vitasse, quod in aliis reprehenderat. Nihilominus ista præsidia, prout prius posteriusve membrum spectas, Janum imitantur, hinc homines, hinc locum exhibentia. An si dicas : *duo signa ex hoste capta sunt, alia templis detracta,* contendas per hæc postrema statuas intellegi posse, quia interposueris *alia*? Ego emendationem arbitror minus ex mera conjectura quam ex consideratione illorum temporum petendam. Etenim mirum est juventutem, in hac laborum suorum commemoratione, non illius populi meminisse, qui paucis ante annis infestissimus sibi ac maxime metuendus fuisset, postremo ne devictus quidem quievisset, sed Volscos proximo bello adjuvisset. Hujus populi nomen *Æcum* (ea enim vulgo codicum scriptura, non *Æquum*) sub vocibus *et cum* latere pro certo habeo. Inde sic interpungenda oratio : « Fremere ju- » ventus, nondum debellatum cum Volscis esse, modo duo præsidia » occidione occisa; Æquum periculo retineri... » h. e... cum Volscis esse, ut qui duo præsidia modo occiderint; Æquum solo periculo deterreri a bello movendo. Ita dici solet *aliquem retinere in officio*; ita et Ter. *Adelph.,* I, I, 32 : *liberos retinere metu.*

CAP. LVIII, 12. — **Codd., Drak., Weiss.** : « (Plebem) procul » urbe haberi atque ablegari, ne domi per otium memor libertatis » coloniarumque, aut agri publici aut suffragii libere ferendi consilia » agitet. » Ait Madvigius libertatem et colonias prorsus perverse copulari, ideoque ipse resecat copulam *que.* Immo perverse ea resecatur. Annon coloniæ et ager publicus unam eandemque rem significant? Annon colonis assignabatur ager publicus? Itaque *agitare consilia coloniarum aut agri publici* nihil aliud est, nisi inepta redundantia. Voluit Livius libertati suffragium, coloniis agrum publicum respondere : sicut libertatis memor plebs suffragii libere ferendi consilia, ita coloniarum memor agri publici consilia agitabat. Quod autem, quæ inter se respondent verba, non eodem ordine in utroque periodi membro posita sunt, id nemo mirabitur, nisi qui Livium nunquam attigerit.

CAP. LX, 3. — **Codd., Drak.** : « (Tribuni plebis) negare id tam » lætum patribus universis nec prosperum fore, quam ipsi crede- » rent. » Mentio patrum ibi aliena est; neque enim patres alloque-

bantur tribuni, neque patrum, sed plebis, curam agebant. Quamobrem scripsit Weiss. *patribus universisve,* Madvigius [*patribus*] *universis*, neuter probabiliter : nam offendit adjectivum *universis* nomine destitutum. Opinor ego reponendam esse priscarum editionum lectionem *partibus universis,* quam, quum revocasset Alchefskius, damnavit Madvigius, causatus partium mentioni nullum ibi locum esse. Sed, mea quidem sententia, non satis intellectam alter revocaverat (id quod ex notis ejus patet), alter damnavit. Videtur enim *universis partibus* eodem sensu accipiendum esse, quo *omnibus partibus* vel *in omnes partes* (gallice *de tout point, sous tous les rapports*), cujus locutionis exempla multa, maxime ex Cicerone, in lexicis relata sunt.

LIBER V

Cap. XIII, 12. — (In castra Romanorum, Veios obsidentium, impetum fecerant Capenates Faliscique, et repulsi erant.) **Codd.** : « Repulsos deinde insecuti victores ingentem ediderunt cædem ; nec » ita multo post, jam palantes veluti forte oblati populatores Cape- » natis agri, reliquias pugnæ absumpsere. » Manserunt quidem in editis libris ea verba, sed ideo tantum relicta esse patet, quia nulladum, quæ satis placeret, excogitata sit emendatio. Damnata certe ab omnibus videntur, ex quo Drakenborchius monuit, Dukerum seque in voce *veluti* offendisse : populatores enim Capenatis agri non *veluti forte*, sed *revera forte* oblatos esse. Eis vulgo assensum est, quærique cœpta sunt remedia. Madvigius, exorsus ipse ab insectatione vocis *veluti*, inter alia, quæ præterea de hoc loco copiose disseruit, contendit Romanos persequentes non posse iis ipsis, quos persequantur, offerri, hoc est, ex adverso occurrere ; ad hoc, substantivo *populatores* declarari, non eosdem, qui vicerint, sed alios homines ; prave denique inter *palantes* et *populatores* interponi *forte oblati* ; inde apparere, quæ fuerit Livii sententia, eaque verba in hunc modum emendanda esse : *nec ita multo post, jam palatis, velut in tuto forent, oblati populatores...* Nec deest demonstratio, quomodo error ortus sit, et multorum similium mendorum commemoratio. Vereor ego, ne hic in supervacuum tumultuatum sit, neve temere sollicitaverint interpretes, quæ non intellexerint. Fefellit eos, *veluti* ad vocem *populatores* referendum esse, et *oblati* cum nomine *agri* jungendum, hoc sensu : paulo post Romani, jam palantes, veluti non jam persequendus hostis foret, sed populandus

Capenas ager forte oblatus ad prædam, reliquos hostes sparsos ceciderunt. Additum est *veluti*, quia Romani non tanquam populatum eo venerant, sed hostium fuga temere adducti. Dicitur is ager *oblatus*, eodem sensu quo *oblata ex agro præda* (Cf. Q. C., III, x, 6 : *spolia totius Orientis offerri*), neque ea vox quicquam ambigui habet, ut quam statim illustret vox *populatores*. Sed, opinor, ne eo quidem sententiæ supplemento opus est, et *oblati* per se rem absolvit. Cf. emend. nostram ad XLV, xliv, 1.

Cap. XVII, 7. — **Codd.** : « Antea se id (auxilium) Veientibus » negasse..., nunc jam pro se fortunam suam illis negare, maxime » in ea parte Etruriæ. Gentem invisitatam, novos accolas Gallos » esse... » Ut locum suspectum, necdum sanatum, ego quoque attrectem, illud videtur, etsi diffidenter, proponendum : « negare » maxime. Nunc apparere Etruriæ gentem invisitatam; novos...» (*ineaparte*=*ncappar'e*).

Cap. XXV, 6. — (Verba Camilli indignantis non persolvi a populo votum, quo ipse decimam prædæ Veientis partem Apollini voverat.) **Vulg.** : « Enimvero illud se tacere suam conscientiam non » pati, quod ex ea tantum præda, quæ rerum moventium sit, de- » cima designetur; urbis atque agri capti, quæ et ipsa voto con- » tineantur, mentionem nullam fieri. » Ibi enallagen notavit Dukerus; cui assensus Madvigius monuit (Em. Liv. ad XXIX, x, 3) dicendum fuisse *mentio nulla fiat*, ut cum prioribus verbis *decima designetur* posteriora congruerent. Nullam ibi enallagen esse reor, sed eos errasse, simulque omnes, quibus placuit vulgata interpunctio. Totius enim loci hæc summa est : Tacere non possum, quoniam ex rebus tantummodo moventibus decimam designari video, urbis atque agri capti mentionem nullam fieri (id est, mentionem debuisse fieri), ita ut postrema tantum pars ex verbo *tacere* pendeat. Namque illud unum cives monebat Camillus, urbis et agri mentionem debuisse fieri : de decima designata nihil erat quod eos moneret, ut qui eam designatam esse, non minus quam Camillus ipse, scirent. Itaque proba hæc sunt, sed sic distinguenda : « ... decima designetur, urbis atque... »

Cap. XXVI, 10. — **Codd.**, **Vulg.** : «... videbaturque æque diu- » turnus futurus labor (in obsidendis Phaleriis) ac Veiis fuisset, » ni fortuna imperatori Romano simul et cognitæ rebus bellicis » virtutis specimen et maturam victoriam dedisset. » Verborum *cognitæ rebus bellicis virtutis specimen dedisset* quis sensus, huic loco aptus, esse possit, non reperio, neque, ut videtur, repererunt alii; quis esse debeat, facile conjici potest, nempe occasionem Camillo oblatam esse, quum mature vincendi, tum eximiam justitiæ fideique laudem referendi, remissis Faliscorum liberis, quos ludi magister ipsi tradiderat. Venerat in mentem *simul incognitæ rebus bellicis virtutis specimen*, h. e. virtutis quæ non fere in bello et adversus hostes exhiberi solet. Ceterum hoc, quod mei juris esse credideram, quum deinde Gronovii notas relegerem, vidi ab aliquo ejus amico jamdiu occupatum ; mirum est, huic tam aptæ simplicique emendationi prudentem et recti judicii virum suam prætulisse, qua non minus quinque voces mutari voluit.

Cap. XXIX, 4. — **Codd.**, **Vulg.** : « Colonorum pars maxima » incolumis... Romam perfugere. » Hæc sic scripta esse apud Weissenbornium non miror, qui *incolumis* pro *incolumes*, sicut in mss., scribere soleat. Sed Drak. Madvigiumque, quorum alia est consuetudo, patet adjectivum *incolumis* singulari numero accipi voluisse, idque ad nomen *pars* retulisse. Quod ego non Livianum, immo vix Latinum puto, sequente plurali verbo *perfugere*. Sane adjectiva sæpe concordant cum collectivo substantivo, etsi sequente plurali verbo, sed ea tantummodo, quæ cum substantivo cohærere neque ab eo divelli posse sensus arguit; ut apud Vergilium *At chorus æqualis Dryadum clamore supremos Implerunt montes*, ubi manifestum est substantivo et adjectivo unam eandemque rem significari, ideoque non posse alterum ab altero disjungi. Hic autem, salvo sensu, dici potuit : Colonorum pars maxima, quum incolumes essent, Romam perfugere. Ut ratio, ita Livii mos jubet scribi *incolumes*; Cf. V, xlv, 3 : *magna pars in agrum Antiatem delati circumveniuntur*; X, ii, 11 : *pars capti classem indicant tria millia abesse*; XXI, xxxii, 9 : *equorum pars magna nantes loris a puppibus trahebantur*... Aliter quidem II, v, 3 ; sed hic locus Perizonio jure suspectus fuit (1).

Cap. XXX, 7. — (Quum ferretur lex, ut Veios populus migraret, patres autem orarent ne patria desereretur.) **Vulg.** : « Quia... » inter preces multa deorum mentio erat, religiosum parti maximæ

(1) De hac singularis pluralisque numeri confusione post collectiva nomina quam faciles olim grammatici fuerint, scire si libet, cf. Drak. ad XXXV, 26, 9, ubi viginti septem exempla id genus congessit. Ex his plus decem hodie correcta sunt; reliqua pleraque aliter, ac voluit, expedienda videntur; ita ut sex aut summum septem legitima supersint.

» fuit. » Quid religiosum fuerit, definiri debuisse opinor, et scribi : « ... erat, id religiosum... » Definitio enim adjici solet, ut V, XL, 10, et V, LII, 8.

CAP. XXXIV, 6. — **Vulg.** : «... (Alpes) nulladum via, quod » quidem continens memoria sit, nisi de Hercule fabulis credere » libet, superatas. » Ad verba *quod continens memoria sit*, frustra doctorum virorum invocaverimus opem. Sigonius Perizoniusque mutanda censuere. Contendit Gronovius *quod memoria sit* figuram quandam loquendi esse pro *quod factum esse memoria sit*, quam infelicem opinionem æque infeliciter tuitus est, dum pleraque exempla sumit ex corruptis locis, hodie aut sanatis aut certe aliter scriptis. Drakenborchio Ernestioque placuit *continens sit* idem esse quod *contineat*, nequaquam probabiliter. Horum dissensio, aliorum in re perplexa silentium depravatæ lectionis indicium est. Forte *quoad quidem continens memoria sit*, h. e. quatenus, quam longe extendatur memoria continua, non interrupta.

CAP. XXXIX, 4. — (Quum victores Galli ad portas Romæ consedissent.) **Vulg.** : « Romani, quum... nemo superesse quemquam, præter » eos qui Romam refugerant, crederet, complorati omnes pariter » vivi mortuique totam prope urbem lamentis impleverunt. » Hæc maxime propter auctoritatem Gronovii retenta esse opinor, cui elegantissima visa sunt. Ut concedam de verborum elegantia, ne dicam audacia, quæ utique magis carmina quam prosam orationem redolet, res ipsa non cohæret. Quoniam enim a Gallis ad Romanos transitur, apparet alteros alteris sic opponi, ut, edocti quid Galli fecerint, statim post edoceamur quid interim fecerint Romani. Qui autem credibile est, Gallis ad urbem stantibus opponi, non eos Romanos qui in urbe erant, sed Romanos absentes mortuosque? aut adeo incommode initio periodi positam esse vocem *Romani*, qua universus populus Romanus declarari videretur, ut in fine tantum, et quidem post duo interjecta membra, agnosceremus falsam nobis objectam esse speciem? Id sensisse Perizonium Drakenborchius monuit. Licet igitur meliores codices pro vulgato stent, tamen, cogente sententia, revocanda videtur illa lectio, quam Sigonius ex suo libro prompserat, quum præsertim eandem in septem aliis codicibus repertam esse constet : « Romani,... comploratis om- » nibus pariter vivis mortuisque, totam prope urbem lamentis » impleverunt. »

CAP. XL, 9. — **Vulg.** : «... plaustro conjugem ac liberos vehens... » Libidinose hic cum Livio actum esse fatendum est, quum codices, ne Veronensi quidem excepto, exhibeant *habens*, id quod retinuerant vetustæ editiones. Frustra affertur Valerius Maximus; suum *vehens* ille sibi habeat.

CAP. XLII, 6. — (De Romanis arcem tenentibus, quum urbem dirui incendique a Gallis viderent.) **Codd.** : « Nec tranquillior » nox diem tam fœde actum excepit, lux deinde noctem inquietam » insecuta est; nec ullum erat tempus, quod a novæ semper cladis » spectaculo cessaret. » Hæc neque prava neque obscura sunt. Is enim ordo est : nec tranquillior aut nox aut lux insequens fuit, nec tota illa nocte ac luce ullum erat tempus quod..., ita ut ad utrumque nomen *nox* et *lux* referatur adjectivum *tranquillior*, et inter se respondeant utræque voces *nec*, in quibus eadem inesse videtur gradatio, ac si scriptum esset *quum... tum*. Ibi perperam recentiores, ex Gronovii conjectura, scripserunt *inquieta*, parum curantes quam supervacua deinde fieret vox *noctem* (verba enim *noctem inquietam* respondent verbis *diem tam fœde actum*), et quidem parum attendentes ad ipsius auctoris adnotationem, in qua ipsius error perspicue deprehenditur. Ait enim Gronovius probaturum se fuisse *inquietam*, si aliquid ejusdem sensus (h. e. aliquod adjectivum simile) adjunctum esset τῷ *lux*, quum proxime *nox* dicta fuerit *tranquillior*. Hinc patet unam illam ei fuisse causam mutandi, quod vocem *lux* destitutam existimaret, nec videret idem adjectivum utroque pertinere. Ceterum illud magis mirabile est, Drakenborchium, quum duplicem illam adjectivi relationem suspicatus esset, tamen neglexisse, immo retentam utcumque codicum lectionem ea interpunctione adornasse, ut ipse nihil omnino intellexisse videretur.

CAP. XLIV, 1. — (Ex oratione Camilli ad Ardeates.) **Vulg.** : « ... novi cives mei, quando et vestrum beneficium ita tulit, et « fortuna hoc egit mea... » *Hoc egit* pro *hoc voluit* Latini non dixerunt. Codices tamen consentiunt, nisi quod **C** habet *hoc ego ita*, atque altera manu *hoc ego id*. Inde quum scribendum putavissem *hoc eguit mea*, postea ex notis Weissenbornii cognovi eam emendationem jam ante propositam esse spretamque. Veram Livii lectionem Walkerum vidisse, alios inscite fastidisse, hæc evincunt (XXXVII, XXXVI, 6) : *aliis deos precor ne unquam fortuna egeat mea, animus certe non egebit.*

Cap. LIV, 3. — (Ex oratione Camilli ad Quirites.) **Vulg.** : « Fa- » tebor vobis, etsi minus injuriæ vestræ quam meæ calamitatis » meminisse juvat... » Sententiæ vitium præclare explicavit Gronovius, nec eam pro more suo Dukerus, sed meris argutiis, expedire conatus est. Nihil profecit Madvigius deleta voce *meæ*; namque illud fere relinquitur : *etsi magis calamitatis vestræ quam injuriæ meminisse juvat*; quasi verbum *juvat* non æque ab utraque re abhorreat. Hæc suspicor jam antiquitus ab indocto castigatore depravata esse, quem deceperit vox *minus*, male pro comparativo habita, quum negatio tantum sit; inde eum voci *aut* substituisse *quā*. Postulat certe sententia : « etsi minus injuriæ vestræ aut meæ calamitatis meminisse juvat. » Potest etiam conjici *atque*, ita ut litteræ *at* exciderint ob præcedentes *ae*.

Cap. LIV, 4. — (Ex eadem oratione.) **Vulg.** : «... mare vicinum » ad commoditates, neque expositum nimia propinquitate ad pe- » ricula classium externarum... » Recte diceretur, minorem periculi causam, urbe longius sita, mari esse; sed intellegi nequit, cur, propter eam longinquitatem, ipsum mare periculo minus patuerit : neque enim alia est significatio et vis verbi *exponi*. Quare recipi debuisse puto Baueri emendationem *mari*, qua adjectiva *vicinum* et *expositum* referuntur ad præcedens nomen *locum*. Hæc de ea tantum parte; nam de universi loci vitio nihil succurrit. Apparet eum non cohærere, et, quum totius periodi vinculum esse debeat nomen *locum*, moleste interjecta esse nomina *flumen* et *colles*.

Cap. LIV, 6. — (Ex eadem oratione.) **Vulg.** : « Quod quum ita » sit, quæ, malum ! ratio est expertis alia experiri ? » Vocis *expertis* expediri interpretatio non potest. Piget referre quæ allatæ sint argutiæ. Ibi Madvigius signum apposuit, suspicatusque est *spretis expertis*. Sed nihil aliud opus est quam recurrere ad codices. Eorum quinque, inter quos ipse C, exhibent *expertis latos alia*. Inde legi debet : « quæ, malum ! ratio est expertis lætos alia experiri ? » h. e. iis, quæ experta sunt, quum læti sitis, quæ ratio est vos alia experiri velle ? *Lati* item pro *læti* scriptum est in codice Vind. XLII, LX, 2. Cf. Cic., *Phil.*, X, 9.

Cap. LV, 5. — **Vulg.** : « Festinatio curam exemit vicos diri- » gendi... Ea est causa, ut veteres cloacæ, primo per publicum » ductæ, nunc privata passim subeant tecta. » Perversa sententia est : neque enim ideo temere ædificatum est, ut cloacæ subirent

tecta (qui sensus est locutionis *causa ut*, finem propositum indicantis; ut apud Cic., *Ep. Fam.*, I, 8 : *ob eam causam scribo ut...*), sed ideo cloacæ subierunt tecta, quia temere ædificatum est. Id offendisse Perizonium verisimile est, qui in margine libri sui, pro *ut*, scripsit *quod*. Sed Livii mos et codicum vestigia potius jubent reponi *cur*.

LIBER VI

CAP. XI, 5. — (Verba Manlii Camillum insectantis.) **Vulg.** : « ...quum interim... illius (Camilli) gloriæ par virilis apud omnes » milites sit, qui simul vicerint; suæ victoriæ neminem omnium » mortalium socium esse. » Postrema cum præcedentibus non congruunt (nam dicendum erat *nemo socius sit*), cui loquendi generi aut, ut verius dicam, vitio veteres nomen anacoluthon vel enallagen prætenderunt. Contulit Madvigius duo alia ex Livio exempla, alterum (V, xxv, 6) plane alienum, et quod suo loco docuimus non satis intellectum fuisse, alterum (XXIX, x, 3) dubium, et in vetustis utique editionibus aliter scriptum. Deficit igitur Livii auctoritas, et insolentissimus, id est suspectus, habendus est hic locus: mancum eo adducor ut credam, quod, uno tantum addito verbo, omnia recta fiunt; potest enim in hunc modum a Livio scriptum fuisse : « ... suæ victoriæ neminem omnium mortalium socium » esse constet. »

CAP. XVIII, 3. — Rejicienda est Madvigii lectio *jam propinquum certamen aderat* ; nequit enim certamen simul dici adesse et propinquum esse, mixto præsenti et futuro tempore. Vana exempla Gronovius, quum id olim suaderet, attulit; quippe in nullo eorum reperitur verbum *adesse*. Servanda videtur prisca lectio, sed interpunctione leviter in hunc modum mutata : « Itaque, quum pars » utraque acrior aliquanto coorta esset in propinquum certamen, » aderat et Manlius. »

CAP. XXIV, 10. — Quam ibi emendationem proponere paraveram (*non... trudi equos*), eam in altera Madvigii editione præoccupatam video.

CAP. XXX, 8. — **Vulg.** : « Otium... inde, quantum a Volscis, » fuit; id modo extremo anno tumultuatum, quod Prænestini, » concitatis Latinorum populis, rebellarunt. Eodem anno Setiam, » ipsis querentibus penuriam hominum, novi coloni adscripti. » Alterum exemplum hujus generis (*id tumultuatur quod*) nondum inveni, nec tamen esse posse negaverim. Illud dubitationem attulit, quod vox *tumultus,* quæ ejus vis est, ab adverbio *modo* æque abhorrere videtur, ac si dicas : *ea modo ingens trepidatio fuit, quod...* Codex Harl. habet *fuit seti id modo*; ceteri omnes *fuisset id modo.* Inde scribendum erat : « Otium... fuit; Setiæ modo extremo » anno tumultuatum, quod... » Setia enim colonia Romana erat in extremo Latio, Volscis finitima; quæ, rebellantibus Prænestinis, quum se inter hostes destitutam videret et in magno metu esset, ideo postulavit ut novi sibi adscriberentur coloni, quibus se tutaretur.

CAP. XXXVI, 3. — **Vulg.** : « Comitia per interregem sunt » habita, creatique tribuni militum... P. et C. Valerii haudqua- » quam tam obœdientem in dilectu, quam in comitiis, plebem ha- » buere. » Quid hic cognationis habent comitia cum dilectu et plebis contumacia? Num ideo facta est comitiorum mentio, ut doceremur, non tam qui tribuni comitiis creati sint, quam quomodo erga creatos postea plebs animata fuerit? Apparet duas diversas res male conjunctas esse, et sic distingui oportere : « Comitia per interregem sunt habita, creatique... P. et C. Valerii. » Haudquaquam... »

Cap. XXXVII, 2. — **Vulg.** : « ... nisi alterum ex plebe con- » sulem, custodem suæ libertatis, plebes fecisset. » (Weiss. *plebis,* nominativo casu.) Codices ibi nec *plebes* nec *plebis* habent, sed *plebi;* atque id retineri debuisse reor, hac interpunctione : « ... nisi alterum ex plebe consulem, custodem suæ libertatis plebi, » fecissent. » h. e. qui plebi suæ libertatis custos foret. Nec male plurale verbum *fecissent* congruit cum præcedente *affirmabant.*

CAP. XLI, 1. — (Verba Appii adversus tribunos plebis, legem promulgantes de altero consule ex plebe creando.) **Vulg.** : « Quo- » modo extorqueant, non quomodo petant honores, quærunt; et » ita maxima sunt adepturi, ut nihil ne pro minimis quidem de- » beant. » Horum verborum pravitatem non magis arguerunt, qui ea damnavere, quam qui tueri conati sunt; adeo in interpretandis iis dissensere. Vix tamen dubium est, quin ille requiratur sensus :

ita maxima sunt adepturi, ut nihil, ne id quidem quod pro minimis debeatur, debeant. Atque haud scio an in ea ipsa enarratione, pro *debeatur,* intellegi liceat idem verbum, quod sequitur, id est *debeant*; unde conjici potest : « ... ut nihil, ne quod pro minimis qui- » dem, debeant. »

Cap. XLII, 8. — (De Gallis in Albano agro fusis.) **Codd., Madv.** : «... palati alii Apuliam maxime petentes, quum fuga se » longinqua, tum quod passim eos simul pavor terrorque distule- » rant, ab hoste [sese] tutati sunt. » (Alterutro pronomine redundante, maluit Weiss. prius *se* delere.) Sæpissime quidem apud Livium occurrunt conjuncta verba *pavor* et *terror,* sed alibi semper inverso ordine, ut par est ; nam in pavore major vis quam in terrore inest : cf., ne plura, XXVI, xxxvii, 4 ; XXVI, xli, 12 ; XXIX, iii, 9 ; XXX, xxi, 6. Ad hoc, quum verborum *pavor terrorque,* etsi non eadem vis, tamen idem sensus sit, mirum est ea conjungi per vocem *simul,* qua diversæ res indicari solent ; ne illud quidem prætermittendum, quod, post duo subjecta idem significantia, Latini sermonis mos postulabat *distulerat,* non *distulerant.* Quæ omnia mihi fidem faciunt sic scribi debere : « ...tum quod passim eos simul pavor errorque distulerant... » ; nam ignari locorum Galli itinere deerraverunt. Monuere docti viri nulla fere vocabula in mss. sæpius permutata esse quam *error* et *terror.*

LIBER VII

Cap. I, 2. — **Vulg.** : « Plebes consulatum L. Sextio, cujus lege » partus erat, dedit ; patres præturam Sp. Furio M. filio Camillo, » ædilitatem Cn. Quinctio Capitolino et P. Cornelio Scipioni, » suarum gentium viris, gratia campestri ceperunt. » Sic mell. codices. Quum inter nobilitatem plebemque convenisset (vide VI, xlii, 11-14), ne quis eo anno, nisi patricius, præturam eamque ædilitatem, ludorum causa decretam, apisceretur, quid opus fuit gratia campestri, ut id patricii caperent, quod ab aliis capi non licebat ? Ut autem eos honores huic aut illi ex suis darent, ad id demum gratia campestri, id est, favore et suffragiis populi, opus erat. Reponendum igitur verbum *dederunt,* quod plerique recentium codicum et vetustæ editiones habent. Ea ipsa repetitio verborum *dedit... dederunt,* quæ doctos quosdam viros offendit, necessaria videtur, nedum ingrata.

Cap. VIII, 4. — **Vulg.** : « ... neque tam vires pares quæ supe- » raverit res facile dictu est. » Nunquam dictum esse opinor *tam vires pares* pro *tam pares vires* ; neque ullo exemplo fretus Drakenborchius adversatus est Gronovio, trajectionem verborum suadenti. Forsitan præstet scribi *tamen*, quod in codice Lov. 3 occurrit, et sententiæ aptum est.

Cap. X, 12. — (Manlius Torquatus, occiso Gallo, ad castra redit.) **Vulg.** : « Romani, alacres ab statione obviam militi suo progressi, » gratulantes laudantesque ad dictatorem perducunt. Inter car- » minum prope modum incondita quædam militariter joculantes, » Torquati nomen auditum ; celebratum deinde posteris etiam » familiæque honori fuit. » Ne lector in his vepribus diutius

hæreat, monendus est *joculantes* pendere ex præpositione *inter*, ita ut sex intersint vocabula. Nulla offensione, immo Gronovii ipsius auctoritate id receptum est in lacteo illo Livii sermone, quod vel apud infimos scriptores mirificum videri debuit. Hoc tamen Madvigio parum visum : nam, quum animadvertisset (et id quidem recte) *prope modum carminum,* quod interpretabantur *prope in modum carminum,* non Latine dici, ipse septimum illud vocabulum *in* insuper inseruit. Nec majore mutatione et multo simplicius idem, quem voluit, sensus servari poterat, hoc modo : « ... gratu- » lantes laudantesque ad dictatorem perducunt, inque carminum » prope modum incondita quædam militariter joculantes. Torquati » nomen auditum, celebratum deinde... » Potest etiam, pro *inter,* conjici *instar,* ita ut scribatur deinde *propemodum* una voce. Certius enim vitium, quam remedium.

Cap. XXV, 7. — (De Latinorum defectione.) **Vulg.** : « civili » quippe standum exercitu esse, quando socialis cœtus desereret. » Vocem *cœtus* alienam esse haud facile quisquam negaverit : eam frustra uncis inclusit Madvigius, nulla satis verisimili interpolationis causa, et incommode destituto verbo *desereret.* Quid apertius, quam reponi ibi debere vocem *fœdus,* quum sæpe alias, tum in hac præcipue Romanorum Latinorumque societate declaranda crebro usurpatam ? Cf. VII, xii, 7 : *pax Latinis data, et magna vis militum ab iis ex fœdere vetusto accepta.* Item cf. VII, xlii, 8. Id olim suasit Gronovius, et in re prope manifesta talis auctor adhuc spretus est.

Cap. XXVI, 9. — (Ubi narratur, Valerio Gallum victum spoliante, nec Gallos se statione tenuisse nec Romanos, prœliumque contractum esse.) **Vulg.** : « ...depugnatumque haudquaquam certa- » mine ambiguo cum Gallis est... Inter primos, quorum concursus » alios exciverat, atrox prœlium fuit ; alia multitudo, priusquam » ad conjectum teli veniret, terga vertit. » Verba *inter primos* non aliter intellegi licet, quam *inter primos Gallorum Romanorumque* ; inde sequitur, aliam quoque multitudinem, quæ post dicta est, item intellegi debere multitudinem Gallorum Romanorumque, absurdo sensu : Galli enim soli terga verterunt. Apparet non fuisse *inter*, sed *in,* quæ voces, propter compendium *int',* sæpe confusæ sunt. Itaque interpretandum est *in primos Gallos,* quorum concursus ad Valerium (nam Galli priores ad eum concurrisse dicti sunt) alios Gallos exciverat.

Cap. XXX, 11. — (Ex oratione legatorum Campanorum populi Romani auxilium implorantium.) **Codd., Drak.** : « Omnibus qui- » dem, Romani, vestram misericordiam vestrumque auxilium » æquum est patere, iis tamen maxime, qui eam implorantibus » aliis auxilium dum supra vires suas præstant, omnes ipsi in » hanc necessitatem venerunt. » Hujus loci vitia subtiliter Madvigius persecutus est : primo *eam,* quum ad *vestram misericordiam* referatur (et id ipsum dure, voce *auxilium* interposita), universe de misericordia ipsa non posse intellegi ; deinde aut *eam* aut alterum *auxilium* redundare ; tum in ea sententiæ conformatione nihil apparere, cur conjunctioni *dum* præponatur *auxilium* ; denique vocem *omnes* inanem esse. Propterea Madvigius, forti adhibito remedio, unam vocem correxit, alteram exclusit, tertiam adjecit, hoc modo : « ... qui ea implorantibus aliis [auxilium] dum supra » vires suas præstant, ante omnes ipsi... ». **Veiss.** : « ... qui fidem » implorantibus aliis auxilium dum supra vires suas præstant, ante » omnes ipsi... » (relicta et tautologia et prava inversione). Illud *ante omnes,* ex conjectura Buettneri invectum, poetas magis, quam Livium, olet. Ego sic emendatum locum velim : « ... iis tamen » maxime, qui idem implorantibus aliis auxilium dum supra vires » suas præstant, homines ipsi in hanc necessitatem venerunt. » h. e. non magis humanorum casuum expertes, quam ii quibus opem tulerant. Verba *omnes* et *homines* adeo in mss. permutari solent, ut vix correctio ea sit, quæ alterum in locum alterius substituat ; hoc ipso in capite § 21, quattuor auctoritatis maximæ codices M C H L pro *omnium* exhibent *hominum.*

Cap. XXXIII, 12. — **Weiss., Madv.** : « Hoc spectaculo accensi dextra lævaque ante se quisque memorandum prœlium ciet. » Recentioribus hoc debetur, ut videamus *accensi ciet,* singulari verbo plurale subjectum sequente ; quod mihi inter solœca, ut quæ maxime, ponendum videtur. Sane, ubi plura concurrunt subjecta, ad proximum eorum accommodari verbum licet, immo legitimum est : quid autem pertinet ea lex ad eas dicendi formas, ubi occurrit pronomen *quisque* subjecto postpositum ? quippe quod pronomen non pro altero subjecto sit, sed per appositionem subjecto adjiciatur. Voces *ante se quisque* pro appositione mera habendæ sunt, nec mutari debuit verbum *cient,* quod priores editiones, ex pluribus codicibus sumptum, præferebant. Cf. IX, xliii, 4.

Cap. XL, 2. — **Vulg.** : « Nondum erant tam fortes ad sangui-

« nem civilem. » Manca oratio videtur. Etsi satis perspicuum est, intellegendum deinde esse *quam postea fuerunt,* seu *quam nos sumus,* seu aliquid simile, tamen id intellegendum relinqui durius est, et obscuritatis aliquid habet. Opinor non *tam* legi debere, sed *tum*; quam vocem ne abundare putes, cf. LXV, xxxii, 10 : *...spectaculis, ad quæ rudes tum Romani erant.*

Cap. XL, 9. — (Ex oratione Valerii Corvi ad seditiosos milites.) **Codd., Vulg.** : « ... eodem (tenore) hæc imperiosa dictatura gere-» tur ; ut neque in hos meos et patriæ meæ milites mitior quam » in vos (horreo dicere) hostes. Ergo vos prius... » **Madv.** : « ... ge-» retur ; neque in hos meos... hostes ero. Vos prius... » Bene Madvigius sustulit *ut*, ex præcedentibus litteris *ur* manifesto natum ; male cetera attrectavit. Frangit enim orationis vim otiosa illa vox *ero*, quum ideo ad finem periodi rejecta fuerit vox *hostes,* ut sua ei constaret gravitas. Satis est scribi : « ... geretur, neque » in hos... hostes. Ergo... »

LIBER VIII

Cap. IV, 4. — (Ex oratione Annii, prætoris Latinorum, ad suos.) **Vulg.** : « Cur non alter ab Latinis consul datur ? ubi pars virium, » ibi et imperii pars est ? Est quidem nobis hoc per se haud nimis » amplum, quippe concedentibus Romam caput Latio esse ; sed... » Madvigius, sententia offensus an ingrato illo concursu verborum *est? Est,* pro priore *est* scripsit *esto,* deleta ibi interrogatione ; eadem mente olim Curio suaserat *sit*, melius fortasse Liviano usui consulens. Sed aliud est, mea quidem sententia, quod magis offendat ; neque enim satis commode dici posse puto *Est quidem hoc amplum* pro *Hoc quidem est amplum* ; non fere solet verbum *esse* initio periodi poni, quum nihil aliud in eo inest, nisi vis copulativa. Antiquitus opinor scriptum fuisse *equidem,* et hoc deinde, propter signum male additum, in duas voces distractum esse (nam *ē* pro *est* usitatissimum est, ibique ipsum in codice M exstat) ; quare recipiendam esse illam, quæ in codice Haverc. mansit, lectionem : « ... pars est ? Equidem hoc per se haud nimis am-» plum... » De locutione *equidem... sed,* cf. Cic., *de Sen.*, x, 12.

Cap. VI, 14. — **Codd., Vulg.** : « Agitatum etiam in consilio » est, ut, si quando unquam severo ullum imperio bellum admi-» nistratum esset, tunc uti disciplina militaris ad priscos redi-» geretur mores. » Redundat vox *uti*. Ad eam tuendam Dukerus Drakenborchiusque ejusmodi exemplis usi sunt, unde apparet potius damnandam esse. Quæ enim ex Livio allata sunt (III, lxiv, 10 ; V, xxi, 15 ; XXII, xi, 4 ; XXVIII, ix, 9 ; XXXVI, iii, 13), ea omnia sumpta sunt ex legibus, decretis, precibus, ubi vocem *ut* geminari sollemnis formula fuit. Neque alia exempla Dukerus ad Florum

suum (II, vi, 19), quo nos ablegat, exhibet. Recte igitur pro insolito hoc *uti* Sigonius substitui jussit vocem *utique,* ita sententiæ aptam, ut, etiam si ejus vestigium nullum in codicibus fuisset, haud scio an adjici debuerit.

Cap. VIII, 7. — (De hastatis et principibus.) **Veiss.** : « Hoc » triginta manipulorum agmen antepilanos appellabant, quia sub » signis jam alii quindecim ordines locabantur, ex quibus ordo » unusquisque tres partes habebat (earum unamquamque pri- » mam pilum vocabant)... » Ita et Madvigius, nisi quod codicum vocem *primum* (in cujus locum recte, ut videtur, Lipsius jussit scribi *primam*) maluit uncis includere. Præclara vero hic affertur causa, cur hastati principesque vocati sint antepilani : « Quia, in- » quit, alii quindecim ordines locabantur sub signis. » In his frustra investiget Œdipus nominis originem. Exspectabatur aliquid ejusmodi : « Quia post eos locabantur pilani. » Nunc autem ubi loci mentio est, ex qua sciam illos quindecim ordines a tergo, non dextra sinistrave, locatos esse ? Ubi nominis pilanorum aut pilorum mentio, nisi in illis extremis verbis, quæ quasi de industria extra periodum in parenthesin rejecta sunt ? scilicet, ne ibi lucem quærere in mentem veniat. Præterea, quid opus fuit dici *sub signis*? et quidem his verbis ita in periodi initio positis, ut id ad explanandam rem magnopere pertinere, aut pilanorum peculiare aliquid fuisse videatur? Quasi hastati principesque non sub signis et ipsi fuerint. Profecto abesse nequit duplex illa et loci et nominis mentio : alteram ex corrupta lectione eruendam, alteram ex inscita parenthesi, ubi occultata est, protrahendam reor, hoc modo : « ... antepilanos appellabant, quia subsidio iis jam alii quindecim » ordines locabantur, ex quibus ordo unusquisque tres partes ha- » bebat, et earum unamquamque primam pilum vocabant. » *Subsidio iis* idem valet quod *post eos.* De voce *jam* residere mihi aliquam dubitationem fateor.

Cap. XXXII, 11. — Codd. plerique : « (Fabius) ad triarios, » tumultum jam in contionem miscentes, sese recepit. » Quod maxime ibi offendebat mendum, id sustulit Drakenborchius, dum scribit *in contione.* Sed, qui tumultum in contione miscent, eos in media contione esse aut certe huc illuc per contionen ire posse oportet; triarii autem suo loco extremi stabant. Quam, opinor, ob causam et Weissenbornius tolli voluit *in contionem,* et Madvigius paulo audacius scripsit *tumultum ultima in contione miscentes.*

Tamen ne sic quidem, quod ad Latinitatem attinet, utraque lectio citra suspicionem est : nam *miscere tumultum* non videtur alibi repertum esse; aliud est *miscere seditiones,* ut XXXV, xiii, 1. Latini moris observantior suaserat Faber *tumultu jam contionem miscentes,* sed a codicibus nimium discedens. Malim ego « tumultum » jam in contionem injicientes » (*inicientes,* quæ codicum legitima scriptura est). Cf. XXXII, xxx, 11 : *injectum tumultum.*

Cap. XXXIII, 9. — **Vulg.** : « Ex curia in contionem itur. Quo » cum paucis dictator, cum omni agmine principum magister equi- » tum cum escendisset, deduci eum de rostris Papirius in partem » inferiorem jussit. » Equidem consuetæ elegantiæ immemor ibi fuit Livius, si sic dixit. Cui enim non displiceat illa vox *cum* in eodem prope versu ter repetita, et quidem alibi alio sensu ? Quod quidam tertio loco, perspicuitatis causa, scripsere *quum,* id discriminis ignorat vera scriptura. Ne autem id Livio fraudi sit : tertium enim illud *cum,* sive *quum,* invitis codicibus editores invexere. Legendum erat : « ... Quo cum paucis dictator, cum omni agmine » principum magister equitum escendit ; sed deduci eum de rostris » Papirius... jussit. » Et multis quidem locis in Livianis codicibus hoc mendi genus (*escendisset* pro *escendit set*) inventum est correctumque : hic non correctum esse eo magis miror, quod integram hanc lectionem diserte præbet unus deteriorum Leid. 2.

Cap. XXXIII, 17. — Postquam cum præsente Papirii dictatoris crudelitate collata est antiquorum dictatorum moderatio, hæc sequuntur : « Nam populi quidem, penes quem potestas omnium » rerum esset, ne iram quidem unquam atrociorem fuisse in eos, » qui temeritate atque inscitia exercitus amisissent, quam ut » pecunia eos multaret. » Hic Madvigius contendit Livium sententia aberrasse, et illud dicendum fuisse : « Ne populi quidem » iram unquam atrociorem fuisse, quam ut... » Pace illius dicam melius ipsum quieturum fuisse. Illud voluit Livius : Nam populum quidem, non modo quum satis justa ei esset sæviendi causa, sed ne tunc quidem quum iratus esset, ultra sæviisse, quam ut... Madvigii error inde ortus est, quod credidit hanc esse sententiæ summam, nempe, moderate iram exercuisse quum antiquos dictatores, tum populum ipsum, qui tamen multo plus potuerit : ita ut ira communis utrorumque fuisse, et gradatio in sola potestate esse ei visa sit. Immo iram exercuisse antiquos dictatores, sive moderate, sive aliter, nusquam dictum est, sed ira

omnino eos in pœnis expetendis abstinuisse. Et duplex gradatio est : primum, quod a populi magistratibus ad populum ipsum multo potentiorem transitur; deinde, quod a populo simpliciter puniente ad populum per iram punientem.

Cap. XXXIV, duæ emendationes non quidem promendæ (in eas enim quum et ipse incidissem, postea cognovi jam allatas esse ab aliis ac jacuisse), sed ab nimio fastidio vindicandæ videntur. Nam § 6, ubi codices habent *neu populus in se potissimum dictatorem et jus dictaturæ exstinguat,* ceteri in ea lectione acquieverunt, Madvigius, auctore Dukero, edidit *dictatore jus dictaturæ,* melius haud dubie, necdum tamen codicibus satis obsecutus. Credendum reor Kreissigio suadenti : *neu populus in se potissimum dictatore vim et jus dictaturæ exstinguat* (*dictatoreuī*). Tum § 9, in his *licentia sola se, ubi velint, exauctorent,* quum aliquid sententiæ deesse videatur, nonnullique codices habeant *solaua se ubi,* assentior ipsi Alchefskio suadenti *licentia sola sua se,* h. e. quum id militibus per neminem, nisi per se, liceat. Quis credat ab eo, qui id spernat, conjici deinde *licentia soluta se*?

Cap. XXXIX, 1. — **Codd.**, **Vulg.** : « Equitum acies, qualis » quæ esse instructissima potest, invecta in dissipatos impeditos- » que hostes, cæde omnia replet. » Vocem *quæ,* non supervacuam modo, sed etiam vitiosam (etenim dicendum erat *qualis est quæ esse instructissima potest*), tollendam Madvigius uncis indicavit. Sed aliud notandum est. Quum hæc nihil aliud significent nisi *quam instructissima,* quid erat quod Livius, omissa illa brevi aptaque dicendi forma, toties ab ipso usurpata, mallet per circuitum atque insolenter idem dicere ? Eum non omnino idem dicendum habuisse, et ex dissimili sententia dissimilem formam natam esse opinandum est. Suspicor itaque : « Equitum acies, qualis quiesse » instructissima potest, invecta... » h. e. tam instructa quam potest esse, etiam quum quiescit ; nam cursu laxiores fiunt ordines. Contrarie relata sunt verba *quiesse* et *invecta.*

LIBER IX

Cap. XVII, 3. — **Vulg.** : « Fortuna per omnia humana, maxime » in res bellicas potens... » Probum esset *in rebus bellicis* : lectio *potens in aliquid* nec satis confirmata exemplis est, nec, si esset, hic accipi posset nisi incommodissimo sensu, id est, *adversus res bellicas.* Quare satius est legi *maxime inter res bellicas potens,* præsertim quum id magis congruat cum priore præpositione *per,* et sæpe voces *in* et *inter* (*int'*) permutatas esse constet.

Cap. XVIII, 11. — (Ubi Livius ait inique facere eos, qui Alexandri regis magnitudinem, quia nulla ei pugna non secunda fuerit, populi Romani magnitudini anteponant; perperam enim tot secula cum paucorum annorum felicitate comparari.) **Codd.**, **Vulg.** : » Quin tu hominis cum homine et ducis cum duce fortunam cum » fortuna confers? » Etsi omnes ibi tacuerunt veteres interpretes, tamen fatendum est verba *cum fortuna* non modo inania esse, sed etiam ceterorum structuram pervertere. Ea Madvigius per interpolationem irrepsisse ratus, uncis monuit tollenda; qua via expediendæ rei haud scio an sæpius justo usus sit : hic certe nulla interpolandi causa videtur oblata esse. Videndum leviusne aliquod afferri possit remedium, hoc fortasse modo : « Quin tu » hominis cum homine et ducis cum duce, si fortunam cum for- » tuna confers? » h. e. fortunam cum fortuna quoniam libet conferre, non populi cum homine, sed hominis cum homine fortunam conferre æquum est.

Cap. XIX, 2-4. — (Ubi memoratur, quas copias et quæ auxilia Romani Alexandro oppositur fuerint.) **Weiss.** : « Censebantur

» ejus ætatis lustris ducena quinquagena millia capitum... Latium » deinde omne, cum Sabinis et Volscis et Æquis et omni Cam» pania et parte Umbriæ Etruriæque et Picentibus et Marsis Peli» gnisque ac Vestinis atque Apulis, adjuncta omni (**Codd.** : » *omnis*) ora Græcorum inferi maris a Thuriis Neapolim et Cumas » et inde Antio atque Ostiis tenus [Samnites], aut socios validos » Romanis aut fractos bello invenisset hostes. » Vocem *Samnites* Gronovius suo loco motam, ac paulo supra ponendam censuerat; eam Madvigius prorsus delevit, cetera non discrepans a Weissenbornio. Minime vero credibile est, quum in hac populorum Italiæ recensione non socii modo Romanorum, sed hostes quoque, etsi bello fracti, commemorentur, Samnites prætermitti potuisse; immo minime omnium omittendi erant, et propter opes suas, et quia bellum atrox illo ipso tempore adversus Romanos gerebant. Ne illud quidem verisimile est, Livium, quum, quibus opibus contra Alexandrum Romani usuri fuerint, exponeret, statim a propriarum virium mentione ad promiscuam finitimorum populorum, sive sociorum, sive hostium, enumerationem transisse, ita ut nesciamus, qui socii, qui hostes fuerint. Dixit profecto, id quod res ipsa monet, primum Romanos plurimum viribus propriis valuisse, deinde socios eis multos fuisse, denique, si qui hostes essent, ab iis parum jam fuisse periculi. Nec vero ab hoc sententiarum ordine discedere codices videntur, quorum lectio sic digerenda est : « Cense» bantur ejus ætatis lustris ducena quinquagena millia capitum... » Latium deinde omne, cum Latinis et Volscis... ac Vestinis » atque Apulis, adjuncta, omnisque ora Græcorum... Antio » atque Ostiis tenus. Samnites aut socios validos Romanis aut » fractos bello invenisset hostes. » Ad verbum *adjuncta* subaudiendum esse *erant,* ostendit tempus præcedentis verbi *censebantur,* ita ut sensus sit *ea omnia adjuncta,* h. e. *societate cum Romanis juncta erant.* Samnites autem quum divinari non posset, utrum adversus externum communemque Italiæ hostem dimicaturi, an cum eo, propter Romanorum odium, sensuri fuerint, ea res in medio relicta est. Denique verba *validos socios* et *fractos hostes* non repugnant : Romanis enim urbes agrosque Samnitium tenentibus, poterant inde auxilia Romanis comparari, non Alexandro.

Cap. XIX, 15.—Hunc locum, de quo multum disputatum est, simpliciter ponam, sicut mihi castigandus videtur ac distinguendus :

« Absit invidia verbo, ut civilia bella sileant, nunquam ab equite » hoste, nunquam a pedite, nunquam aperta acie, nunquam æquis, » utique nunquam nostris locis laborabimus. Equidem sagittas, sal» tus impeditos, avia commeatibus loca gravis miles armis timere » potest : mille acies, graviores quam Macedonum atque Alexandri, » avertit avertetque, modo sit perpetuus hujus, qua vivimus, » pacis amor et civilis cura concordiæ.... » **Codd.** : *verbo et civilia... laboravimus equitem.* Universa sententia, ne quid de summa incertum remaneat, hæc est : audeo dicere rem Romanam, dum ne semet ipsa civilibus bellis frangat, nunquam ab externo hoste laboraturam. Sane accidere interdum possunt latrocinia et insidiæ, quæ statario militi nostro aliquid trepidationis injiciant; verum non ex his fortuna belli pendet, sed ex acie, quo genere pugnæ Romanus invictus adhuc fuit eritque. *Laborabimus* et *equidem* jam alii ante suaserant; nihil hic meum est, nisi universa distinctio, et vox *ut* pro *et* reposita; quæ quidem emendatio nisi recepta erit, ridiculam Livio jactantiam imputaverimus. Quid enim significat vulgata lectio *Absit invidia verbo et civilia bella sileant*, nisi alteram rem ex altera secuturam, et, si invidia verbo non absit, tum bella civilia exortura esse ac pro pœna fore? Scilicet, si quid arrogantius dixerit Livius, verendum erit ne plectatur Roma? Ceterum vocem *ut* confirmant et ultima verba *modo sit perpetuus pacis amor*, quæ nihil aliud quam eandem iterant sententiam. Mirabiliter errat Madvigius, dum verba *nunquam ab equite hoste* tolli jubet, causatus, primum abundare vocem *hoste,* quum immo rectissime opposita sit verbis *civilia bella*, deinde hunc equitis hostis contemptum abhorrere a sequentibus verbis *equitem timere*; nam illic retinet *equitem,* satius ratus quattuor voces expungere quam unam mutare litteram. Quod ad futurum *laborabimus* attinet, id pro præterito *laboravimus* substituendum esse, satis docent Porsenna et Galli et Hannibal et alii.

Cap. XXXVII, 2. — **Vulg.** : « ... neque e silvis tantummodo pro» mota castra (Etruscorum), sed etiam, aviditate dimicandi quam » primum, in campos delata acies. Deinde instructa primo suo stare » loco, relicto hostibus (Madv. : *hosti*) ad instruendum contra » spatio; dein, postquam detrectare hostem sensere pugnam, ad » vallum subeunt. » Ingrate decurrit periodus per hæc *deinde... primo... dein*; nec minore inconcinnitate, quum in priore membro dictum sit *instructa* (*acies*) *stare*, in posteriore occurrit plu-

ralis numerus *sensere... subeunt*. Sic distinguenda est oratio : « ... sed etiam, aviditate dimicandi, quam primum in campos » delata acies, deinde instructa. Primo suo stare loco (scil. » Etrusci), relicto hosti ad instruendum contra spatio; dein, » postquam... »

Cap. XXXVIII, 2. — Narratis rebus in Samnio prospere gestis a C. Marcio consule, hæc sequuntur : « Per idem tempus et classis » Romana a P. Cornelio... in Campaniam acta quum appulsa » Pompeios esset, socii inde navales... longius progressi excivere » hostes. » Nisi quid me præterit, nunquam antea ullius classis Romanæ mentio facta erat : quare miror novam hanc rem non pro gravitate sua ac per se, sed in transcursu et inter adjuncta memorari. Offendit et aliud in primis verbis *Per idem tempus et classis Romana* : quid enim significare videtur illa vox *et*, nisi aliquid, quod factum sit a C. Marcio, item et a classe factum iri? Proinde, si eam vocem ad totam periodum, id est, ad universam rem de classe narratam, retuleris, per eam necesse est classi quoque prænuntiari eundem belli eventum, qui C. Marcio fuerit. Contra ea videbimus classi rem male cessisse. Intellegendum est igitur, non classem quoque vicisse, sed classem quoque bellum gessisse, et sic distinguendum : « Per idem tempus et classis Romana a » P. Cornelio... in Campaniam acta. Quum appulsa Pompeios » esset... »

Cap. XXXIX, 10. — **Vulg.** : « Tunc vinci (Etruscorum) pertinacia » cœpta, et averti manipuli quidam; et, ut semel dedere terga, » etiam certiorem capessere fugam. Ille primum dies... Etrus- » corum fregit opes. » Nec Latine dictum videtur *certiorem capessere fugam,* nec satis liquet quid incerti primum habere potuerit fuga eorum, qui terga dederant; quasi aliud sit terga dare, aliud fugere. Ad hoc universæ pugnæ fortunam indicari oportuit. Nam ex quorundam manipulorum fuga non sequitur profligatum esse prœlium, nisi ea ceterorum fugam traxerit. Ideo suspicor fuisse « etiam » ceteri item capessere fugam... »

Cap. XLIII, 3. — **Vulg.** : « Primo ita omnia opportuna loca » hostes inter consulum castra interceperunt, ut pervadere expe- » ditus nuntius non posset, et per aliquot dies incerti rerum om- » nium suspensique de statu alterius uterque consul ageret. » De ea dicendi forma *suspensi uterque consul ageret*, jam dixi VII, xxxiii, 12, ubi vide. Item hic censeo verba *de statu alterius uterque* nihil aliud quam pro appositione habenda esse, et legi debere : « suspensique de statu alterius uterque consules agerent. » Neque enim dubium videtur quin in archetypo scriptum fuerit *coss. agerēt.*

Cap. XLIII, 23. — **Vulg.** : « Hernicorum tribus populis.., » quia maluerunt, quam civitatem, suæ leges redditæ. » Forte *qui id maluerunt, quam civitatem...*

LIBER X

CAP. II, 10. — **Vulg.** : « In naves parvas, custodibus inter- » emptis, impetus factus ; territique nautæ coguntur naves in » alteram ripam amnis trajicere. » **Codd.** : *in naves parvis*. Vocem *parvis* ineptam esse, substitutamque vocem *parvas* nihil ad rem pertinere, jam alii monuerunt. Præterea apparet, si custodes interempti sint, nullos superfuturos fuisse nautas, qui naves trajicerent ; nam et nautæ in numero custodum erant. Weissenbornius suasit *paucis*, atque id Madvigio placuit. Mihi secus videtur : cur enim dicuntur ii pauci custodes ante interempti esse, quam impetus in naves factus sit ? nisi si a navibus ii abscesserant ; id quod definiri debuit. Quare malim : « In naves, sparsis custodibus interemptis, impetus » factus », id est, iis custodum interemptis, qui sparsi erant.

CAP. II, 14.—**Weiss., Madv.** : « Rostra navium spoliaque Laco- » num... multi supersunt, qui viderunt Patavii. Monumentum » navalis pugnæ eo die, quo pugnatum est, quotannis sollemni » certamine navium in flumine oppidi medio exercetur. » Adeo insolita res videtur *monumentum exerceri*, ut *monumentum* per appositionem adjungendum esse ad *rostra spoliaque* non dubitem, hoc modo : « ...multi supersunt qui viderunt Patavii, monumentum » navalis pugnæ. Eo die, quo pugnatum est, quotannis... exer- » centur (i. e. Patavii incolæ). »

CAP. III, 3. — Sic interpungenda oratio est : « Itaque propter » eos tumultus dictus M. Valerius Maximus dictator ; magistrum » equitum sibi legit M. Æmilium Paulum... », distinctione post vocem *dictator* posita ; sin minus, vocem *itaque* inepte ad verbum *legit* referri necesse est.

CAP. VI, 11. — **Vulg.** : « ...assueti jam tali genere certami- » num vinci. » Scribendum esse *jam in tali* monet Livii mos. Cf. XXV, v, 4 : *hic senes honoratosque juvenis in eo certamine vicit.* Item XXXVII, LIII, 7 : *in certamine autem amicitiæ vestræ minime æquo animo vinci possum.*

CAP. VII, 9. — (Ubi P. Decius legem suadet, ut sacerdotia plebeiis quoque pateant.) **Weiss.** : « Cui deorum hominumve » indignum videri potest, inquit, eos viros, quos vos... corona » triumphali laureaque honoraritis.., pontificalia atque auguralia » insignia adjicere ? Qui... in Capitolium adscenderit, is non con- » spicietur cum capide ac lituo, capite velato, victimam cædet, » auguriumve ex arce capiet ? Cujus imaginis titulo consulatus » censuraque et triumphus æquo animo legetur, si auguratum aut » pontificatum adjeceritis, non sustinebunt legentium oculi ? » (Sic codices, nisi quod habent *is conspiciatur cum.*) **Madv.** : « ...insi- » gnia adjicere, ut, qui... in Capitolium adscenderit, is conspi- » ciatur cum capide ac lituo, capite velato, victimam cædens augu- » riumve ex arce capiens ? Cujus in imaginis titulo... » Neutra lectio probabilis. Apud Madvigium, Decius nihil aliud quam aliis verbis id ipsum, quod jam ante dixit, repetit, metu scilicet ne parum intellegant audientes, quæ sint aut quid valeant pontificum augurumve insignia, nisi capis et lituus et victima et arx auguralis commemorentur : quid ista redundantia ad argumentationem ? Apud Weissenbornium, sic queri videtur Decius, se consularem triumphalemque virum in justo decursu honorum intercipi, tanquam pontificatus jam fascium triumphique accessio necessaria sit, qua per injuriam ipse fraudetur. Ad hoc illa negatio *non*, quæ verbo *conspicietur* per conjecturam præposita est, vix deinde subaudiri potest ad verba *cædet* et *capiet*. Vidit tamen Weissenbornius (et id boni ex veteribus editionibus retinuit), primum duas sententias postremas, id quod satis indicat utraque per relativum (*qui... cujus*) exorsa, inter se respondere ; deinde non statim et abrupte ad posterorum admirationem transiri posse, sed non minus ad rem pertinere quid sentiant æquales, quam quid sensuri sint posteri. Arbitror ego meliore sensu, simul minore aliquanto mutatione legi posse : « ... insignia adjicere ? Qui... in Capitolium ads- » cenderit, is conspicietur, si cum capide ac lituo, capite velato, » victimam cædet auguriumve ex arce capiet ? Cujus in imaginis » titulo... » h. e. is oculos hominum convertet eorumque admira-

tionem et reprehensionem movebit, si...? Sæpe enim verbum *conspici* in malam partem accipitur, ut XXXIV, IV, 12 : *quid unaquæque vestrum veretur ne in se conspiciatur?* Adde Nep., *Att.*, 13, et Suet., *Claud.*, 4. Conjunctionem *si*, quæ a me addita est, ipsa sequentis sententiæ forma (*si auguratum... adjeceritis*) satis tuetur.

CAP. VIII, 6. — **Vulg.** : « Sabinum advenam, principem nobi- » litati vestræ, seu Attum Clausum, seu App. Claudium mavultis, » illi antiqui patricii in suum numerum acceperunt ; ne fastidieris » nos in sacerdotum numerum accipere. » (Ibi, ut obiter dicam, *nobilitatis* melius scripsisse veteres Drakenborchiumque, recte monuit Madvigius ; nec video, cur non et ipse id scripserit, præsertim non omnino deficiente codicum auctoritate.) Siesbyeus, probante eodem Madvigio, censuit scribi *tu ne fastidieris*, ita ut ea vox *tu* contraria referatur ad *illi antiqui patricii* ; nec male, nisi aliud claudicaret. Quum enim in priore membro orator dixerit *vestræ* et *mavultis*, id est, Claudios omnes appellaverit, in posteriore mirum est hujus appellationis eum oblitum esse, atque ad unum Appium orationem subito convertisse. Ibi nos adjuvant codices **M** et Lov. 4, ubi legitur *fastidiaris*, non *fastidieris*. Scribendum est : « Sabinum advenam... illi antiqui patricii in suum numerum » acceperunt, ne fastidiatis nos in sacerdotum numerum accipere » (i. e. nedum fastidiatis). » Quam emendationem facile probaturum confido, quicunque attenderit ad exempla, quæ de illa dicendi forma collegi ad XXX, XLIV, 7, ubi vide.

CAP. XII, 6. — **Vulg.** : « Romanus... ubi profectione hostium » concessam victoriam videt, progressus ad castra, vacuis cum » plurima præda... potitur. » Admodum dure destitutum est adjectivum *vacuis* ; Latini certe sermonis usus postulat *vacuis iis potitur*. Id autem parum sententiæ aptum foret ; nam castra hostium vacua esse, non tum demum cognoverunt Romani, quum iis potiti sunt, sed jam antea sciebant. Scribendum videtur : « ... progressus ad » castra vacua, iis cum plurima præda... potitur. » In archetypo fuisse *vacuais* verisimile est, ac postea in melioribus excidisse *a* ; contra recentiorum plerique habent *vacua*, omisso *iis*.

CAP. XIII, 14. — **Vulg.** : « Eo anno plerisque dies dicta ab ædi- » libus, quia plus, quam quod lege finitum erat, agri possiderent. » Non sine aliqua diffidentia sui in aliquam hujus generis insulsitatem offenditur : quomodo enim in ea tot doctos viros antea connivisse ? Dicam tamen ex vulgata lectione nihil a me elici posse,

nisi illud monstrum, plerosque civium Romanorum plus quingenta jugera possedisse, et civitatis majorem partem in jus vocatam esse, scilicet ut a minore parte damnaretur. Quid enim significet vox *plerisque* absolute posita, nisi *plerisque civibus*, equidem non excogito. Ea ad sanitatem redigi posse puto, si, pro *quia*, scribatur *qui* ; nam *plerique qui possident* idem videtur esse quod *plerique eorum qui possident*.

CAP. XIV, 13. — (Postquam in prœlio quædam, quæ in rem esse videbantur, providerat jusseratque consul.) **Vulg.** : « Ceterum, » quando ne ea quoque tentata vis proficeret, consilio grassandum, » si nihil vires juvarent, ratus... » Pravam esse priorem partem (*quando ne... proficeret*) viderunt omnes. Nullum aliud suasit remedium Madvigius, quam si tria vocabula diversis locis adderentur, et quidem relicta illa tautologia ac geminatione verborum *vis... vires*. Codices meliores nihil mutant ; ex reliquis tres ignorant vocem *quando* (item in vetustis editionibus omissam), duo alii habent *vix*, non *vis*. Nisi recentioribus omnis fides abroganda est, non absurdum est conjici : « Ceterum, ne ea quoque tentata vix proficerent... » id est, metuens ne ea quoque, quæ tentari jusserat, parum procederent. Cf. X, XXXIV, 1 : *postquam ea parum procedebant*. Item, XXXIV, XL, 4. Forsitan etiam ipsa vox *quando* retineri possit, sic trajectis verbis : *Ceterum, ne quando ea quoque...*

CAP. XVI, 7. — **Vulg.** : « Nihil abesse, si sit animus Etruscis, » qui Porsinnæ quondam majoribusque eorum fuerit, quin Ro- » manos... dimicare pro salute sua... cogant. » Inter *si* et *sit*, videtur excidisse *is*.

CAP. XXII, 6. — Suadet Volumnius ut Fabio consuli collega detur Decius, « quam prope ultimum discrimen... nuper ventum » foret admonendo ; Decium Fabiumque ut uno animo, una mente » viverent ; esse præterea viros natos militiæ. » Sic edidit Weiss., codicibus obsecutus ; quod quum ipse sentiret Latino minus quam Græco ingenio accommodatum, probavit Wolfii conjecturam (*atque monendo Decius Fabiusque ut uno animo, una mente viverent*) nihilo probabiliorem ; quippe ubi, præter durissimam inversionem, verbum *admonendo* incommode divulsum est a priore membro. **Madv.** : « ... admonendo ; Decium Fabiumque uno animo, una » mente vivere ; esse præterea... » In qua lectione et liberius paulo cum codicibus actum est, et illud videtur, æque atque in prioribus, reprehendendum, quod verbum *esse* alieno loco positum est ; dicen-

dum erat *præterea viros esse natos militiæ*, ut copulativa tantum vis in eo esset, et intelligeremus Decium Fabiumque esse eos viros; nunc, quum in periodi initio positum sit, de aliis nescio quibus viris agi dicas (eo sensu: *esse præterea aliquos viros...*). Conjicio ego : « ... admonendo; Decium Fabiumque, qui uno » animo, una mente viverent, esse præterea viros natos militiæ...» Propius quidem ad codices accessura fuit vox *quum* (*cū*); vereor autem, ut eodem sensu accipi queat, quo *præterquam quod.*

Cap. XXIII, 10.—In hac codicum scriptura: « Vulgata dein religio » a pollutis », non tollendum fuisse puto *a*, sed pro eo reponendum *ē* (*est*).

Cap. XXVI, 14. — **Vulg.** : « Itaque præterquam quod ambo con- » sules profecti ad bellum erant cum quattuor legionibus... et socio- » rum nominisque Latini majore exercitu quam Romano, alii duo » exercitus haud procul urbe Etruriæ oppositi (sunt). » Codices non habent *quam Romano,* sed *quam Romani,* quod Drak. vitiosissime retinuerat. Ibi nescio qua neglegentia non auditus est Jac. Gronovius, docte monens reponendum esse *præterquam quod... majore exercitu, etiam Romani alii duo exercitus... oppositi.* Quam emendationem non id modo adjuvat, quod, postquam præcessit *præterquam quod,* sæpe apud nostrum in altera parte contrarium refertur *etiam* (cf. X, xxx, 1; XXVI, xiii, 14; in ea forma Tullio magis placet *præterea*), sed ipsa quoque confirmat sententia. Primum enim, quum antea definitum sit, cujus generis fuerint copiæ cum consulibus profectæ, nempe alias Romanas, alias sociales fuisse, cur non item definitur cujus generis sint hi alii duo exercitus? Deinde quid attinet addi *quam Romano,* quum præcedentia per se perspicua sint, neque hac appendice egeant? De commutatis vocibus *quam* et *etiam,* cf. XXVI, i, 3; XXXIV, xxxii, 3; XLIV, xxv, 1.

Cap. XXXVIII, 2.—**Weiss.**: « Dilectu per omne Samnium habito » nova lege, ut, qui juniorum non convenisset..., caput Jovi sacra- » retur (**Codd.** : *sacratum erat*), tum exercitus omnis Aquilo- » niam est indictus. » Sic et Madvigius, sublato *tum.* Scripturæ antiquæ minor vis allata erit, si scripserimus : « ... nova lege, qua, » qui juniorum non convenisset..., caput Jovi sacratum erat, tum...»

Cap. XLVI, 6. — In his verbis : *militi tum dari ex præda... potuisset,* pro voce *tum* Weiss. substituit *munus,* Madvigius *donum.* Malim *aliquantum,* quum paulo supra dictum sit : *militibus nihil datum ex præda est.*

LIBER XXI

Cap. III, 1. — **Codices** : « In Hasdrubalis locum haud dubia » res fuit quin prærogativa militaris quam extemplo juvenis Han- » nibal in prætorium delatus imperatorque ingenti omnium clamore » atque assensu appellatus erat favor plebis sequebatur. » Hæc recentiores editores, lacunæ signum alibi alius apponentes, utcumque divinanda reliquerunt; tantum pro *quam* scripserunt *qua*; quæ mutatio quid in summam profuerit, quæri potest, quum universa res nihilominus in obscuro sit. Ego, quod ad ipsorum verborum integritatem attinet, arbitror ne unam quidem litteram corruptam esse, sed unum versum (*haud dubia res fuit quin prærogativa militaris quam*) suo loco motum esse, præterea in fine unam vocem excidisse. Nimirum recta omnia erunt, sic digesta : « In Hasdru- » balis locum extemplo juvenis Hannibal in prætorium delatus » imperatorque ingenti omnium clamore atque assensu appellatus » erat. Haud dubia res fuit, quin prærogativa militaris, quam » favor plebis sequebatur, comprobaretur. » De voce *comprobaretur,* quam addidi, nihil contendo; reponatur sane alia quælibet ejusdem fere generis, dum modo per eandem syllabam desinat : nam omittendæ vocis illa videtur causa fuisse librario, quod simili syllaba exierit vox præcedens *sequebatur.*

Cap. VIII, 4. — (De Sagunto ab Hannibale oppugnato.) **Codd.**, **Weiss.** : « Abundabat multitudine hominum Pœnus... Oppi- » dani ad omnia tuenda atque obeunda multifariam distineri » cœpti [sunt] non sufficiebant. Itaque jam feriebantur arietibus » muri... » **Madv.** : « ... cœpti sunt. Non sufficiebant itaque. Jam » feriebantur... » Melius haud dubie Weiss.; sed addita una po-

tius quam expuncta voce opus esse reor, hoc modo : « Oppidani, » ut ad omnia tuenda... distineri cœpti sunt, non sufficiebant. » Itaque jam... »

Cap. X, 2. — Hic emendationem proponere paraveram (*magis silentio propter auctoritatem quam cum assensu*), quam in altera demum Madvigii emendationum editione, a. 1877, præoccupatam video.

Cap. X, 9. — (Hanno senatum Carthaginiensem monet, respiciendum esse superioris belli eventum.) **Vulg.** : « Vicerunt ergo dii » hominesque, et id de quo verbis ambigebatur, uter populus fœdus » rupisset, eventus belli, velut æquus judex, unde jus stabat, ei vic- » toriam dedit. » Prior pars sic interpretanda videtur : vicerunt ergo non modo homines, h. e. Romani, sed etiam dii; neque Madvigii, vocem *que* delentis, calumniis assentior : quidni objectum abesse queat, quum toties sine objecto verbum *vincere* usurpatum sit? Quidni per vocem *homines* Romanos intellegere liceat, sed omnes omnino homines intellegere necesse sit? quasi omnes homines intellegendi sint in his (VII, xxvi, 8) : *Dii hominesque illi affuere pugnæ,* ubi de Romanis agitur adversus Gallos dimicantibus; aut in his (V, xlix, 1) : *Diique et homines prohibuere redemptos vivere Romanos,* ubi vox *homines* designat eosdem ipsos Romanos. Alterius partis vitium multi jam viderunt : pronomen *id* non habet unde pendeat, ita ut interpretari cogamur *quod ad id attinet, de quo...,* inusitate. Nec quicquam proficiat, qui velit *id* adhærere ad sequentia, et verba *id de quo verbis ambigebatur* pro appositione haberi : illud enim membrum, cui ea apposita erunt (nempe *uter populus fœdus rupisset*), nihilominus abruptum a cetera oratione destitutumque relinquetur. Nullam puto futuram fuisse offensionem, si illa scripta essent : « ad ea, de quibus controversia erat, judex pronuntiavit »; nam, ut dici solet *ad ea respondit*, ita dici posse *ad ea pronuntiavit,* nemo negaverit : quid autem vetat, ibi utrique verbo *judex* et *pronuntiavit* utriusque enarrationem substitui, ita ut *judex* fiat *eventus belli,* et, pro verbo *pronuntiavit,* habeamus *ei, unde jus stabat, victoriam dedit*? Non aliud voluisse videtur Livius, et sic scripsisse : « Vicerunt ergo dii hominesque : ad id, de quo verbis ambigebatur, » uter populus fœdus rupisset, eventus belli, velut æquus judex... »

Cap. XXVII, 6. — (Postquam ex iis copiis, quas cum Hannone præmiserat Hannibal, Hispani dicti sunt Rhodanum tranavisse.) **Vulg.** : « Et alius exercitus ratibus junctis trajectus, castris prope » flumen positis, nocturno itinere atque operis labore fessus quiete » unius diei reficitur... Postero die profecti, ex loco edito fumo » significant transisse et haud procul abesse. » Prior pars sine interpunctione ita decurrit, ut jungi necesse sit *Et alius exercitus reficitur*; quasi dicatur, Hispanis jam ante refectis, ceteris quoque suam deinde concedi refectionem. Immo vox *et* ad trajectum spectat, non ad refectionem. Distinguendum sic erat : « Et alius » exercitus ratibus junctis trajectus. Castris prope... » In posteriore parte, codices non habent *edito*, sed *prodito,* recentiorum unus *prodicto*. Scribi oportuit *prædicto,* id est, ex loco quem prædixerat Hannibal. Magis id congruit cum Polybii verbis (iii, 43) κατὰ τὸ συντεταγμένον.

Cap. XXVIII, 8. — (De elephantis trans Rhodanum trajectis.) **Codd., Weiss.** : « Altera ratis... ad trajiciendum flumen apta, » huic (stabili rati) copulata est; [ut cum] elephanti per stabilem » ratem... acti ubi in minorem applicatam transgressi sunt, ex- » templo resolutis, quibus leviter adnexa erat, vinculis,... ad alte- » ram ripam pertrahitur. » **Madv.** : « ...copulata est ; tum » elephanti... » Quum nomen infinitum *elephanti* de parte tantum elephantorum intellegi nequeat, hæc significant omnes simul elephantos in ratem impositos esse trajectosque; falso : nam statim post adjecta sunt illa : *Ita primis expositis, alii deinde repetiti trajectique sunt.* Hujus ego repugnantiæ causam latere opinor sub corruptis vocibus *ut cum.* Earum priorem nihil aliud esse nisi numerum VI (ita ut scribendum sit *sex tum elephanti*) non incredibile est; etsi enim ratis quinquaginta pedes lata, centum longa, major videri potest, quam ut elephantos non plus senos accipiat, tamen non de spatio tantum, sed etiam de pondere beluarum cogitandum est. Hæc si vera est emendatio, sexies repetendi fuerunt elephanti ; nam Polybius triginta septem fuisse tradit; de eorum numero tacet Livius.

Cap. XXXIII, 4. — **Codd., Vulg.** : « (Montani) perversis rupibus « juxta invia ac devia assueti decurrunt. » Modum excedit Madvigii emendatio *transversis rupibus per juxta invia*; nec satis justa causa est, cur damnetur vox *perversis*, quum rupes intellegi possint mirum in modum confusæ et quasi motu terræ aliquo subversæ. Satis placeret *perversis rupibus juxta* (i. e. pariter) *ad invia ac devia assueti decurrunt*; nam *assuescere ad* multi et optimi dixerunt.

Cap. XXXIV, 4. — (Postquam montanorum legati ad Hanniba-

lem venerunt, ejus amicitiam petentes.) **Vulg.** : « Hannibal nec te- » mere credendum nec aspernandum ratus, ne repudiati aperte » hostes fierent, benigne quum respondisset... » *Credendum* quidem absolute poni licet, non *aspernandum*; tunc dicendum erat *aspernandum id ratus*. Quod fortasse non advertissem, nisi ibi discessum esset a codicibus, qui, excepto uno **C**, habent *aspernandos* : eam lectionem, præsertim sequente verbo *repudiati*, retinendam fuisse puto. Neque illud obstat, quod X, x, 3 legitur *Necaspernanda res visa neque incaute credenda*; quasi Livius non sæpe sermonem variaverit; immo illius loci verba admonere de hujus vitio debuerunt.

Cap. XXXIV, 5. — **Codd., Vulg.** : « Ipse post cum robore pe- » ditum circumspectans sollicitusque omnia incedebat. » Madvigius, Latinitati consulens, delevit *que*. Sed aliquam vocem excidisse veri similius est. Forte *sollicitus usque*, aut, ut ipsius Livii accedat auctoritas (cf. XXI, LIII, 9), *sollicitus intentusque*.

Cap. XXXVI, 6. — **Codd., Drak.** : « ...per nudam infra gla- » ciem... ingrediebantur. Tetra ibi luctatio erat, ut a lubrica glacie » non recipiente vestigium et in prono citius pede se fallente... » Incommodas voces *ut a* Madvigius uncis inclusit. Weissenbornii emendatio *via* haud scio an tacenda sit. Legendum videtur *illa*, nempe illa glacie, seu vetere nive, quum de altera nive recentiore mentio facta sit. Ibi, auctore ipso Drakenborchio, nuper receptum est *pedes fallente*.

Cap. XXXVI, 8. — **Weiss.** : « Jumenta secabant interdum » etiam [tamen] infimam ingredientia nivem, et prolapsa jactandis » gravius in connitendo ungulis penitus perfringebant, ut pleraque » velut pedica capta hærerent in durata et alte concreta glacie. » Sic et Madvigius, voce *tamen* prorsus deleta. Male hæc se habent. Verba *secabant* et *ingredientia* adeo præpostere posita sunt (nam, qui nivem secat, eum necesse est nivem prius ingressum esse), ut nemo Latinus sic scripturus fuerit, nedum Livius, ordinis rerum in digerendo sermone observantissimus. Deinde quid sibi vult illud *secabant*? Si ad verbum *prolapsa* spectat (eo sensu : *secabant ideoque prolapsa*), minime apparet quomodo alterum ex altero sequatur, aut cur pedem fallat rimula summæ nivi impressa; nam aliud est secare, id est findere, aliud frangere. Sin absolute stat verbum *secabant*, ut per se aliquod eorum malorum contineat, quæ tunc Pœnis patienda fuerunt, memorabile vero id malum est, glaciem secari. Denique neminem fugerit, longius multo relegatam esse vocem *etiam*. Codices duo tantum, **C** et Cant., habent *secabant* (namque **M** *secabānt*, id est *secabantur*, si qua Drakenborchio fides); ceteri, nisi qui inepte aberravere, *secabantur*, id quod retinuerant vetustæ editiones. Iidem **C** et Cant. habent *tamen*, sed **M** et reliqui *tam* aut *tum*. Præterea omnes *continendo*, non *connitendo*. Mihi duo diversa jumentorum incommoda videntur a Livio descripta esse, in hunc modum : « Jumenta secabantur; interdum etiam, » eam infimam ingredientia nivem et prolapsa, jactandis gravius » in connitendo (sive *continendo*; id viderint alii) ungulis penitus » perfringebant... »

Cap. XXXVII, 6. — **Codd., Drak.** : « Inde ad planum descensum, » etiam locis mollioribus et accolarum ingeniis. » Recentiores, quum vocem *etiam* viderent alienam esse, eam, ut voluerat Creverius, diviserunt inverteruntque, hoc modo : « ...descensum, jam et » locis... » Verisimilius scriptum est *et* pro *est*, ut sæpe, et legi debet : « Inde ad planum descensum est, jam locis mollioribus... » Expeditius sic decurrere sermonem jam senserant veteres editores, qui illud *est* addiderant, retento deinde *etiam*.

Cap. XXXVIII, 5. — Quærens Livius cum quantis copiis Hannibal et qua via in Italiam pervenerit, ex altera quæstione ad alteram sic transit. **Madv.** : « Taurini Semigalli proxima gens erat in » Italiam degresso. Id quum inter omnes constet, eo magis miror » ambigi, quanam Alpes transierit. » Madvigio ipsi debentur hi Semigalli; namque **M** habet *taurinisnegalli*, **C** *taurinis**galli* (litteris in medio erasis). Legendum : « Taurini sane Galli proxima » gens erat... » id est, certe, profecto; nunc enim ad certam aliquam rem venitur, postquam de præcedentibus minime constare dictum erat.

Cap. XLI, 4. — (Ex oratione P. Scipionis ad milites.) **Codd., Weiss.** : « ...peditum agmen, quod in modum fugientium raptim » agebatur, quia adsequi terra non poteram, neque ** regressus ad » naves erat, quanta maxime potui celeritate... in radicibus prope » Alpium huic timendo hosti obvius fui. » Madvigius secutus est vulgatam olim hanc lectionem : « ...poteram, regressus ad naves, » quanta... », expunctis vocibus *neque* et *erat*. Bene, mea quidem sententia, post *neque* asteriscum posuit Weissenbornius; nam orationem in hunc fere modum explendam opinor : « ...quia assequi » terra non poteram, neque longior regressus ad naves erat, » quanta... »

Cap. XLIV, 5. — (Ex oratione Hannibalis ad milites.) **Codd.** : « Crudelissima ac superbissima gens... circumscribit includitque » nos terminis montium fluminumque, quos ne excedamus ; neque » eos, quos statuit, terminos observat. Ne transieris Hiberum. Ne » quid rei tibi sit cum Saguntinis : ad Hiberum est Saguntum. » Nusquam te vestigio moveris. » Ibi inducitur in fine Roma ipsa loquens, quum obliqua oratione sic dici eadem potuerint : «...ob- » servat. Primum enim nos vetat Hiberum transire ; deinde ad » Saguntum etiam, quippe quod ad Hiberum sit, accedere ; proinde » usquam (h. e. quoquam) vestigio moveri. » Postremum illud *nusquam te vestigio moveris* per ὑπερβολὴν colligit Hannibal ex duplici priore interdictione. Potuit quidem simpliciter adjicere : *ita ut nobis nusquam mox liciturum sit vestigio moveri*; sed id, quo majorem indignationem moveat, fingit Romam ipsam superbe vetantem. Inconstantiam Romæ, non observantis, quos statuit, terminos, ipsa declarant duo inter se contraria imperia, quibus Pœnus primum Hibero tantum, deinde et Sagunto, etsi longe citra Hiberum sito, arcetur. Verba *ad Hiberum est Saguntum* alterius interdictionis causam afferunt ; ea autem cum præcedentibus nulla conjunctione copulari, non est quod miremur, in oratione vivida et abrupta. Nulla quidem causæ cujusquam significatione opus erat, et Romanis longe alia causa fuit Saguntinos, socios suos, tuendi ; sed Hannibal loquitur, neque aliud quicquam hic curat, nisi ut Romanam inconstantiam insigniorem faciat per hæc subinde posita : *ne ultra Hiberum... ne ad Hiberum quidem*. Ibi Creverius : « Libenter legere- » mus *cis Hiberum est Saguntum*, ut hæc intelligerentur dicta ex » persona Pœnorum. Romanus vetuit transiri Hiberum. Respondet » Pœnus : at eum amnem non transeo, dum Saguntum oppugno. » Recepere hanc conjecturam recentiores, et, quia aliquid præterea desiderabatur, quod indicaret ad contradicentem transiri, aut vocem *ad* mutaverunt, aut alteram aliquam addiderunt. **Weiss.** : « ...cum Saguntinis. — At cis Hiberum est Saguntum. — Nus- » quam... » **Madv.** : « ...cum Saguntinis. — At non ad Hiberum » est Saguntum... » Utrobique difficile est assequi, quid deinde sibi velit vox *nusquam*. Nam si respondet Romanus Pœno contendenti se, salvo fœdere, ad Saguntum ire posse, saltem id respondendum erat : *ne ad Saguntum te vestigio moveris*, non illud, quod novum ac plane dissimile est, *ne quoquam te vestigio moveris* (scio quidem vocem *nusquam*, sicut *ad nullum locum*, ita *in nullo loco* significare posse ; sed hic posterior sensus ne tentandus quidem videtur). Ceterum hoc reprehensum est ex supervacuo : etiam si nullum in nova lectione vitium inesset, standum erat codicum verbis, siquidem ea per se commode intelleguntur.

Cap. XLIX, 7. — (Quæ caverit in Sicilia Æmilius prætor, quum rex Hiero eum monuisset de classe Carthaginiensium Siciliam petente.) Quo facilior sit alterius cum altera collatio, ponam totam codicis **P**, deinde Madvigii lectionem. **P** : « Extemplo et » circa prætore a civitate missi legati tribunique suos ad curam » custodiæ intenderent ante omnia Lilybæum teneri apparatum » belli edicto proposito ut socii navales decem dierum coacta civaria » ad naves deferrent et ubi signum datum esset ne quis moram » conscendendi faceret perque omnem moram qui ex speculis » prospicerent adventante hostium classem simili. » **Madv.** : « Extemplo et a prætore circa civitates missi legati tribunique, » qui suos ad curam custodiæ intenderent, et ante omnia Lilybæum » teneri apparatu belli, edicto proposito, ut socii navales decem » dierum cocta cibaria ad naves deferrent, ut, ubi signum datum » esset, ne quid moram conscendendi faceret, perque omnem » oram, qui ex speculis prospicerent adventantem hostium clas- » sem, missis. » Etsi Pœnis Lilybæi invadendi præcipuam curam esse monuerat Hiero, tamen ii Siciliæ omni imminebant, et in incerto erat, quonam appulsuri essent ; voces igitur *omnem oram* vim suam propriam retinent, neque eam modo significant oram, quæ Lilybæo vicina erat, sed omnem Siciliæ oram. Postrema illa pars non, tanquam appendix, adjungi potest ad eas res, quæ de Lilybæo dictæ sunt. Itaque tres diversæ memorantur res, primum legatos ad civitates missos esse, deinde Lilybæo cautum esse (adjecto ibi decreto de sociis navalibus), postremo per omnem oram dimissos esse speculatores. Quæ quum ita sint, mirum quam inconstans sit dissolutaque Madvigii lectio, ubi tria illa verba, quæ rem complectuntur, *missi* (*sunt*) ... *teneri*... *missis*, nihil inter se forma consentiunt. Ad hoc, quoniam unius prætoris jussu omnia hæc facta sunt, inepte incipit periodus per voces *et a prætore*, ita ut exspectetur deinde *et ab aliis* nescio quibus, certe quasi aliud quid secuturum sit non ab ipso prætore imperatum. Denique id, quod Madvigius affirmat plane certum esse, scilicet hac sententia *ubi signum datum esset ne*... non contineri edicti partem, sed declarari edicti de cibariis coctis consilium, id vero mihi non modo non

plane certum, sed etiam plane falsum videtur. Negat enim ullum imperatorem separatim edicere, ne quis parendi moram faciat. Immo nemo unquam imperator, postquam aliquid jussit, rationem militibus reddi censet, cur id jusserit. At, quæ semper facienda sunt, ea in ipso discrimine intentius facienda esse, quare milites non admoneat? Ego illa suadeo : « Extemplo et circa a » prætore ad civitates missi legati tribunique suos ad curam custo- » diæ intendere; et ante omnia Lilybæum teneri apparatu belli, » edicto proposito, ut socii navales decem dierum cocta cibaria ad » naves deferrent, et, ubi signum datum esset, ne quis moram » conscendendi faceret; perque omnem oram, qui ex speculis pro- » spicerent adventantem hostium classem, dimitti. » Ita uno tenore decurrit periodus per tres hos infinitivos *intendere... teneri... dimitti*. Illa quoque inter se aptius respondent : *et circa... et Lilybæum... perque omnem oram*. Præterea, ubi Madvigius duas voces adjecit (*qui... et*), ibi additamento abstinui, scripto tantum *intendereet* pro *intenderent*; ubi duas mutavit (*ut... quid*), ibi codicis verbis steti.

Cap. LII, 11. — **Weiss.** : « Varia inde pugna sequentes cedentesque cum ad extremum æquassent certamen, major tamen hos- » tium ** Romanos fama victoriæ fuit. » De priore parte, rectene suppleta sit, nihil habeo quod dicam ; ibi **P** : *pugna sequentesque cumque ad extremum*; idem fere ceteri. In posteriore nihil deesse censeo, et legendum esse : « major tamen post cum Romanis fama » victoriæ fuit. » Cf. XXIII, xxxiii, 4 : *tertia victoria cum Pœnis erat*. Neque hic tantum syllabas *post* et *host* permutatas advertisse videor : cf. XXVI, xxix, 10. Madvigius, post *hostium*, supplevit *cædes, penes*; qua correctione hæc periodus cum insequenti non satis cohærere videtur.

Cap. LIX, 7. — (De prœlio acerrime commisso, unde, quum nox intervenisset, pari utrinque clade discessum est.) **Weiss.** : « Pugna » raro magis ulla sæva aut utriusque partis pernicie clarior fuisset, » si extendi eam dies in longum spatium sivisset. » **P** : *ullaaeaut utriusque...* Hunc locum multi emendare conati sunt; eum Madvigius intactum, posito asterisco, reliquit; sed in adnotationibus illam proposuit conjecturam : *...magis ulla sæva et aut alterius aut utriusque...* Non tacendum id videtur, quod, quotiescunque in depravatis Livii locis vox *aut* occurrit, factum animadverti, unius quidem hujus vocis causa supplementa semper visa esse necessaria, plerumque invecta esse, ipsam autem nunquam in suspicionem venisse, tanquam ei soli extra depravationis periculum esse contigerit. Atqui hic eam solam corruptam esse apparet ; nam aptissima sententiæ fiet oratio, si, duabus tantum correctis litteris, pro *aut* scribetur *qua* : « Pugna raro magis ulla æqua utriusque partis pernicie cla- » rior fuisset, si... », id est, illa atrox pugna, adeo erat æqua, utriusque partis pernicie clara inter paucas fuisset. Errat Madvigius in *Em. Liv.*, quum utriusque partis pernicie claram fieri pugnam posse negat, alteram enim partem utique victricem fore, alteram interituram : quasi vero pernicies hic dicatur de adversa pugna, ac non de magna hominum strage. An, quum in periodo insequenti scribit Livius clade pari discessum esse, ibi intellegendum est victam esse utramque partem?

Cap. LX, 8. — **Codd., Vulg.** : « Ceterum præda oppidi parvi » pretii rerum fuit, supellex barbarica ac vilium mancipiorum. » Mirer, si ex hac interpunctione sanum aliquid elici possit. Is enim sensus est : præda oppidi fuit præda rerum parvi pretii, id est supellex barbarica, deinde præda vilium mancipiorum. Itaque post vocem *barbarica* interpungi necesse est.

LIBER XXII

Cap. VIII, 6. — Post acceptam ad Trasumennum lacum cladem, dictatorem dici placuit. « Et quia et consul aberat, a quo uno dici » posse videbatur, nec per occupatam armis Punicis Italiam facile » erat aut nuntium aut litteras mitti, nec dictatorem populo creare » poterat, quod nunquam ante eam diem factum erat, dictatorem » populus creavit Q. Fabium Maximum. » Hæc est codicis **P** lectio, quam omnes respuerunt, ego retinendam fuisse puto. Oportet meminisse dictatorem a consule non Romæ tantum, sed etiam peregre, dici potuisse (vide IX, xxxviii). Inde ita interpretor : quum et abesset consul, et certiorem fieri eum (ut saltem peregre dictatorem crearet) difficile esset, remque igitur, quæ populo opus erat, nec præsens nec absens præstare populo ille posset, eam sibi ipse populus præstitit, h. e. dictatorem creavit, id quod nunquam antea factum erat. Non sine causa additum est *nec dictatorem populo creare poterat*. Nam ex neutra rerum ante dictarum, si singulas intuearis, sequitur omnino non posse id consulem, sed ex duabus conjunctis; et, quum posset Livius brevem illam conclusionem lectori relinquere intellegendam, eam ideo diserte enuntiatam maluisse videtur, ut in ea intexeret vocem *populo*, quæ totum argumentum continet. Cui enim, nisi populo, creabatur dictator? Cujusnam, nisi populi, intererat eum creari? Quare, quum populo is deesset, a quo salutis suæ spem peteret, ipse unus supererat, qui saluti suæ, dictatorem creando, consuleret. Memoranda nunc sunt, quæ hac lectione editores maluerunt. Jam inde ab editione Ascensiana a. 1513 usque ad recentiores scriptum est : « nec dictatorem populus creare poterat,... prodicta- » torem populus creavit. » Quod Madvigius in *Emend. Liv.*

egregie confutavit. **Weiss.** : « ... nec dictatorem prætor creare » poterat... » Hoc, postquam duobus ante versibus memoratum est a consule uno dici posse dictatorem, apparet quam inutile sit. **Madv.** : « ... nec dictatorem populo non consulto senatus creare po- » terat... » Eam emendationem prioribus etiam infeliciorem reor, quum ob supplementum audacius, tum ob alia vitia. Insolitum dicendi genus est, consuli populum de creandis magistratibus, quos ipse, dum consulitur, creat, ita ut consuli et jubere una eademque res sit. Semel quidem (XXVII, v, 16) rogatio ad populum lata est, quem dictatorem dici placeret; tunc autem is, quem populus voluit, non eo ipso neque a populo creatus est, sed a consule deinde dictus. Præterea reprehendenda est ipsius sententiæ inconstantia ; nam si senatus non poterat, populo non consulto, dictatorem creare, inde sequitur ei jus fuisse, populo consulto, dictatorem creandi ; immo, si rem ad extremum exsequi volumus, senatus tunc, quoniam populum consuluit, ipse dictatorem creavit; et hoc ipsum Livio dicendum fuit, non *populus creavit*. Denique illa senatus mentio ex sola conjectura orta est, eaque minime probabili. Mos sane erat eum a consule dici dictatorem, quem senatui placuisset. Sed eo magis notatione digna res est, nullam in hoc loco occurrere mentionem dictatoris, nedum Fabii dictatoris, a senatu ante factam, quum tamen per aliquot dies assidue consultavissent Patres, quem ducem Pœnis opponerent. Confugisse ad dictaturæ remedium, non senatum, sed civitatem dixit Livius, ita ut populus senatui præcurrisse videatur.

Cap. X, 2. — (Ubi consulitur populus de vere sacro vovendo, si per quinquennium res publica in eodem, quo ante bellum fuisset, statu permansisset.) **Codd.** : « Si res p̄ populi romani quiritium » ad quinquennium proximum sic velim eamque salvam servaverit » hisce duellis datum donum duit populus romanus quiritium quod » duellum populo romano cum carthaginiensi est quæque duella » cum gallis sunt qui cis alpes sunt quod ver attulerit... jovi » fieri. » Ad sanationem hujus loci plurimum contulit Lipsius, monens trajectum videri totum illum versum *datum donum duit populus Romanus Quiritium*. Cui obsecutus Madvigius, quum præterea ipse particulam *tum*, sollemne precum votorumque exordium, ex corrupto verbo *datum* eruisset, sic omnia descripsit : « Si res » publica populi Romani Quiritium ad quinquennium proximum, » sicut velim voveamque, salva servata erit hisce duellis, quod

» duellum populo Romano cum Carthaginiensi est, quæque duella » cum Gallis sunt, qui cis Alpes sunt, tum donum duit populus » Romanus Quiritium, quod ver attulerit... Jovi fieri. » Miror ego plures voces, in quibus nihil suspecti deprehendi potuit, propter unam nihilo certiorem mutatas esse, nempe vocem *velim* in tanto honore fuisse, ut importaret *sicut, voveamque, salva, servata erit.* Verius ea in suspicionem cadere debuit, quæ cum ceteris non congruit. At particulam *tum* feliciter inventam esse, contingit ut confirmare possim ; nam verbi *datum* altera pars *da* quid sit, reperisse videor. Nimirum ea syllaba non fuit trajecti versus prima, sed præcedentis ultima, et sub ea latet subjectum, quo eget verbum *servaverit*, id est *dii*. Legendum : « Si res publica populi Romani Quiri- » tium ad quinquennium proximum sic venerit, eamque salvam » servaverint hisce duellis dii (quod duellum populo Romano cum » Carthaginiensi est, quæque duella cum Gallis sunt, qui cis Alpes » sunt), tum donum duit... » Vox *sic* intellegenda est *in eo statu, in quo nunc est.*

Cap. XIII, 4. — **Codd.**, **Vulg.** : « (Hannibal Campanos equites) » monitos ut etiam atque etiam promissa rebus confirmarent... » dimisit. » Madvigius, ex Gronovii conjectura, edidit : « monitos » etiam atque etiam ut promissa... » ; ait enim *etiam atque etiam* aptius referri ad *monitos* quam ad *confirmarent*. Sane, qui voluit ea referri ad *confirmarent,* si quis voluit, is erravit, sed et Madvigius : referri ea ad verbum *promissa* et codices jubent, et præcedentia monent; neque enim potuisset Hannibal alternis fidere ac diffidere, nisi sæpius promissis tentatus esset. Bene habet vulgata lectio.

Cap. XV, 1.— (De Q. Fabio dictatore, quum in cunctatione sua, etsi insectante magistro equitum indignantibusque militibus, perstandum censeret.) **Vulg.** : « Fabius pariter in suos haud minus » quam in hostes intentus, prius ab illis invictum animum præ- » stat. » **Codd.** : *pariter inter suos,* quod Drak. retinuerat ; deinde *aliis,* non *illis*. Quo sensu accipiatur vox *pariter,* non assequor. Cum verbo *intentus* jungi eam non posse, patet ; quis enim ferat *pariter haud minus quam*? Forsitan tentetur *nihilominus*, aut *æque ac solitus erat antea* ; at neutri eorum sensuum apta est vox *pariter*. Nec magis placet *intentus in suos* ; immo id ab re alienissimum est : an, qui suorum sermones neglegit, qui, quid velint censeantve, parum curat, is tunc suos intentius observare dici potest ? Non intenti hominis est obtrectationem infamiamque æquo animo pati, sed patientis. Quare placeret : « Fabius patiens inter suos haud minus » quam in hostes intentus... ». Deinde, num bene pro *aliis* scriptum sit *illis,* est quod dubitem ; adeo sæpe animadverti a librariis permutatas esse voces *alius* et *suus* (vide XXIV, xxvii, 8 ; XXX, xxxiii, 12 ; XXXIX, xxxi, 7 ; XL, li, 8) ; ad hoc, in Puteaneo frequentissime litteram *a* cum littera *s* commutatam esse monet Drak. (XXII, xxv, 4). Quare alteram hujus loci partem mallem sic scriptam : « prius ab suis invictum animum præstat. »

Cap. XVII, 2. — **Vulg.** : « Signum extemplo datur, ut accensis » cornibus armenta in adversos concitentur montes. » **PM** : *armenta autid in adversos.* Forte *armenta omnia* (*omia*).

Cap. XVII, 6. — **Vulg.** : «...cum majore tumultu concitant se » in fugam. » Meliores *cum majore multo concitant* ; nullus videtur habuisse *tumultu.* Opinor fuisse : « cum majore multo tumultu » concitant...» Cur enim pro *tumultu* scriptum sit *multo,* nihil causæ est ; facile autem *tumultu* post *multo* excidere potuit.

Cap. XXI, 4. — **Weiss.**, **Madv.** : « Adversus eos tribuni mili- » tum... missi levi certamine, ut tumultuariam manum, fudere » omnes, occisis quibusdam captisque, magnaque parte armis » exuta. » Redundat vox *omnes*. P_1 quidem habet *omnis*, sed P_2 et **M** *omnibus,* item ceteri, nisi quod **C** *omib.* Inde legendum : «...fudere, hominibus occisis quibusdam captisque... » *Homines* sæpe pro *hostes* dixisse Livium admonet Drak. XXIII, xxxvii, 11, ubi vide, quæ congessit, exempla.

Cap. XXIV, 8. — **Codd.**, **Madv.** : « [Tum ut] itaque exiguum » spatii vallum a vallo aberat, et id ipsum totum prope compleve- » rat Romana acies. » Lege : « Tum utrisque exiguum... » De commutatis litteris *a* et *s*, admonui paulo supra ad cap. XV, 1.

Cap. XXIV, 9. — Postquam dictum est Minucium castra Romana in planum detulisse, Hannibalem, spreto eo, non modo magnam suorum partem frumentatum dimisisse (qui ei mos tota hac æstate fuerat), sed etiam, quanquam ii abessent, propius hostes castra movere ausum ; tunc Minucium simul aciem instruxisse, simul equites per agros emisisse, a quibus frumentatores Pœni cæsi fugatique sint, sic deinde pergit narratio : «... nec acie certare Hannibal » ausus, quia tanta paucitate vix castra, si oppugnarentur, tutari » poterat. Jamque artibus Fabii (pars exercitus aberat jam fame) » sedendo et cunctando bellum gerebat, receperatque suos in priora » castra, quæ pro Gereonii mœnibus erant. » Sic codices, nisi quod

habent *Fabiis pars*. Hunc locum depravatum esse multi viderunt. Fame enim non laborabat Hannibal, qui æstatem frumentando absumpsisset atque etiam commeatus in hiemem Gereonii seposuisset; præterea nullam aliam partem exercitus ejus afuisse ante memoratum est, nisi eam ipsam, quæ in oculis ipsius tunc cædebatur; denique prava lectio *fame abesse* mendum arguit. Itaque variæ emendationes excogitatæ sunt, quarum quum nulla satis placeret (tamen ex iis unam, a Sabellico allatam, receperat Drak.), totam parenthesin Weissenbornius asterisco notavit, Madvigius uncis, saltem in priore sua editione, inclusit. Hæc ego sic emendanda puto: «...Jamque ar» tibus Fabii (sparsus exercitus oberat jam famæ) sedendo... » id est, hinc Hannibal suos spargere (id quod ejus famæ jam nocebat) destitit, et, Fabium imitatus, contractis copiis receptisque in priora castra, sedendo deinde bellum gerebat. Qua emendatione una tantum littera mutata videri potest, quum *sparsus* potuerit scribi *spars'*, litterarumque *æ* et *e* sæpe in codicibus nullum discrimen sit. Ibi tacere non possum de Madvigii audacia; qui, quum in *Emend. Liv.* hunc locum attigisset, neque, quod suaderet, quicquam attulisset, postremo suspicatus erat aliquot verba suo loco mota esse et transponi debere. Equidem sæpe et ante expertus eram eum emendandi licentia ita usum esse, ut interdum Livii non editor, sed laboris socius videri posset (vide, exempli gratia, XLII, XLIII, 1, ubi duos versus totos Livio imputavit); tamen non sine aliqua admiratione vidi in altera ejus editione confidenter receptam hanc ipsam trajectionem, quam antea verbo tenus jecerat.

CAP. XXV, 12. — M. Metilius tribunus plebis, Q. Fabii dictatoris cunctationem in contione insectatus, rogationem se promulgaturum dixerat de æquando magistri equitum dictatorisque jure. Sic deinde, editiones veteres secutus, **Drak.**: « Dictator concionibus » se abstinuit, in actione minime popularis. Ne in senatu quidem » satis æquis auribus audiebatur, tunc quum hostem verbis extol» leret, bienniique clades... acceptas referret. » **Codd.**: *hunc cum*. Ibi manifestum est, requiri saltem *in ea actione*; alioquin universe intellegi necesse est, Q. Fabium in actione qualibet displicere plebi solitum esse. Quapropter, auctore Gronovio, Madvigius scripsit *populari*. Parum tamen profecit. Ista enim actio minime popularis, quum M. Metilii esse nequeat, qui secundis auribus plebis auditus erat, oportet Q. Fabii sit. Tunc autem vox *actio*, sive ex forensi, sive ex civili sermone adscitam eam velis, æque aliena est : in re

forensi ad accusatorem pertinet, in re civili ad eos magistratus, qui aliquid ultro agunt, id est incipiunt; eo certe sensu apud Livium usurpari solet (Cf. III, IX, 2; IV, LV, 1; V, XXIV, 7). Nulla ergo hic actio est, quam Fabii fuisse aut futuram fuisse fingi possit : instituta erat actio adversus eum, non ab eo; eaque actio erat popularis. Illa scripsisse videtur Livius : « Dictator contioni» bus se abstinuit. In contione (*cōtione*) minime popularis, ne in » senatu quidem satis æquis auribus audiebatur tunc, quum hos» tem verbis extolleret... » Ita, quum tollitur vitium, tum multo simplicius per hanc comparationem a plebe ad senatum transitur; præterea vox *tunc*, quam Madvigius aliique expunxere, non modo non supervacua, sed etiam necessaria fit, ut priscæ constantique plebis invidiæ opponatur nova et brevis Patrum offensio. Senatus enim Fabio favebat; tunc tantum, præter consuetudinem, minus æquis eum auribus audiebat, quia laudari nolebat hostem. Atque ibi *tunc quum* interpretor *eo tempore quia*, non *eo tempore quo*, quippe qui sensus postulaturus sit deinde *extollebat* et *referebat*.

CAP. XXV, 14. — (Verba Q. Fabii dictatoris in senatu, quum rogatio ad populum lata esset de æquando ejus Minuciique, magistri equitum, imperio.) **Edd. recc.** : « Si penes se summa imperii » consiliique sit, propediem effecturum, ut sciant homines, bono » imperatore haud magni fortunam momenti esse, mentem ratio» nemque dominari, et in tempore et sine ignominia servasse exer» citum, quam multa millia hostium occidisse, majorem gloriam » esse. » Minime liquet, qua arte effecturus sit Fabius, ut homines postea sentiant (id quod nunc, etsi re jam perpetrata, non sentiunt), magnam esse servati exercitus gloriam. Quonam argumento infamem cunctationem suam omnibus approbaturum se pollicetur? nempe prospero ejus exitu. Ut igitur descendat tandem in aciem Hannibalemque vincat, num ea victoria documento erit, cunctatione antea opus fuisse, nec majus quicquam ante eam diem sperari potuisse, quam ut incolumis servaretur exercitus? Nonne immo verior inde videbitur inimicorum querela, quod tamdiu ei satis fuerit non vinci, nec maturius, quum posset, vicerit? Itaque inania hæc verba sunt. At codices **PMC** ibi non habent *et in tempore*, verum *set in tempore* (**C** *sed*); quo reposito mutataque interpunctione, sana sententia erit : «... rationemque dominari. Sed in tempore et » sine ignominia servasse exercitum... » Nimirum ait Fabius, si imperium retineat (etenim id ipsum tunc agebatur, ut abrogaretur

ei minueretur ve imperium), demonstraturum se, fortunæ præstare rationem; sin autem non retineat (is est sensus vocis *sed*), saltem satis jam gloriæ sibi partum esse : servando exercitum multo plus fecisse se, quam si postea, retento imperio, multa millia hostium occidat. Aliud quidem in interpretanda fine sententiæ succurrere potest, id est, se multo plus fecisse, quam Minucium, quem sibi anteponant homines, quia multa millia hostium occiderit. Prior vero interpretatio haud paulo melior videtur, duarum rerum causa : unius, quod de Minucio Fabius non dicturus fuit *multa millia,* quum se negavisset (cap. XXV, 2) victoriæ ejus credere; alterius, quod de se melius sentiebat, quam ut ulla parte Minucium ipse sibi compararet.

Cap. XXVI, 1. — (De C. Terentio Varrone, cui grandis pecunia a patre lanio obtigerat.) **Vulg.** : « Is juvenis, ut primum ex eo ge- » nere quæstus pecunia a patre relicta animos ad spem liberalioris » fortunæ fecit, togaque et forum placuere, proclamando pro sor- » didis hominibus... primum in notitiam populi, deinde ad honores » pervenit. » **Codd.** : *is juvenis utrum ex eo genere...* Ibi Perizonii, quo auctore hæc recepta sunt, desideratur toties spectata prudentia. Neque enim verum est, Varronem, ut primum (h. e. eo ipso tempore, quo primum) ad forum accesserit, ad celebritatem honoresque pervenisse ; et hoc *ut primum* ita abhorret ab illo *deinde,* quod sequitur, quasi dicas : « duas res statim adeptus est » Varro, quarum alteram non statim, sed deinde. » Adde huc molestam repetitionem *ut primum... primum.* Minore certe vitio Drakenborchius veterum editionum lectionem (*Is juvenis, ubi ex eo genere...*) retinuerat. Ad ceteram offensionem illud quoque accedit, quod ad verba *fecit* et *placuere* adjiciendum fuisse videtur pronomen *ei.* Atque id ipsum monstrandæ emendationis est. Tolletur enim omne vitium, et quidem leniore, quam quæ adhuc adhibita erat, medicina, si repositum erit pronomen, hoc modo : « Is juvenis, » ut cui ex eo genere quæstus... »

Cap. XXVIII, 9. — **Drak.** : « Dux ipse (Minucius) inter stolidissimos ferocissimosque ad arma vocat, et vanis animis et minis » increpat hostem. » Ex auctoritate aliquot deteriorum codicum nuper editum est *et vanis minis increpat hostem.* Sed meliores priorem scripturam exhibent; tantum **PC** *et nimis* pro *et minis.* Legendum videtur : « ... et vanis animis eminus increpat hostem. » Si quis assentietur Madvigio, contendenti plurale *vanis animis* de uno homine non recte dici (ego vero non assentior), ei fortasse magis placebit scribi *et vanis minis eminus increpat hostem.* Nec moror.

Cap. XXX, 8. — **Codd., Vulg.** : « Romæ... pro se quisque Maxi- » mum laudibus ad cælum ferre. Par gloria apud Hannibalem hos- » tesque Pœnos erat. » Ferri posset *Par gloria ejus*, id est Maximi. Hoc autem genitivo omisso, non modo mancus videtur sermo, sed etiam perversa sententia. Ea enim vis est præpositionis *apud*, ut, quum dicitur aliquid apud aliquem esse, intellegamus id ab eo homine possideri. Sic Sall., *Catil.*, xx, 8 : *omnis gratia, potentia, honos, divitiæ apud illos sunt.* Inde hic intellegi necesse est Hannibali Pœnisque eandem, quæ Maximo fuerit, gloriam fuisse. Unam litteram excidisse reor, et reponi debere : « Pari gloria apud Hannibalem » hostesque Pœnos erat (Maximus). »

Cap. XXXIV, 5. — (Q. Bæbius tribunus plebis, dum queritur nobilium fraude bellum adversus Hannibalem trahi, criminatur Fabium in aciem non eduxisse una cum Minucio, ejusque legiones ab hoste cædi maluisse.) **Madv., Weiss.** : « Quum quattuor legio- » nibus universis pugnari posse apparuisset eo, quod M. Minucius » absente Fabio prospere pugnasset, duas legiones hosti ad cædem » objectas, deinde ex ipsa cæde ereptas, ut pater patronusque ap- » pellaretur, qui prius vincere prohibuisset Romanos, quam vinci. » Ex hac lectione et interpunctione is unus sensus mihi videtur elici posse : Etsi prospere gesta res a Minucio, qui magister equitum, absente Fabio dictatore, quattuor legionibus pugnaverat, satis ostenderat quattuor legionibus universis (h. e. exercitu quattuor legionum, ac non duobus binarum legionum exercitibus) pugnari posse, tamen Fabius Minucium separatim in aciem descendere maluit, ejusque legiones ab hoste cædi passus est, ut ipse eas deinde ex cæde eriperet, paterque appellaretur... Mira vero res est, exemplo ullo opus fuisse, ut appareret pugnari posse quattuor legionibus. Annon quolibet exercitu, atque etiam una legione, uno manipulo, semper pugnari potest, si pugnandum modo, non vincendum est? Manca igitur sententia est, et requiritur aliquid, quod verbum *pugnari* definiat, ut *prospere,* aut *æquis viribus*, aut *sine damno*, aliudve quid simile. Scio intellegi etiam posse (immo intellegi debere, si verbis ipsis stes), quattuor legiones non majorem exercitum esse, quam ut satis instructus et ordinatus, ideoque cum aliqua spe victoriæ, hosti opponi queat ; sed hoc, propter ineptiam,

non puto cuiquam in mentem venisse; ac ne sic quidem opus fuisset Minucii exemplo, quum sæpe jam antea Romani adversus Latinos, Samnites, Etruscos binis consularibus exercitibus pugnavissent. Ad hoc, frigida sunt et otiosa verba *absente Fabio,* in quibus hic frustra aliud quæras quam significationem temporis, quo pugnatum sit; poterat dici *nuper*, siquidem ex illa absentia nihil colligitur, quod ad rem pertineat; cui reprehensioni plus lucis mox accedet ex comparatione veræ sententiæ. Denique mendum relictum est : quum significatur aliquid aliqua re ostendi, non dici solet *apparet eo,* sed *apparet ex eo.* Nihil autem erit, quod offendat, si sinceram codicum scripturam *posset apparuisse* reposuerimus : « Quum quattuor legionibus universis pugnari posset, apparuisse, » eo quod M. Minucius absente Fabio prospere pugnasset, duas » legiones hosti ad cædem objectas... » h. e. quum quattuor legiones universæ Pœnis opponi possent, manifestum fuit, Fabium, ideo quod (h. e. iratum quod) Minucius absente se prospere pugnasset, duas Minucii legiones hosti cædendas reliquisse.

Cap. XXXV, 3. —**Vulg.** : « Nobilitas... L. Æmilium Paulum, qui » cum M. Livio consul fuerat, et damnatione collegæ, et sua prope, » ambustus evaserat, infestum plebei, diu ac multum recusantem, » ad petitionem (consulatus) compellit. » Jungi potest seu *damnatione evaserat,* seu *damnatione ambustus*; utrumcunque malueris, *evadere damnatione prope sua* aut *ambustus damnatione prope sua* æque ridiculum est. Præterea, quum verbi *ambustus* nulla alia significatio sit, nisi Paulum eodem pæne, quo Livium, incendio conflagrasse, manifestam id verbum tautologiam affert, et satis erat dici *prope sua.* Forte legendum est : « ... fuerat, ex damnatione » collegæ, ex qua prope ambustus evaserat, infestum plebei... » h. e. infestum plebei ex eo tempore, quo collega damnatus erat et ipse damnationem vix effugerat.

Cap. XXXV, 4. — (De eodem Paulo, cui consulatus petitionem ceteri candidati concesserunt.) « Is, jus proximo comitiali die con» cedentibus omnibus, par magis in adversandum quam collega » datur consuli (Varroni). » Hæc est scriptura codicum **PMC.** Cur omnes editores in id consenserint, ut vocem *jus* delerent, ne excogitare quidem possum. Rectissime enim hi candidati, qui jus petitionis ante usurpaverant, deinde dici possunt suo jure Paulo decessisse, seu petitionis jus ei concessisse, quemadmodum videmus

apud Tullium, *Phil.*, II, 2 : *Auguratus petitionem mihi te concessisse.* Nisi vero dici *petitionem concedere* liceat, *jus petitionis concedere* non liceat.

Cap. XXXVIII, 9. — (Verba Æmilii Pauli ad populum de collega Varrone.) **Madv.** : « Mirari se [quodne] qui dux, priusquam aut suum » aut hostium exercitum ... nosset, jam nunc togatus in urbe sciret, » quæ sibi agenda armato forent.. » Ad verba corrupta *quodne qui* Weissenbornius asteriscum apposuit. Pro his alii alia reponi voluerunt : Valla *quomodo quis*, quod Drakenborchius recepit; Gronovius *qui nunquam*; Faber *quod novus*; Madvigius in *Em. Liv. quod denique*, etc.; quidam deleri *quodne* censuerunt. Depravatæ scripturæ causam opinor fuisse unam inversam litteram (*d* pro *q* : cujus commutationis et alibi reperta sunt exempla, ut XXXIII, xxi, 5, *duos* pro *quos*). Legendum : « Mirari se quoque qui dux, priusquam... » Vox *qui*, eodem sensu accipienda quo *quomodo*, Livio familiaris fuit; cf. XXXII, xxi, ubi non semel occurrit, § 2 et 15. Si quem forte offenderit vox *quoque* ita abrupte dicta, ut subaudiendum sit id, ad quod refertur (nempe, miror ego quoque, sicut alii quidam mirati sunt), conferre jubebo XLV, xli, 7 : *Mihi quoque ipsi nimia jam fortuna videri*; ne ibi quidem ulla præcessit res, qua sensus vocis *quoque* declararetur.

Cap. XXXIX, 4. — (Fabius Paulum monet, cavendum ei esse non magis ab hoste Hannibale, quam a collega Varrone.) **Weiss.** : « Nescio an infestior hic adversarius quam ille hostis maneat te, » et cum illo in acie tantum, cum hoc omnibus locis ac temporibus » sis certaturus, et adversus Hannibalem legionesque ejus tuis » equitibus ac peditibus pugnandum tibi sit, Varro dux tuis mili» tibus te sit oppugnaturus. » Codex **P** : *...maneat et cum... temporibus si certaturus est adversus...* Bene docuit Madvigius omnia hæc non pendere posse ex illo *nescio an*, sed, jam inde a verbis *cum illo in acie*, cetera, quæ sequuntur, omnia ad confirmationem explicationemque prioris sententiæ dici debuisse. Quæ causa ipsi fuit a codice **P** pluries desciscendi, totamque periodum ita vertendi, ut vix agnoscatur. Eadem jam ante licentia usus erat Drakenborchius ipse, atque ibi consuetudinis suæ misere oblitus Gronovium ducem spreverat. Atqui id, quod quæritur, plane assequemur, si lectionis Weissenbornii non plus unam litteram mutaverimus, hoc modo : « Nescio an infestior hic adversarius quam ille hostis ma» neat te; ut cum illo in acie tantum, cum hoc omnibus locis ac

» temporibus sis certaturus... » h. e. ita ut certaturus sis, unde eveniet ut certandum tibi sit.

CAP. XXXIX, 8. — **Vulg.** : « Atqui si hic (Varro), quod facturum » se denuntiat, extemplo pugnaverit... » Abundat pronomen *hic*, et parum aptum est : nam idem Varro præcedentis sententiæ subjectum fuit, nec de ullo alio nunc agi posse apparet. Credo advectum esse ex § 6, ubi recte pronomini *ille* contrarium relatum erat. **P** : *adqui sic quod*; **C** *atqui quod*; de ceteris tacetur. Malim : « Atqui » si, id quod facturum... »

CAP. XXXIX, 19. — **Vulg.** : « Gloriam qui spreverit, veram habe» bit. » Hæc ferri non posse senserat Muretus, conjeceratque *Gloriam vanam qui*; atque id inverso ordine (*Vanam gloriam qui*) edidit Madvigius. Ceterum, quum duobus ante versibus occurrerint eadem verba *vana gloria*, verisimilius est scribi debere : « Glo» riam eam qui spreverit, veram habebit. » Quæ vox *eam* quam facile ibi omitti potuerit, nemo non videt.

CAP. XL, 8. — **Vulg.** : « Ne unde raperet quidem (Hannibal), » quicquam reliqui erat, omni undique frumento, postquam ager » parum tutus erat, in urbes munitas convecto. » **PC** : *erat omnibus undique*. Sinceriorem illam fore lectionem reor : « .. reliqui erat, » ab omnibus undique frumento... convecto... » Vocem *ab* præcedens syllaba *at* videtur intercepisse.

CAP. XLVI, 5. — (De armis habituque Gallorum et Hispanorum) **Madvig.** : « Gallis Hispanisque scuta ejusdem formæ fere erant, » dispares ac dissimiles gladii, Gallis prælongi ac sine mucronibus, » Hispano, punctim magis quam cæsim assueto petere hostem, » brevitate habiles et cum mucronibus. Ante alios habitus gentium » harum, quum magnitudine corporum, tum specie terribilis » erat. » **Weiss.** ex conjectura Gronovii : « ... cum mucronibus. » Sane et alius habitus... » Hic codices turbant. **P**¹ : *mucronibus antetalius hannibatus*; **P**² **M**¹ : ...*alius hanimatus*; **M**² **C**² : ...*habitus*. Recte Madvigius Gronovianam vocem *sane* parum aptam judicavit; sed ipsius verba *ante alios* haud multo probabiliora. Codicis **P** scripturam, si modo excipiatur monstrum *hannibatus*, sinceram fere esse arbitror, neque in ea aliud quicquam deesse, nisi illud compendii signum, quod pro syllaba *er* interdum poni solebat (*mucronibus' antet*...). Quo reposito, sic omnia decurrent : « Gallis Hispa» nisque... dissimiles gladii : Gallis prælongi ac sine mucronibus, » Hispano... cum mucronibus erant. Et alius habitus.. »

CAP. LI, 9. — (Dum Cannensem stragem spectant Pœni.) **Weiss.**, **Madv.** : « Præcipue convertit omnes substratus Numida mortuo » superincubanti Romano vivus, naso auribusque laceratis, quum, » manibus ad capiendum telum inutilibus, in rabiem ira versa, la» niando dentibus hostem exspirasset. » **P** : *versas laniando*. Hujus periodi pars prior exhibet Numidam vivum, posterior eundem (quod quidem universa sententia falsum esse arguit) mortuum. Idem enim utrinque subjectum est, nec alium hominem ad verbum *convertit*, alium ad verbum *exspirasset* lex sermonis intellegi sinit. Ad id, quod voluit Livius, recte declarandum, desideratur una vox, cujus dimidiam partem codex **P** retinuit. Legendum : « ... quum... » ira in rabiem versa, is laniando dentibus hostem exspirasset (is, » h. e. Romanus). »

CAP. LIV, 11. — (De magnitudine cladis Cannensis.) **Madvig.** : « Compares scilicet cladem ad Ægates insulas Carthaginiensium » prœlio navali acceptam,... aut pugnam adversam in Africa, cui » postea hic ipse Hannibal succubuit... : nulla ex parte compa» randæ sunt.. » **Weiss.** : « Compares cladem ad... » **P** : *comparesset cladem*. Neque vox *scilicet* quid sibi velit, video, neque qui sit ille usus conjunctivi *compares* : nam concessionis ea forma est, ut si dicatur *fac compares*. At sententia aperte postulat *etiamsi compares*. Ideo legendum puto : « Compares licet cladem... »

CAP. LIX, 1. — **Vulg.** : « Legatis captivorum senatus ab dicta» tore datus est, quorum princeps M. Junius : Patres conscripti, » inquit, nemo nostrum ignorat... » Is dictator, qui senatum habet, M. Junius est, paulo ante dictus (vide cap. LVII, 9); ut non sine admiratione aliqua videamus idem nomen prænomenque et dictatori et captivorum oratori esse. Lectio codicis **P**, quam retulit Alchefskius, sic habet : *m̄. iuniusq. pc. inquid*. Inde error apparet, simul erroris causa, unam in codice litteram omissam esse. Legendum : « ...quorum princeps : M. Juni, vosque, Patres conscripti, » inquit, nemo nostrum ignorat... » De illa duplici appellatione *Juni vosque*, cf. XXXIV, XXXI, 1; XXXVIII, LI, 7.

CAP. LIX, 14. — (Ex oratione captivorum Cannensium ad Patres.) **Weiss.** : « Illud etiam in tali consilio animadvertendum vobis cen» seam..., cui nos hosti relicturi sitis. Pyrrho videlicet, qui [vos] » hospitum numero captivos habuit? An barbaro ac Pœno..? » Codicum vocem *vos* Madvigius delevit. Reponendum est *suos*.

CAP. LX, 7. — (Ex oratione T. Manlii, ne captivi redimantur.)

Vulg. : « Nunc autem quum prope gloriati sint, quod se hostibus » dediderint, præferrique non captis modo in acie ab hostibus, sed » etiam iis, qui Venusiam Canusiumque pervenerunt, atque ipsi » C. Terentio consuli, æquum censuerint, nihil vos eorum, P. C., » quæ illic acta sunt, ignorare patiar. » Quantopere Patres Varronem, et vaniorem adolescentem et infimi generis hominem, contempserint, quam enixe ei, consulatum per insectationem nobilium petenti, obstiterint, notum est; quantus deinde pudori accessurus fuerit dolor et indignatio, quum eum rei publicæ prope exitio fuisse viderent, suspicari facile est. Neque sic animatus quisquam Patrum magis esse potuit, quam ipse Manlius, multarum imaginum vir, idem patriæ amantissimus. Quare ea verba, quæ de Varrone honorifice, tanquam de optime merito imperatore, dicuntur, et ab dicentis et ab audientium ingenio videntur abhorrere. Scio quidem, Varroni postea Romam redeunti obviam itum esse a Patribus gratiasque actas; sed hoc quum respectu plebis factum est, tum quod reficiendi erant ex tanta clade civium animi : in curia, sicut eum non carpi decuit, ita ne laudari quidem, quum præsertim eum primum fugæ auctorem fuisse nemo ignoraret. Ipsi quoque Livio minime apta sunt ea verba, qui, quid de Varrone senserit, satis docuit. Nec nihil dubitationis afferunt codices. **P** : *adque ipsi c. terentio consule*; sic etiam **C**, nisi quod *atque*; **Lov. 1** : *atque ipsi cum terentio consule*; ceteri *consuli*. Inde legendum esse crediderim : « ...qui Venusiam Canusiumque pervenerunt, idque ipsi cum Teren- » tio consule... » h. e. etquidem Terentium consulem secuti. Nam fuga consuli quidem indecora fuit, qui exemplo aliis esse debuerat, aliis autem ideo venia digna, quod eum secuti erant, quem sequi debebant.

Cap. LX, 20. — (Ex eadem oratione.) **Drak.** : « Nunc autem » quemadmodum hi boni fidelesque... cives esse possunt? Nisi » quis credere potest fuisse, ut erumpentibus, quin erumperent, » obsistere conati sunt; aut non invidere eos... » **P** : *qui necrumperent*; **MC** : *qui nec erumperent*. Bene recentiores editores, codicem **P** pressius secuti, reposuerunt *qui ne erumperent*; cetera corrigere aggressi, sententiam ipsam depravaverunt. **Madv.** : « Nisi quis » credere potest, aut favisse erumpentibus, qui, ne erumperent » obsistere conati sunt, aut... » **Weiss.** : « Nisi quis credere po- » test fuisse usui erumpentibus... » Defendebant captivi se bonos fidelesque cives esse, non, id quod factis revincebatur et extra fidem

futurum fuit, erumpentibus favisse aut usui fuisse. Itaque hæc idem valent ac si dicat Manlius : « Nisi quis credere potest ea cap- » tivos fecisse, quæ non fecisse se ipsi fatentur. » Nusquam sic nugatur Livius. Atqui antiqua scriptura fere integra est, atque ibi levissimo tantum genere mendi peccatum est, quum nullæ voces facilius confundi solitæ sint, quam *ut, in, cū, tū*. Legendum est : « Nisi quis credere potest fuisse in erumpentibus (scil. bonos fide- » lesque cives), qui, ne erumperent, obsistere conati sunt... » h. e. nisi boni fidelesque isti fuerunt, quum suos erumpentes retinuerunt. Simillimum est illud Horatii, *Od.*, IV, iv, 4 : (*aquilam*) *Jupiter expertus fidelem in Ganymede flavo*.

Cap. LX, 26. — (In fine ejusdem orationis.) **Vulg.** : « Vos re- » dimam? Quum erumpere castris oportet, cunctamini et manetis; » quum manere... » **Madvig.** : « Et vos redimam?... » Mira res est, omnes, jam inde ab anno 1535, in id consensisse, ut respuerent codicum veterumque editionum lectionem *quos redimam* (h. e. Et istos redimendos censeam?), ubi, si nihil aliud, multo major certe indignationis contemptusque vis inest. Cur mutavere? an quia secunda statim post sequitur persona? At tertia præcesserat. Ceterum, hæc si fuit offensionis causa, quanto plus peccasse Vergilius videri debet, qui idem *quos*, pro *vos*, inter *audetis* et *luetis*, id est, in compellatione perpetua, interposuit?

... tantas audetis tollere moles?
Quos ego... Sed motos præstat componere fluctus.
Post mihi non simili pœna commissa luetis. *Æn.*, i, 134.

Quod apud Vergilium laudavere, apud Livium respuerunt. Mutatum est autem auctore Gelenio, cujus ibi præcipua auctoritas nulla fuit : ejus enim codex Moguntinus tertiam hanc decadem non habuit; neque immo, si habuisset, audiendus in hoc loco fuisset, adversante optimo Puteaneo (1).

(1) Vergiliano exemplo addendum illud Plautinum (*Pœnul.*, V, 3, 33) : « Lachanam vos! Quos ego jam detrudam ad molam... »

LIBER XXIII

CAP. VIII, 7. — (Capuæ apud Ninnios Celeres epulante Hannibale cum paucis Campanis.) **Weiss.** : « Unus nec dominorum invitatione nec ipsius interdum Hannibalis Calavius filius perpelli ad vinum potuit... » **P** : *filius perholavinum potui.* Bene, suadente Seyfferto, expulsum est vulgatum antea prænomen Perolla ; num æque feliciter transierit in *perpelli,* est quod dubitetur ; vehementius enim aliquanto videtur id verbum, quam ut cum invitatione benigna et leni conveniat ; perpelli quemquam non fere reperimus apud nostrum, nisi minis, auctoritate, impensioribus adhortationibus precibusve. Nec præterea probabiliter ex litteris *perhol* eruitur *perpelli.* Malim *perlici.* Ex his codicis **P** vestigiis Madvigius expressit *perpelli ad potandum,* quæ verba neminem alium ibi visurum opinor ; atque ait prorsus alienum esse vini nomen, quia nihil aliud nisi vinum potare soliti sint (intellegant alii ; nam ob id ipsum crediderim ego non alienum esse vini nomen). Addit idem in adnotationibus *perpelli ad vinum* non Latinum esse ; privata opinio ea est ; saltem docere debuerat, cur, quibus placuit *accedere ad vinum* (Pl., *Asin.,* IV, I, 54), iis displicuerit *invitare ad vinum* aut *perlicere ad vinum.*

CAP. IX, 1. — (Postquam consilium suum de occidendo Hannibale patri aperuit Calavius filius.) **Vulg.** : « Quæ ubi audivit viditque » senex, velut si jam agendis, quæ audiebat, interesset, amens » metu... » **P** : *agendis interq. audiebat.* Egressi erant ambo ex convivio, nec nisi in convivio patrari facinus poterat ; inde conjicio : « ...velut si jam agendis intus, quæ audiebat, interesset... » Verborum *inter* et *intus* idem olim compendium fuit *int'.*

CAP. IX, 7. — **Vulg.** : « Vultum ipsius Hannibalis, quem armati » exercitus sustinere nequeunt, quem horret populus Romanus, tu » sustinebis? » **P** : *sustineren quem horret.* Adnotaverunt ibi verbum *nequeunt* suppletum esse. Immo id, etsi mutilum corruptumque, habet **P**. Multo enim veri similius est, in verbo *nequeūt* priorem litteram *e* excidisse, quam totum verbum omissum esse, quoniam vox *quem* supervacua est. Expungendam eam censeo et scribendum : « ...quem armati exercitus sustinere nequeunt, hor- » ret populus Romanus... »

CAP. IX, 11. — **Vulg.** : « Tuam doleo vicem, cui ter proditæ » patriæ sustinendum est crimen, semel, quum defectionis ab » Romanis, iterum, quum pacis cum Hannibale fuisti auctor, tertio » hodie, quum restituendæ Romanis Capuæ mora atque impedi- » mentum es. » Revocanda est priscarum editionum lectio, quam sine causa, invitis codicibus, Gronovius ceterique respuerunt. Plerique enim codices et ipse **P** exhibent *cum defectione inissa ab Romanis.* Recte igitur olim editum erat : « ...semel, quum defectionem » inisti ab Romanis, iterum, quum... » Nec fides modo id jubet, sed et sermonis concinnitas, ut tres periodi partes suum quæque verbum habeant, non duæ idem.

CAP. XI, 1. — **Weiss., Madv.** : « Q. Fabius Pictor a Delphis Ro- » mam rediit, responsumque ex scripto recitavit. Divi deæque in eo » erant, quibus quoque modo sacrificaretur. » **P** : *recitavit dividique in eo* ; **M** : *divinique* (quod Madvigius in notis scribit codicis **P** lectionem esse *dividæque*, errare eum opinor ; nam a ceteris in ea re discrepat, et alteri lectioni codex **M** suffragatur). Probari nequit *Divi deæque* : dicendum enim erat aut *dii deæque* aut *divi divæque*. Nec magis placet nomen *responsum* indefinite positum ; rectius erat significari, cujus responsum fuerit. Codicis **P** scriptura integra observari debuit, hoc modo distincta : « ... responsumque » ex scripto recitavit Divi. Dique in eo erant, quibus quoque modo » sacrificaretur. » h. e. responsum Divi, sive Apollinis (cf. XXV, XII, 10 : *is divus,* de eodem Apolline) ; utræque voces *que* inter se respondent, velut si diceretur : in eo responso erat et quibus diis sacrificaretur et quomodo.

CAP. XI, 9. — (Res ab Hannibale gestas Mago apud senatum Carthaginiensem narrat.) **Vulg.** : « (Hannibalem) cum sex consula- » ribus exercitibus acie conflixisse ; occidisse supra ducenta millia » hostium, supra quinquaginta cepisse. » Nequaquam credibilia

ista sunt. Ut enim ex illis sex consularibus exercitibus nemo unus miles effugerit, ne sic quidem ducenta quinquaginta millia cæsorum captorumque effici possunt. Cæsa autem ad Trasumennum lacum et Cannas minus sexaginta millia Romanorum quum Livius tradiderit, unde cetera millia, usque ad ducenta, habebimus? Dicat aliquis, consulto a Magone amplificatam esse rerum magnitudinem. Quomodo autem Hanno ille, qui deinde hujus orationis inconstantiam acerbissime reprehendit, non illud quoque miratus est, majorem numerum cæsorum quam hostium fuisse? Profecto in codice **P** (ubi legitur *supra c̄c̄ hostium*) perperam geminata est littera c̄, et legi debet : « occidisse supra centum millia hostium. »

Cap. XIV, 8. — Quum Nolæ assideret Hannibal, voluntariam deditionem exspectans, et plebs ad eum deficere vellet, senatus Nolanus, qui in societate Romana perstabat, assensum simulando rem extraxit, donec Marcellum periculi sui certiorem faceret. Ibi sic **Weiss.** et **Madv.** : « Itaque ubi senatum metus cepit, si propa- » lam tenderent, resisti multitudini concitatæ non posse, secunda » simulando dilationem mali inveniunt. Placere enim sibi defectio- » nem ad Hannibalem simulant; quibus autem condicionibus in » fœdus amicitiamque novam transeant, parum constare. Ita spa- » tio sumpto legatos propere ad...Marcellum...mittunt. » Vix quemquam fefellerit, quam inania sint verba *secunda simulando*. Quas enim res secundas simularet senatus, quum neque esset bellum, necdum cum Hannibale de pace ac defectione agi cœptum esset? Et in his *Placere enim... parum constare*, quibus consilii sui rationem senatus plebi affert, quid usquam reperitur, quod ad ullas res secundas pertineat? Quid denique illustrat ea periodus, quæ, quum per vocem *enim* incipiat, præcedentibus verbis lucem allatura fuisse videtur? Nihilominus umbras prensamus. At **P** aliique habent *secunda simulanda simulando*. Inde scribendum erat « secunda stipulanda simulando », h. e. simulando impetrandas esse ab Hannibale secundas sibi pacis leges, antequam ad eum deficerent. Simili errore in codice **Vind.** XLV, xxxvii, 11, scriptum fuit *stipulandos* pro *stimulandos*. De secundis legibus condicionibusve, cf. VIII, xii, 14.

Cap. XVI, 7. — (De Marcello Nolam adversus Hannibalem tuente, quum ei nuntiatum esset Nolanos ad defectionem spectare.) **Weiss.**, **Madv.** : « ...priusquam aliqui motus in urbe oreretur, » fortunam pugnæ experiri statuit. » **P** : *motus iniurise*. Ex priore parte verbi corrupti *iniurise* eliciendum esse *intus*, jam deteriorum codicum quidam monuerant, idque receperant Sigonius et Drakenborchius. Cur recentiores prætulerint *in urbe*, nullam aliam causam fuisse opinor, nisi quia hæserint in altera parte. Quæ tamen incorrupta est (*ise*). Legendum : « motus intus in se oreretur. » Ceterum hic, adeo displicet vox *aliqui* singulari numero posita, nescio an scribi præstet *orerentur*, vel, quemadmodum olim editum fuerat, *aliquis*.

Cap. XVI, 16. — (De Marcelli haud adversa pugna adversus Hannibalem.) **Madv.** : « Ingens eo die res ac nescio an maxima illo bello » gesta est ; non vinci enim ab Hannibale † vincentibus difficilius » fuit quam postea vincere. » Verbi *vincentibus* licet nullus sit sensus, tamen id apud Drak. et Weiss. nullo signo notatum mansit. Quoniam ibi de duobus temporibus contrarie relatis agitur, debuerat vox *postea* indicare, priorem partem verbi *vincentibus* nihil aliud esse posse, nisi *tunc* ; quo invento, in altera parte expedienda parum est negotii. Legendum : « ... non vinci enim ab Hannibale » tunc ducibus difficilius fuit, quam postea vincere. »

Cap. XVII, 7. — **Codices** : « Hannibal... quum a Casino dic- » tatorem Romanum legionesque nimis accipi nuntiassent, ne quis, » tam propinquis hostium castris, Capuæ quoque orerecurrunt, » exercitum ad Casilinum ducit. » In fine, probanda videtur illa Gronovii emendatio : *ne quis Capuæ quoque oreretur motus* (ubi vox *quoque* significat, opinor, qualem motum Nolæ his ipsis diebus Hannibal tentatum viderat, etsi pro se adversus Romanos). De ceteris, quæ multos interpretes frustra torserunt, difficile est quicquam pro certo ponere, conjecturam afferre licet. Pro *accipi* probabiliter Valla suasit *acciri*, atque id Gronovius ceterique deinceps recepere. Quo autem acciri? Nam ad quem locum accitæ sint legiones, oportet aut diserte dici, aut ex universa sententia posse intellegi. Quoniam Capuæ timuit Hannibal legionum propinquitatem, ad Capuam eæ videntur accitæ esse; nec vero incredibile est, eam factionem, quæ Romanam societatem desiderabat, clam dictatorem monuisse, ut propius Capuam moveret, dum Hannibal procul in agro Neapolitano ageret. Nihil autem offenderet, si aliquid dictum esset, unde colligeretur, ex qua urbe nuntius Hannibali missus esset : nimirum, si dictum esset a Campano senatu monitum esse Hannibalem de accitis legionibus, perspicuum esset ad Capuam eas accitas esse. Inde incidit suspicio, totius sententiæ sensum verti in

corrupta voce *nimis*, sub ea latere nomen eorum hominum, qui nuntium Hannibali miserint, eosque homines Campanos esse, immo ex iis qui Punici fœderis fautores et defectionis ab Romanis principes fuissent. Scimus autem nullos Campanorum Hannibali amiciores fuisse, quam Ninnios Celeres, apud quos eum Capuæ deversatum esse narravit Livius, cap. VIII. Legendum igitur crediderim : « ...quum a Casino dictatorem legionesque Ninnii (*Ninni*) » acciri nuntiassent... »

Cap. XIX, 9. — (De Casilini præsidio obsesso fameque presso, quum ei nuntiatum esset, ut missa Vulturno dolia nocte exciperet.) **Vulg.** : « ... intentis omnibus in flumen ac spem ab nuntio Romano » factam... » Durum id videtur, uno verbo significari duas diversas res, nempe eos intentos fuisse oculis in flumen, animo in spem. Simplicius atque haud scio an magis Latine quidam codices recentes *ad spem...factam*, h. e. quum spes facta esset.

Cap. XXII, 4. — (Referente M. Æmilio prætore de paucitate Patrum ac de explendo senatu.) **Codd.** : « Sp. Carvilius quum » longa oratione non solum inopiam, sed paucitatem etiam civium, » ex quibus in Patres legerentur, conquestus esset... » Apparet sententiam requirere *non solum inopiam senatorum*, *sed etiam*... Itaque vocem *senatorum* Weiss. et Madv. suppleverunt. Ego, quoniam de hac ipsa inopia tunc referebat prætor, nec ulla alia intellegi poterat, illud prætulerim : « ... non solum inopiam eam, sed » etiam paucitatem... » Sic enim patet omissæ vocis causa.

Cap. XXIII, 8. — (De Fabio Buteone dictatura se abdicante.) **Vulg.** : « ... extemplo se magistratu abdicavit,... turbæque se im« miscuit privatas agentium res, tempus hoc sedulo terens, ne » deducendi sui causa populum de foro abduceret. » Pravum est pronomen *hoc*. Etenim nulla cujusquam temporis mentio ante facta est, ad quam referatur *hoc*, neque ex verbis *turbæ se immiscuit* ulla temporis significatio exprimi potest. Quare legi censeo « tempus » hic sedulo terens », quod in uno aut altero codice fuisse traditur. Haud raro *hic* pro *ibi* aut *illic* positum esse notum est.

Cap. XXV, 1. — **Vulg.** : « Velut nocturna solitudine per urbem » acta. » Nisi fallor, fit solitudo, non agitur. Reponi debet *facta*, quod in duobus recentium codicum repertum est.

Cap. XXIX, 6. — **Vulg.** : « Imperatorum utriusque partis haud » ferme dispares spes erant ; nam ne multum quidem aut numero » aut genere militum hi aut illi præstabant. » Si scriptum esset : *Non modo non præstabant militum genere*, *sed ne multum quidem*, nemo, opinor, tulisset. Tamen quid in hoc sermone est aliud, quam quod in illo fuit ? Patet voces *multum* et *militum* in locum alterius alteram trajectas esse, et restitui debere : « nam ne militum » quidem aut numero aut genere multum hi aut illi præstabant. »

Cap. XXXI, 2. — **Codd.**, **Weiss.** : « Senatus... decrevit ut » [quo] eo anno duplex tributum imperaretur. » Vocem *quo* sustulit Madvigius. In codice **C** a prima manu fuit *q°*, non *quo* ; et fieri potest ut in archetypo idem compendii genus usurpatum fuerit. Inde conjecerim in una littera olim peccatum esse, et illud *q°* scriptum esse pro *p°*, id est *populo*. Nam is dativus in ea re aliquando occurrit, ut IV, LX, 4.

Cap. XXXI, 13. — **Vulg.** : « ... augures vitio creatum videri » pronuntiaverunt. » **PMC** *viderunt*. Forte *videri eum*.

Cap. XXXIII, 11. — **Vulg.** : « (Hannibal cum Philippo rege » fœdus jungit) legibus his, ut Philippus... bellum pro parte sua » terra marique gereret ; ubi debellatum esset, Italia omnis cum » ipsa urbe Roma Carthaginiensium atque Hannibalis esset... » **PC** : *esset in Italia omnis*. Legendum : « ubi debellatum esset, » tum Italia omnis... » Etenim in formulis pactionum sponsionumque (nec non votorum, precum, jurisjurandi), postquam ea condicio, qua quis spondet aliquid factum iri, enuntiata est, solet deinde per particulam *tum* incipere illud, quod factum iri spondetur. Manserunt ibi hujus particulæ vestigia (*in* = *tū*). Cf. I, XXIV, 8 ; I, XXXII, 6 ; XXII, X, 2 ; XXII, LIII, 10 ; XXXII, II, 4.

Cap. XXXIV, 7. — (Quum a Romanis capti essent tres Hannibalis legati ad Philippum regem missi.) **Vulg.** : « ... litteræ quoque » ab Hannibale ad Philippum inventæ, et pacta inter regem Mace» donum Pœnumque ducem. » **P** : *inventaeetpactaeetpactisinter*. In eo fœdere, quod paulo supra expositum est, non societas modo belli et victoriæ præmia pacta erant, sed etiam quæ utriusque forent in bello partes, ita ut prior Philippus trajiceret in Italiam, deinde, devicta Italia, Hannibal in Græciam. Quare codicis **P** lectio non mutilanda erat, sed in hunc modum castiganda : « ... inventæ, » et pactæ partes inter regem... »

Cap. XXXIX, 1. — **Vulg.** : « Dum hæc Romani parant aguntque, captiva navis una ex iis, quæ Romam missæ erant, ex cursu » refugit ; inde scitum, legatos cum litteris captos. » Hæc nequaquam intellegi possunt, præsertim ita distincta. Quæ enim ad aver-

tendum Italia Philippum parabant agebantque Romani, ea tunc tantum agi cœpta sunt, postquam periculum innotuerat, id est, postquam cum navibus supra dictis captivi legati litteræque Hannibalis Romam pervenerant. Captiva igitur navis, quæ ex cursu refugit (nempe ex eo cursu, quo Romam cum ceteris tendebat; nam de alio cursu cogitari per eam orationem non licet), nullo modo potuit, quum hæc Romani pararent, refugere, sed antequam pararent. Præterea per hæc significatur et illud, plures captivas naves fuisse; at unam tantum captam esse memoratum est (cap. XXXIV, 2). Itaque non sine causa interpretes, excepto uno Alchefskio, qui quid senserit, parvi refert, in hoc loco hæserunt. Quomodo res mihi aliqua ex parte expediri posse videatur, dicam. Capta nave Macedonica, quæ legatos vehebat (cap. XXXIV, 2), ii divisi sunt in quinque naves Romanas (cap. XXXIV, 9); quæ naves primum Cumas ad consulem Gracchum, deinde Romam missæ (cap. XXXVIII, 3), postremo ei classi adjunctæ sunt, quæ ab Ostia Tarentum proficisci jussa est (cap. XXXVIII, 8). Veneritne Romam cum quinque ceteris Macedonica navis, tacuit quidem Livius, sed venisse veri simile est, immo cum iis Tarentum profectam esse, quoniam naves quam plurimas conquiri compararique curavit senatus. Tum ex cursu refugisse videtur, quum ab Ostia Tarentum iret. Huic enarrationi nihil obstat, nisi verba *quæ Romam missæ erant,* ut quæ significent navem tunc refugisse, quum Romam peteret, non quum inde abiret. Ea vero verba non codicibus, sed editoribus debentur. **P** habet *romaemissa,* **M** aliique *romaemissae.* Inde legi debet, mutata interpunctione : « Dum hæc Romani parant » aguntque, captiva navis, una ex iis, quæ Roma remissæ erant, » ex cursu refugit... » Ceterum, quæ causa refugiendi ei fuerit, num pretii spe inducti fuerint socii navales, si suam Philippo navem restituissent, aut pars Macedonicorum nautarum in ea remanserint ceterosque traxerint, rem in medio relinqui necesse est. Quanquam de sociorum navalium fuga cavillatio vana sit : nam ne tunc quidem, quum recens capta Romam duceretur, eam navem credibile est suis Macedonicis nautis regendam permissam esse.

Cap. XLIII, 13. — **Madv.** : « Ipsorum magis quam Hannibalis » interesse... » Bene vocem *magis,* quæ in bonis codicibus non comparet, supplevit Madvigius; omitti enim eam, non Livianum videtur. Sed probabilius post vocem *Hannibalis* ponenda fuit.

Cap. XLIV, 5. — In Pœnos Nolam oppugnantes eruperat Marcellus, eorumque aliquot primo impetu oppresserat; deinde æquatis viribus certari cœptum erat, quum imber pugnantes diremit. **Madv.** : « Eo die commisso modico certamine atque irritatis animis » in urbem Romani, Pœni in castra receperunt sese; nam Pœnorum » prima eruptione perculsi ceciderunt haud plus quam triginta, » Romani quinquaginta. Imber... » Codices non habent *nam,* sed **P** *tam,* ceteri *tamen.* Item omnes ignorant vocem *quinquaginta*; tantum in **P** fuit littera *l,* aut potius pro insequente voce *imber* scriptum fuit *liber,* sed ea littera *l* altera manu deleta est. In hoc loco non tanti erat bis a codicibus discedi, si quidem sententia etiamnum misere laborat. Hanc enim pugnam Romanis quam Pœnis secundiorem fuisse, ostendit et ipsa Livii descriptio, et quod paulo infra (cap. XLV, 1) Marcellus superiorem se fuisse prædicat. Quomodo igitur plus hominum apud Romanos quam apud Pœnos periit? Id sensit Gronovius, et pro *triginta* suasit *trecenti,* quod recepit Weiss.; frustra : nam, duobus positis numeris, repugnat de majore dici *haud plus quam.* Omnis illa difficultas mihi ex unius litteræ omissione orta videtur. Recte se habebit sententia, si verbi *ceciderunt* primam litteram geminaveris, et in hunc modum interpunxeris : « ... receperunt sese; tamen Pœnorum prima eruptione perculsi » centum (*c*) ceciderunt, haud plus quam triginta Romani. » Vix opus est addi vocis *tamen* illum esse sensum : etsi modicum id certamen fuerat, tamen plures quam pro temporis spatio cecidere.

Cap. XLV, 10. — (Verba Hannibalis ad milites.) **Codd.**, **Drak.** : « Romam vos expugnaturos, si quis duceret, fortes lingua jactabatis. Enim minor res est : hic experiri vim virtutemque volo. » Expugnate Nolam.. » **Weiss.** : « .. En minor res est; hic.. » **Madv.** : « En in minore re hic.. » Prætulerim ego : « En hic minor » res est; hic.. » In ea enim vocis *hic* iteratione major vis inest, eamque suadere videntur sequentia *hinc vos ducam.*

Cap. XLVII, 6. — (Quum Claudius Asellus et Vibellius Taurea, Romanorum Campanorumque equitum longe principes, invicem provocassent ad pugnam, jussit Taurea equos in cavam viam demitti, ne spatium ad evagandum esset, statimque alter in eam equum dejecit; tum Taurea :) **Vulg.** : « Minime, sis, inquit, can- » therium in fossam. » De his, quæ vulgo enarrantur *minime demitte, sis, cantherium in fossam,* valde dubitare se ait Madvigius; cujus verba hæc sunt : « Neque, omisso imperativo, *sis* poni » potuisse videtur (quum præsertim hæc familiariter precandi

» forma per se parum apta proverbii brevitati et præcepto sit), nec » *minime* in tali genere elliptice vetandi recte pro *ne* dictum esse. » Recte quidem Madvigius; et addere potuit frigidum et obscurum jocum esse. Ceterum non necesse est tota illa Taureæ verba in proverbium prodita esse ; opinor ego eum primo significasse se discedere, deinde per irrisionem aliquid adjecisse, quod in proverbium abierit. Discedere autem cupientibus familiaris locutio apud comicos fuit *mitte me*, vel *mitte me, sis*; cf. Pl. *Pseud.* I, III, 10; Ter. *Ad.* V, II, 5. Inde placeret sic legi et interpungi : « Mitte me, sis, » inquit ; cantherium in fossam. » h. e. sine me abire; cantherium tantummodo in fossam demitte (cantherii est, qualis tu es, in fossam demitti ; quæ irrisio videtur cognominis Aselli).

Cap. XLIX, 8. — (Ad obsessam sociorum urbem P. et Cn. Scipiones inter trina Carthaginiensium castra quum pervenissent.) **Vulg.** : « ... ad castra maxima oppugnanda, quibus Hasdrubal præerat, » ducunt. Eodem et duo duces et duo exercitus Carthaginiensium, » ibi rem summam agi cernentes, convenerunt. » Hasdrubal et ipse erat dux Carthaginiensium; tamen hæc postrema ita dicuntur, quasi duo tantum duces et exercitus Carthaginiensium fuerint : dicendi erant duo duces alii aut ceteri. Legendum : «... Eodem duo » duces et duo exercitùs Carthaginiensium alii, rem summam agi » cernentes, convenerunt. » Pugnæ locus bis indicari non debuit.

Cap. XLIX, 9. — **Vulg.** : « Sexaginta hostium millia eo die in » pugna fuerunt, sedecim circa a Romanis; tamen adeo haud dubia » victoria fuit, ut... » Est quod miremur, ab sedecim millibus Romanorum non modo ultro petita, sed etiam facile victa esse sexaginta millia eorum militum, qui paulo ante dicti erant ipsis Romanis haud impares (cf. cap. XXIX, 6). Dubitationem auget, quod sic orsa erat periodus, ut exspectaretur *sedecim Romanorum*, non *sedecim a Romanis*; quæ dicendi forma ita tantum apta videretur, si posterior numerus tanquam prioris pars positus esset, ut, puta, *sexaginta millia erant, quorum sedecim a Romanis.* Nec vero aliter Livium dixisse verisimile est, sed *hostium* male scriptum esse pro *hominum*, quæ voces sæpe a librariis commutatæ reperiuntur. Legendum igitur censeo : « Sexaginta hominum millia eo die in pugna » fuerunt, sedecim circa a Romanis. »

LIBER XXIV

Cap. II, 9. — (Bruttiis Crotonem obsidentibus perfuga nuntiat dissensionem in urbe esse, solos senatores resisti velle) : « in » vasta urbe lataque omnibus disjectis mœnibus raras stationes » custodiasque senatorum esse; quacumque custodiant plebis » homines, ea patere aditum. » Sic **P**, nisi quod pro *raras*, quod suasit Gronovius, exhibet *paraset*. Editores pro *lata* scripserunt *late*, et nuper vocem *omnibus* damnaverunt (sustulit Madvigius, uncis inclusit Weiss.). Utrumque male. Memoravit enim Livius Pyrrhi bello tantam vastitatem in ea urbe factam esse, ut vix dimidia pars ejus postea habitaretur : inde duæ res sequuntur, primo incolas infrequentes sparsosque fuisse (*disjectos*), deinde mœnia ipsa latius sita, quam ut ab incolis facile adiri defendique possent (*disjecta*). Quemadmodum ad paucitatem civium pertinet adjectivum *vasta*, ita ad mœnium longinquitatem adjectivum *lata*. Sed ibi pervagatissimo librariorum errore pro *hominibus* scriptum est *omnibus* (de quo errore vide VII, xxx, 11). Legendum : « in vasta » urbe lataque hominibus disjectis mœnibusque, raras stationes » custodiasque senatorum esse. »

Cap. III, 3. — (De ejusdem urbis vastitate.) **Madv.** : « Flumen, » quod medio oppido fluxerat, extra frequentia tectis loca præter- » fluebat, et arx procul eis, quæ habitabantur, sex millia aberat. » P *aros*, non *arx*. Quum urbs Croto (vide hoc ipso capite, § 1) duodecim millia passuum in circuitu habuerit, id est quattuor fere millia in latitudinem, stultum est arcem sex millia ab quolibet urbis loco distantem facere. Nisi forte ea extra urbem fuit. Sed ne id quidem fingere per præcedentia licet : intra urbem fuisse patet ex

cap. II, 11, ubi dicuntur Bruttii primo impetu urbem omnem, præter arcem, cepisse. Sensit quidem vitium Weiss., sed, dum verba *sex millia aberat* ex priore sententia in posteriorem relegat, utramque corrupit. Legendum opinor : « Flumen... extra frequentia tectis » loca præterfluebat, et ad os, procul eis, quæ habitabantur, sex » millia aberat. » h. e. ejus ostium sex millia aberat ab iis urbis partibus quæ habitabantur : quæ res indicio est, magnum antiquæ urbis spatium desertum fuisse ; siquidem Croto maritima urbs erat, nec flumen poterat olim, quum eam divideret, procul ab ea in mare influere, etiamsi obliquo cursu influxisse putes. De voce *os* cf. I, XXVIII, 8 ; XXV, XI, 19.

CAP. III, 14. — **Vulg.** : « Locrenses brevi post legati, quum per- » missu Hannonis arcem intrassent, persuadent, ut traduci se » in Locros paterentur.. » **Madv.** : « ..traduci se [in] Locros... » Lege : « ...traduci se inde Locros.. » h. e. ex arce Crotonis. *Inde* per compendium scribi solebat *in*.

CAP. VI, 6. —(De Romanis legatis ab Hieronymo per ludibrium exceptis.) **Vulg.** : « Romani, quum serio legationes audire cœpis- » set, redituros se ad eum dicentes esse, monito magis eo quam » rogato, ne fidem mutaret, proficiscuntur. » Vox *esse* et incommode posita est, et abundat. Præterea sermonis legatorum duæ sunt partes, quæ copulatione carere recte non possunt. Opinor olim vocem *esse*, ut sæpe, scriptam fuisse *ēē*, quæ depravatio fuerit vocis *et* ; itaque legi debere : « ... dicentes, et monito magis eo... » Quod negaverunt quidam ablativum absolutum recte copulari posse cum participio per conjunctionem *que, et, ac*, vide XXV, XIV, 8, quam neglegenter ad Livium attenderint.

CAP. VI, 7. — **Vulg.** : « Convenit, ut, quum Romanos Sicilia » expulissent (Pœni),... Himera amnis, qui ferme dividit insulam, » finis regni Syracusani ac Punici imperii esset. » Vocis *insulam* nullum vestigium in codicibus est. Neque omissionis ulla apparet causa, et invenuste eadem res duplici nomine declaratur (*Sicilia... insulam*). Verisimilius excidit *eā* post *ferme*, et scribi præstat *quæ ferme eam dividit...*

CAP. VIII, 15. — **Drak.** : « Velut pacato mari, quælibet Hanni- » bali tuta atque integra ab domo venerunt. » Codex **P** non habet *quælibet*, sed *quib*. Nuper substitutum est *quævis*, quod nihilo propius nec ad codicem nec ad sententiam accedit. Sensus vult *omnia*. Ea vero vox (*omīa*), si putes primam litteræ *m* lineam præcedenti

litteræ per incuriam adhæsisse, adeo parum differt a voce *quib*, ut eam ipsam reponi satius sit. (1)

CAP. X, 9. — Quum in codicibus scriptum sit vocem in Sabinis de cælo tactam esse, Madvigius corruptum vocabulum *vocem* reliquit, signo notatum ; Drak. et Weiss. substituerant *nucem*. Opinor fuisse *bovem*, ut sæpe alibi in prodigiorum mentione. Nullæ litteræ frequentius confusæ sunt quam *b* et *v*.

CAP. X, 11. — « Affirmantes quidam, legiones se armatas in Ja- » niculo videre, concitaverunt civitatem ad arma, quum, qui in » Janiculo essent, negarent quemquam ibi... apparuisse. » Sic ediderunt Weiss. et Madvigius, auctorem Alchefskium secuti. **Codd.** : *ad arma qui cum in Janiculo essent negarunt* (**M** *negaverunt*). Legendum : « ... ad arma ; alii, quum in Janiculo essent, nega- » runt... » De commutatis vocibus *qui* et *alii*, cf. IV, XLIII, 4 ; XXXIII, XXXVI, 3 ; XXXIV, II, 12.

CAP. XVI, 11. — (Oratio Gracchi ad volones, postquam eos, ob rem prospere gestam, dignos indignosque promiscue libertate donaverat.) **Drak., Weiss.** : « Priusquam omnes jure libertatis æquas- » sem, inquit, neminem nota strenui aut ignavi militis notasse » volui. » **Codd.** : *æquasset*. Non assequor, cur dictum sit *priusquam æquassem* pro *priusquam æquarem* ; nec magis, quid voluerint Hertzius Madvigiusque, edentes *jure libertas æquasset* : quum enim libertas et jus libertatis idem sit, gratuito videntur mutasse. Legendum : « Priusquam omnes jure libertatis æquasse, inquit, » neminem... notasse volui, » eadem sermonis forma, qua IX, XIV, 15 : *perdere priusquam perire optantes*. Adde Plin. *Ep.* VIII, XIV, 3.

CAP. XVIII, 9. — (Postquam censores citaverant duo millia juniorum, qui sine justa causa quadriennio non militassent, eosque omnes tribu moverant atque in ærarios retulerant.) **Madv.** : « ... tri- » buque omnes moti ; additumque tam truci censoriæ notæ triste » senatus consultum, ut ei omnes, quos censores notassent, pedi- » bus mererent mitterenturque in Siciliam... » **P** habet *tamerici*, non *tam truci*. Ibi Weiss. maluit *tam acri*. Utraque hæc adjectiva, quod ad Latinitatem attinet, non admodum apta censoriæ notæ sunt, minus certe, quam quæ doctis viris olim venerant in mentem, ut *amaræ, acerbæ*. Ad hoc, supervacua videntur ; neque enim appa-

(1) Scripta hæc erant, quum in altera *Emendationum Livian.* editione (1877) vidi idem Madvigio placuisse. Nihil muto.

ret, cur ibi potissimum de notæ atrocitate mentio facta sit, quum sæpe alibi Livius similes censorum notas, et quidem nonnunquam immeritas, nullo addito adjectivo retulerit. Censeo legi debere : « additumque tamen ei censoriæ notæ triste senatus consultum, » h. e. nec tamen satis senatui visum est eos notatos esse. Præterea aliud mutandum est. Hæc enim ita interpuncta sunt, quasi ad eos solos pertinuerit senatus consultum, qui quadriennio non militaverant. At statim ante item alii cives ob crimina diversi generis notati erant, quos et ipsos eodem senatus consulto comprehendi jubent verba *ei omnes, quos censores notassent*. Quare sic distinguendum est : « ... tribuque omnes moti. Additumque... »

Cap. XXII, 2. — **Weiss.**, **Madv.** : « Servitutis formidines indi- » gnitatesque homines expertos adversus notum malum irritatos » esse... » **P** *servitudinis indignitatisque*. Conjecit Madvigius *servitutis onus indignitatesque*, sed dubitanter, fortasse ratus nimium deseri codicis vestigia. Credo ego nomen *onus* bene inventum esse pro *dinis* ; neque enim aliud fere ibi mutatur, nisi littera *d*. Sed in priore parte miror eum offendisse, quæ integra est et incorrupta. Lege : « Servitii onus indignitatesque.. » Livium aliquando *servitium* pro *servitutem* dixisse patet ex XLI, vi, 9 : *justum pati servitium*.

Cap. XXVI, 3. — (Quum ad Heracliam, Hieronis filiam, venissent percussores, ea confugit in sacrarium ad penates supplicum habitu.) **Vulg.** : «...et ad ea addidit preces, nunc per memoriam » Hieronis patris Gelonisque fratris, ne se innoxiam invidia Hiero- » nymi conflagrare sinerent. » Jamdiu assensum est Creverio monenti vocem *nunc* alienam esse. Atque ibi Madvigius suspicatur aliquid excidisse hujusmodi *nunc per deos, nunc per memoriam...* Usitatissima enim res est, ubicunque destituta cum aliqua offensione occurrat una illarum vocum, quæ geminari posse videantur, ut *nunc, modo, aut, alius*, statim lacunæ suspicionem arripi, quasi in eis et ipsis oscitare librarius non potuerit. Ut nonnunquam omissionis id indicium est, ita non semper. In hoc loco mihi videtur *nc* (nam sæpe in codicibus ita scriptum fuit *nunc*) pro *ne* scriptum esse ; proinde sic legerim : « et ad ea addidit preces : ne, per » memoriam Hieronis patris Gelonisque fratris, ne se innoxiam... » sinerent. » Sic Verg. *Æn.* VI, 833 : *Ne, pueri, ne tanta animis assuescite bella*. Adde Cl. *Bello Gild.* 286.

Cap. XXVI, 10. — (Post miserabilem Heracliæ deprecationem.) **Drak.** : « Aversis auribus animisque, casse ne tempus tereretur, » ferrum quosdam expedientes videbat ; tum, omissis pro se pre- » cibus, puellis ut saltem parcerent, orare instituit. » **P** : *aversis aurib animisque cassae ne tempus terrerentur ferrum...* Recentiores ejecere vocem barbaram *casse*. **Weiss.** : « Aversis auribus animis- » que questa, ne tempus tererent, ferrum... » **Madv.** : « Aversis » auribus animisque adstare, ne tempus tererent, ferrum... » Præter incertum tardumque sermonem, prope est ut ridiculi aliquid ibi insit : nimirum quosdam ferrum, ne tempus tererent, expediisse (neque enim jungendum puto *adstare ne tempus tererent*), idem sapit ac si dicatur quosdam interim, ne nihil agerent, armis expediendis vacasse. Præterea, quod enarrat Madvigius, id est, universos interfectores aversis auribus adstitisse, quosdam etiam longius progressos esse, id in his ullo modo reperiri posse nego ; latent hi universi, nec nisi quosdam videmus, quum tamen exspectetur quomodo universos, non quomodo quosdam, longa Heracliæ moverit obsecratio. Ceterum de sua ipse emendatione dubitare se confitetur Madvigius. Haud improbabile est conjicere, hic, ut sæpe in codice **P**, litteram *q* scriptam esse pro *que*, ideoque non modo *cassae*, sed *uecassae* ad investigationem patere. Inde venit in mentem : « Aver- » sis auribus animisque ii recusare, ne tempus tererent. Ut ferrum » quosdam expedientes videbat, tum, omissis pro se precibus, » puellis... »

Cap. XXVII, 8. — (Quum ad renovandum fœdus Appius missus esset Syracusas, ubi alii Pœnis, alii Romanis favebant.) **Vulg.** : «...Appius naves ad ostium portus, quo aliæ partis hominibus ani- » mus accederet, in statione habere cœpit... » (**Madv.** : † *aliæ*) Hasne sordes doctos viros reliquisse, immo quosdam probasse ! Ut genitivus *aliæ* pro *alius* apud vetustos quosdam scriptores repertus sit, ubinam apud Livium? Immo, ut hic ab constantissimo usu suo Livius per libidinem discesserit, nonne stulte illa mens Appio dicitur fuisse, ut adversæ partis hominibus animos adderet, suis minueret? Reponendum est *suæ*, non ideo tantum, quod jubet sententia, sed etiam quod sæpe alibi illæ ipsæ voces *suus* et *alius* altera alteri suppositæ deprehenduntur ; de qua commutatione vide quæ dixi ad XXII, xv, 1, in fine.

Cap. XXX, 9. — **Vulg.** : «...exercitum ducunt Megaram, ipsi » cum paucis equitibus Herbesum proficiscuntur. » Quum in pluribus aliis locis Livius dixerit *Megara* plurali numero (immo *Megaris* in hoc ipso loco tribus infra versibus), *Megaram* autem hic

tantummodo et capite seq. § 5, Madvigius delevit litteram *m*, ut quæ sæpe a librariis temere addita detractaque sit. Recte quidem correxit; sed aliud residet vitium, unde apparet hic certe non culpandos esse librarios. Nam voces *exercitum* et *ipsi* ita inter se respondent, ut si scriptum esset *exercitum quidem ducunt Megaram, ipsi autem Herbesum proficiscuntur*: quasi eo ipso tempore, quo exercitum aliquo ducebant, alio profecti sint. Cui insulsitati ut obviam iretur, declarari debuit non eodem tempore utrumque factum esse. Declaravit vero Livius, et sic scripsit : « exercitum ducunt Megara, inde » ipsi cum paucis equitibus Herbesum proficiscuntur. » Littera *m* nulla fuit, sed *in*, id est *inde*.

CAP. XXXII, 6. — **Vulg.** : « Sed surdæ ad id omnium aures » concitatæ multitudinis erant. » **P** : *aditomnium... multitudines*. Jure offensus verbis *omnium multitudinis*, Gronovius suasit *ad hæc omnia*, Madvigius edidit *ad omnia*. Propiora codici hæc erunt : « Sed surdæ ad id omnium aures, concitata multitudine, » erant. »

CAP. XXXIV, 7. — **Vulg.** : « Junctæ aliæ binæ quinqueremes..... » quum exteriore ordine remorum velut una navis agerentur... » **P** : *velut unaves agerentur*. Equidem de duabus tantnm navibus inter se junctis id verum esset; sed multas naves, quæ binæ junctæ sint, velut unam navem actas esse, non aliter dici potest, nisi ut significetur, totam classem illam eadem facilitate actam esse, ac si una tantum navis agenda fuerit, id quod ab hoc loco alienum est. Ideo, adjuvante **P**, legendum puto : « velut unæ naves agerentur. » Etenim adjectivum *unus* in plurali numero non, ut quidam rati sunt, iis solis nominibus apponi solet, quæ singulari carent; atque haud scio an his ipsis nominibus ibi adscribi possit vox *naves*, quippe quæ in ea dicendi forma a Livio nunc usurpetur, ubi singulariter poni per sententiam nequiverit.

CAP. XXXIV, 10. — (Postquam Archimedes tormentis omnis generis vexabat naves Romanorum, Syracusas oppugnantium.) **Vulg.** : « Quæ propius quædam subibant naves, quo interiores » ictibus tormentorum essent, in eas... » Pro *quæ* quidam voluere *quum*, parum apte; nam, ne abundet vox *quædam*, exspectes deinde *subirent*. Paulo melius Madvigius *quia*. Sed scribendum puto *quare*, distinctione post *essent* posita. Eadem vocis *quæ* emendatio jam recepta est XXIV, xx, 14.

CAP. XL, 5. — **Vulg.** : «... quod longæ naves militum capere » non poterant, in onerarias impositis... » Frustra adhuc quæsivi exempla hujus generis, ubi singularis numerus (*quod militum*) in pluralem deinde abierit (*impositis*); nam alienus est locus XXVIII, II, 12, concurrentibus duobus subjectis. At contraria exempla non desunt, ut XXVIII, VIII, 9 : *hominum... quod fuit, in silvas montesque refugit*; et Tac. *Hist.* II, 55 : *quod erat in urbe militum, in sacramentum Vitellii adactum*. Præstat igitur scribi : « quos longæ » naves militum... »

CAP. XLIII, 3. — (L. Metellum censores ærarium fecerant) « propter conjurationem deserendæ Italiæ ad Cannas factam. » Aliud quid in codicibus comparet : **P** *desereddactus*; **M** *desertaeactus*; Lov. 5 *deserendæ actus*. Scribendum *deserendæ ocius Italiæ*. Vocem *ocius* familiarem Livio fuisse ostendunt X, v, 3; X, XL, 6; XXXV, XXIX, 12; etc.

CAP. XLV. — Nulla tertiæ decadis pars corruptior hoc capite fuit, neque ubi plus sudaverint interpretes. Quanquam Gronovius ibi egregiam præstitit operam, et novissime etiam nonnulla in lucem protracta sunt, tamen haud pauca etiamnum relicta sunt prava et incerta. Agitur de Dasio quodam Arpino, qui, quum urbem suam Hannibali prodidisset, rursus eam Fabio consuli proditurum se promiserat.—— § 2, **Vulg.** : « Eam rem ad consilium quum » rettulisset Fabius, aliis pro transfuga verberandus necandusque » videri ancipitis animi communis hostis, qui... » Exspectes *ille hostis* (aliudve pronomen), ne universe de quolibet hoste communi cogitari possit; itaque, quum **P** exhibeat *videris*, non *videri*, legi censeo : « ..videri is ancipitis..» ——Deinde apud **Madv.** : «... qui... » novam referre proditionem proditis polliceatur, aliunde stet » semper, aliunde sentiat, infidus socius, vanus hostis... » (Ibi **P**, mirifica depravatione : *proditiis polli VII uirali iudicioe stet semper aliumde...*) Ea, quæ fere omnia Gronovio debentur, felicissime inventa ait Madvigius, ac maxime *aliunde*, pro *ali iudicioe* (ita ut *icio*, quasi male invectum, deleatur). Digna quidem ea Gronovii acumine esse fatendum est; verendum tamen ne speciosiora quam veriora sint. Præterquam quod tutius est ipsa codicis vestigia premi, quam confugi ad interpolationis suspicionem, verba *aliunde stet*, *aliunde sentiat* et perplexa sunt, nec citra aliam reprehensionem. Utrum enim vox *aliunde* nihil aliud quam ad augendam dicendi vehementiam iterata est, eadem utrinque significatione, ita ut audiamus *cum hostibus stet, cum hostibus sentiat*, an altera

vox alteri respondet, eo sensu, *ab alia parte stet, quum ab alia sentiat*? Utramcunque malueris interpretationem, par offensio est : si priorem, claudicat gradatio, quoniam *stare cum hostibus* gravius est quam *sentire cum hostibus*, et postponi debuerat ; si posteriorem, verbum *stet* (pro *sit*) nequaquam aptum est, quoniam voluntatem indicat, neque stare ab aliquo dici potest, qui invitus cum eo est, et aliunde sentit. De ipso verbo *polliceatur*, quod Madvigius invenit, residet scrupulus ; etsi enim aptum est, et priorem ejus partem integram habet **P** (quidam alii codices *pelli*), tamen unde ortus sit numerus VII, curve pro *cea* scriptus sit, ne conjectura quidem suppetit. Opinor ego ibi olim fuisse *semper*, librariumque, quum perperam pro eo legisset *septem*, scripsisse *VII*. Proinde illa propius codicem accedere puto : « qui... novam referre proditionem » proditis velit, semper venali condicione stet, semper aliunde sen- » tiat, infidus socius, vanus hostis. » *Venalis condicio* ejusdem generis est, cujus *servilis condicio*. Cf. Virg. *G*. III, 356 : *Semper hiems, semper spirantes frigora Cauri*. —— Sequuntur hæc : «... vanus hostis ; ad Faleriorum Pyrrhique proditorem tertium » transfugis documentum esset. » Sensit Madvigius aliquid deesse, atque ante *ad* addidit pronomen *id*, ut intellegeretur non tertium aliquod, sed tertium hoc ipsum documentum esse debere. Ceterum ne sic quidem orationi aut codici satis datum ; rectius enim proditor ad proditorem adjicitur, quam documentum ad proditorem, et in **P** scriptum est *hostiis*, non *hostis*. Quare reponendum erat : «... vanus hostis ; is ad Faleriorum Pyrrhique proditorem... » —— Paulo infra, § 5, ubi intempestivi consilii auctores reprehendit Fabius, consulis pater, sic **Weiss.**, Gronovium fere secutus : «... ut, quum illud potius agendum atque cogitandum sit, si quo » modo fieri possit, ne qui socii a populo Romano desciscant, id » non cogitent, documentum autem dicatur statui oportere, si quis » resipiscat et antiquam societatem respiciat. » **P** : *et cūillut... atqeosagitandum... desciscantetnonuocitent...* Ad hæc Madvigius, qui melius ibi reprehendit quam emendavit, monet, primum non recte componi *quum illud potius... id non cogitent* (ac nescio an addere potuerit *illud* et *id* de eadem re incommode dici), deinde, post *non*, pravum esse *autem*, pro *sed*. Conjici potest : «... descis- » cant, id, quod vocitent documentum, ante dicatur statui opor- » tere... », ut *illud* et *id* contraria referantur. Forte etiam, pro *atqeosagitandum*, legi potest *atque consuli cogitandum*; consuli

enim hæc suadebantur. Denique fateor mihi suspecta esse verba *si quo modo fieri possit*, quæ quid ad sententiam conferant, non video. —— § 7. **Drak.** : « Se tamen non esse, qui Altinio fidei quid- » quam censeat habendum, sed mediam consecuturum consilii » viam. » Pro pravo *consecuturum* recentiores edidere *secuturum*. Admodum levis ibi fuit librariorum error, qui *mediamcō* pro *mediāineo* scripsere. Reponendum : «... sed mediam in eo secuturum » consilii viam », id est, in eo Altinio. —— § 13, ubi Hannibal memoratur bona Dasii vendidisse, conjugemque ac liberos ejus vivos combussisse, Gronovii lectionem ponam, quæ, etsi multæ ibi excogitatæ sunt emendationes, ceteris adhuc haud dubie præstat : « Ceterum, ut iræ magis quam avaritiæ datum crederent homines, » crudelitatem quoque rapacitati addidit. » **P** : *quoque gravitatem addidit*. Madvigius pro *rapacitati* scripsit *rapinæ*, docens ex *rapinae* factum esse *rauinae*, tum *gravitatem*. Præstigiæ hæ sunt ; illud modo liquet, minus aptum esse *rapinæ* quam *rapacitati*. Nam crudelitas et rapacitas vitia sunt utraque, quæ comparari et conjungi possunt ; rapina non vitium est, sed vitii effectus. Legendum : «... crudelitatem quoque ad aviditatem addidit. » Cf. XXVI, XIII, 13 ; XXXIII, XI, 8.

CAP. XLVIII, 7. —(Fatetur Syphax, apud pedestres Numidarum copias) « omnia, velut forte congregata turba, vasta ac temeraria » esse. » Sic Drak. et Madvigius. **P** : *turbasuascaac*, littera *i* supra *ua* et *ca* bis posita. Mirum est vocem *vasta* apud plerosque adhuc retentam esse, quum nihil hic fingi possit, quod ad ullam vastitatem pertineat. Weiss. substituit *soluta*, melius quidem, nec tamen probabiliter, seu codicem seu sententiam respicias. Requiri videtur aliquid, quod ad sensum alterius adjectivi *temeraria* propius accedat. Adjectivis autem temeritatem significantibus non semel apud Livium adjunctum est adjectivum *cæcus*. Cf. VIII, XXXIV, 10 : *cæca et fortuita militia* ; XXII, XXXIX, 22 : *festinatio improvida est et cæca*. Adde Cic. *Inv*. I, 2 : *cæca ac temeraria dominatrix animi cupiditas*. Ideo malim *cæca*. Præterea, ex priore parte corruptæ vocis *suasca* (præsertim littera *i* in codice supra scripta) eruenda videtur vox *sic*, quæ voci *velut* respondeat. Inde fit : « omnia, velut » forte congregata turba, sic cæca ac temeraria esse. »

LIBER XXV

Cap. I, 9, ubi in codicibus legitur *deinde ad Patres etiam ad publicam querimoniam excessit res,* non puto pro altero *ad* scribi debuisse *ac*, sed *etiam* in duas voces dirimendum fuisse : « deinde » ad Patres, et jam ad... »

Cap. III, 16. — (De M. Postumio publicano, ad populum reo.) **Codd., Vulg.** : « Testibus datis, tribuni populum submoverunt, » sitellaque lata est, ut sortirentur, ubi Latini suffragium fer- » rent... » Jamdudum summi viri docuerunt inexplicabilem esse hanc lectionem ; neque enim tum quicquam actum esse, quod ad Latinos pertineret, neque jus suffragii Latinos habuisse. Nulla adhuc tentata est medicina, nisi quod Gronovius incommodam vocem *Latini* resecandam censuit. Legendum videtur : « ubi laturi suffragium » forent. » Eodem modo (V, xxix, 9) in codice Haverc. permutatæ sunt voces *Latinos* et *laturos* ; item (XLIV, vii, 4) in codice Vind. voces *ferre* et *fore*.

Cap. V, 5. — **Vulg.** : « Inopia juniorum non facile in utrumque, » ut et novæ urbanæ legiones et supplementum veteribus scribere- » tur, sufficiebat. » Vocem *ut* codices ignorant. Nec minus ipse Livius, ne dicam omnes prosæ orationis auctores, ignorasse videtur usum præpositionis *in* post verbum *sufficere*. Usurpare solet *ad*, ut IV, xxx, 7 ; X, xlvii, 6 ; XXIX, xvi, 2 ; XXIX, xvii, 17 ; XXXIII, xx, 13. Itaque nihil in codicibus omissum esse reor, tantum *in* perperam scriptum esse pro *ut*. Lege : « Inopia juniorum non facile ut » utrumque, et novæ urbanæ legiones et supplementum veteribus, » scriberetur, sufficiebat. »

Cap. VI, 23. — (Ex oratione Cannensium militum ad Marcellum.)

Vulg. : « Asperrima quæque ad laborem periculumque deposcimus, » ut, quod ad Cannas faciundum fuit, quam primum fiat, quoniam » quicquid postea viximus, id omne destinatum ignominiæ est. » Equidem mira mortis optandæ affertur causa : quia, inquiunt, jam inde a Cannensi clade usque ad hanc diem ignominia notati viximus. Quid hoc, si melior in posterum vita speranda est? si ea ignominia, quam sibi haud pro merito suo injunctam queruntur, finem tandem habitura est? Verum id ipsum desperant; ideoque mortem optant, quia etiam postea sibi male vivendum esse sciunt, non quia se antea male vixisse meminerunt. Prava igitur sententia est. Nec melior sermo ; nam præteritam vitam ignominiæ destinari ineptum est; futura sola destinari possunt. Omnia hæc turbavit tenue signum omissum (*viximus* pro *vix'imus*). Legendum : « ... quoniam, quicquid postea vixerimus, id omne destinatum » ignominiæ est. » h. e. quicquid postea nobis vivendum erit : eis enim ignominiosæ militiæ nullus finis a senatu præstitutus erat, nisi quum pulsus Italia hostis fuisset.

Cap. VII, 5. — **Drak.** : « ... reficiendis ædibus Fortunæ et matris » Matutæ intra portam Carmentalem, sed et Spei extra portam... » Sic codices ; nunc ejectum est *sed*. Videndum ne, pro *sedet,* fuerit *aediq* (*ædique*).

Cap. VIII, 11. — **Vulg.** : « ... ut, quocumque noctis tempore » sibilo dedisset signum, porta aperiretur... » Verba *quocumque noctis tempore* probabilius vindicat primaria sententia (*porta aperiretur*), quam secundaria (*dedisset signum*). Quum igitur **P** habeat *sibiloco dedisset,* legendum reor : « ut quocumque noctis tempore, » sibilo quum (*cū*) dedisset signum, porta aperiretur... »

Cap. XI, 11. — (Quum Hannibal arcem Tarentinam per vim expugnare frustra tentasset.) **Vulg.** : « Reliqua erat in obsidione » spes, nec ea satis efficax, quia arcem tenentes... mare liberum » habebant, urbs contra exclusa maritimis commeatibus propiusque » inopiam erant obsidentes quam obsessi. » Verbum subauditum *erat,* quo eget subjectum *urbs*, durissime ex sequente *erant* arcessitur. Ad hoc periodus, quo nunc ordine procedit, inconcinna est : nam quum tribus membris ea constet, quorum unum ad obsessos, duo alia ad obsidentes pertineant, sicut suum primo secundoque membro subjectum præpositum est (*arcem tenentes... urbs*), ita tertio et ipsi suum (*obsidentes*) præponendum erat, hoc modo : ...*commeatibus, obsidentesque propius inopiam erant quam obsessi.* Mihi duo

tantum membra videntur esse, utraque ad utrosque pertinentia, ita ut prius indicet qua loci, posterius qua annonæ condicione fuerint utrique. Sic igitur, una correcta littera, legendum censeo : « ... quia arcem tenentes... mare liberum habebant, urbe contra » exclusa maritimis commeatibus, propiusque inopiam erant obsi- » dentes quam obsessi. » Simile mendum fuit XL, xxxiii, 2, ubi ex auctoritate codicis Mog. restitutum est *urbs,* quum ceteri omnes præferrent *urbe.*

Cap. XIV, 8. — **Drak.** : « Consul, ad conspectum transgredien- » tium vallum mutato consilio, ab revocando ad incitandos hortan- » dosque versus milites, ostendere in quanto discrimine... legio » esset. » **P** : *revocandoque ad.* Verisimile est hanc veterum editionum scripturam a Gronovio ideo retentam esse, quia eum fugerit integra codicis **P** scriptura, quam ipse mutilam attulit, nulla vocis *que* mentione facta. Sed Weiss. et Madvigius scientes eam vocem expunxerunt (Weiss. in Teubneriana saltem editione; namque in altera maluit, addito ex se uno verbo, scribere *ab revocando restandoque ad incitandos*). Crediderunt Latine non posse dici *consul mutato consilio versusque ad..*, id est, ablativum absolutum non posse copulari cum participio per conjunctiones *que, et, ac.* Hæc eorum opinio serius mihi obversata est, quam ut ad exempla, quæ in præcedentibus Livii libris esse possunt, attenderem; ceterum in reliquis sat multa occurrerunt, quæ fidem facerent, eos errasse. Cf. XXV, xxxv, 2 : *exercitu deleto et victoriam exspectantes*; XXXVIII, xliv, 8 : *religionibus liberati consules et dilectu perfecto*; XLII, xiii, 12 : *functus officio et exonerata fide*; XLII, xxxviii, 2 : *paucos ibi morati dies et Lycisco prætore facto*; XLIV, xxviii, 5 : *circumvecti propere ac summotis navibus*; XLIV, xxx, 11 : *audito fœdere et injuria accensus*; XLV, vii, 5 : *jussis sedere aliis progressusque.* His addendum XLI, xxvi, 3 : *signo proposito pugnæ ac paucis adhortatus,* etsi ibi calumniæ locus est, quia codex pro *ac* habeat *ad*; sed cetera exempla evincunt Grynæum, aliosque deinceps fere omnes, recte scripsisse *ac.* Itaque hic verbis codicis **P** standum fuit.

Cap. XV, 20. — **Vulg.** : « (Consules) Ti. Gracchum ex Lucanis... » Beneventum venire jubent; legionibus stativisque ad obtinendas » res in Lucanis aliquem præficeret. Graccho priusquam... » Congruentius sit *præficere,* quod Muretus Gronoviusque maluerunt; neque refragari omnino codicum scriptura existimanda est. Ea enim

littera *t,* sequente nomine *Graccho,* videtur idem prænomen indicare, quod paulo ante positum fuerat : « ... præficere. Ti. Graccho, » priusquam... »

Cap. XVI, 3. — (De Ti. Graccho sacrificante.) **Weiss.** : « Ad » exta, sacrificio perpetrato, angues duo ex occulto allapsi adedere » jecur, conspectique repente ex oculis abierunt. Id cum harus- » picum monitu sacrificium instauraretur atque intentius exta » reservarentur, iterum ac tertium tradunt allapsos libatoque joci- » nere intactos angues abisse. » Verbum *allapsos* ipse Weiss. supplevit. **P** : *exta resereservarentur... tradunt libatoque.* Eadem Madvigius, nisi quod scripsit *servarentur,* monens, non agi ibi de reservandis ad alium usum extis, sed de servandis et custodiendis. Forsitan possint et codicis vestigia (*resere*) non omnino deseri et veri similius afferri supplementum, hoc modo : « ..quum ..intentius » exta resecta servarentur, iterum ac tertium factum tradunt, liba- » toque jocinere.. » Neque, quominus recipiatur *resecta,* id obstat, quod proprium sacrificiorum verbum est *prosecare* : sic enim intuenda ponuntur in hac parte orationis ea exta, non tanquam in deorum honorem prosecta, sed tanquam ex victima avulsa detractaque.

Cap. XIX, 15. — **Drak.** : « Pugnatum tamen, ut in nulla pari » re, duas amplius horas, concitata et, donec dux stetisset, Romana » acie. » **P** : *romanam aciem.* Dummodo pro solœco *stetisset* reponatur *stetit,* hanc lectionem veræ sententiæ propiorem arbitror, quam quas edidere Weiss. et Madvigius (ille *invicta acie,* hic *concitante, donec dux stetit, se Romana acie*). Ceterum, quo sensu hunc locum interpretes vulgo acceperint, non satis liquet; nec nihil suspicionis obscuritatisque affert comma post *horas* ab omnibus positum, quo significari præcipue videtur *pugnatum est duas amplius horas,* quum, mea quidem sententia, requiratur *pugnatum est concitata acie.* Etenim in ejusmodi sententiis (in quibus per vocem *ut* aliquid interponitur idem valens ac *pro re, pro tempore*), non universe aut absolute dicitur vera esse illa res, de qua agitur, sed adhibita quadam condicione. Exempli gratia, quum Cicero ait Solonem, ut illis temporibus, eloquentem fuisse, per hæc significat non absolute eloquentem putandum esse Solonem, sed ita tantum, si respexeris quo tempore vixerit. At quum dicitur duas horas pugnatum esse, num duæ horæ aliter quam absolute accipi possunt? num duæ horæ aliud sunt in re minime pari, aliud in re omnino

pari? Illud audiendum est, Romanos pugnasse acriter (*concitata acie*) ut in re minime pari, hoc est, quam acriter in tali re pugnari poterat, idque duas amplius horas. Parum igitur apta sententiæ videtur vulgata interpunctio, multo minus apta Madvigii emendatio; nam *acie concitante se* (h. e. *enitente*) non idem est quod *acie concitata,* ne quid dicam de pronomine *se* incommodissime posito. Finem ego in hunc modum mutaverim : « ..horas concitata et, do- » nec dux stetit, fere Romana acie. » Is enim exercitus vix Romanus haberi poterat, quum dimidia ejus pars voluntariorum agrestium esset, quarta tantum pars civium.

Cap. XXII, 6. — **Madv.** : « (Claudius consul) ad Capuam regres- » sus Q. Fulvium collegam invenit omnia deportantem molientem- » que ad oppugnandam Capuam. « **Codd.** : *omnia inde portantem.* Opinor legendum *iāde*, scribendumque « omnia jam deportantem... »

Cap. XXIV, 1. — (In oppugnatione Syracusarum.) **Madv.** : « Jam mille armatorum muri ceperant partem, quum ceteræ ad- » motæ sunt copiæ, pluribusque scalis in murum evadebant... » Ibi voces *muri* et *sunt copiæ* a Madvigio suppletæ sunt. Weiss. item addidit *sunt copiæ,* sed omisit vocem *muri,* ita ut nesciatur cujus rei partem ceperint Romani. Non quod sententiam putem, addita ea voce, aptam jam fieri : significari enim oportet, non aliquam muri partem, id quod vult Madvigii lectio, sed quandam partem, id est, illam ipsam quæ præcedentibus verbis a Livio definita est. Ideo legendum : « Eam mille armatorum ceperant partem, quum... » Fortasse etiam nulla ibi lacuna fuit, nedum duæ, et conjici potest *quum ceteræ adjunctæ* (*adiūctæ*), h. e. quum ceteræ partes accesserunt ei quæ capta erat. De forma tantum emendationis id dictum sit; nam vocem ipsam *adjunctæ* non omnino aptam esse fateor.

Cap. XXIV, 8. — **Codd., Drak.** : « Prope Hexapylon est por- » tula magna vi refringi cœpta; et e muro ex composito tuba » signum datum erat. » Verba *est cœpta* vitiosissime distracta sunt, longeque præstabat veterum editionum lectio, quam, jam inde a Gronovio relictam, retraxit Madvigius : *est portula* ; *ea magna vi refringi cœpta et e muro... erat.* Probabilius illud : « Prope Hexa- » pylon et portula magna vi refringi cœpta, et ... erat », ut conjungantur per *et.. et* duæ illæ res quæ Syracusanis apertam vim subito denuntiant. Sic X, XLIII, 5 : *simul et refringebantur portæ et vis undique in muros fiebat.* Si cui forte, Liviani moris minus gnaro, prior particula *et* inconcinne collocata videbitur, verbisque

prope Hexapylon præponi debuisse, respicere jubebo ad XXV, XXXVIII, 23; XXXIX, I, 5; XLIV, XXVI, 14; XXXVII, XIX, 2, etc.

Cap. XXIV, 11. — (Captis Syracusis Marcellus) « illacrimasse » dicitur, partim gaudio tantæ perpetratæ rei, partim vetusta » gloria urbis. » Recte dicitur flere gaudio, non item flere gloria. Dissimilis enim ratio est, quum alterum nomen indicet quo affectu quis fleat, alterum super qua re. Legendum videtur : « ... partim » gaudio..., partim in vetusta... » Excidisse *in* post *m*, nihil mirum.

Cap. XXV, 8.— (De castris Marcelli in media urbe positis.) **Codd., Drak.** : « Castraque tectis parietum pro muro septa; portis regione » platearum patentibus stationes præsidiaque disposuit, ne... » Multa ibi offendunt. Quid sint tecta parietum, nemo adhuc assecutus est; nec magis quid sibi velit *pro muro*, quasi Romanis mos fuerit castra muro circumdare. Ad hoc, *disponere portis,* pro *ad portas,* non Latine dictum videtur. Madvigius, auctore Strothio, edidit *Castra objectu parietum pro muro sæpta; portis...,* vitio uno utcunque correcto, duobus relictis. Ceterum illud quoque quæri potest, cur ibi præcipue mentio facta sit stationum ad portas dispositarum, quum castrorum portæ apud Romanos nunquam sine stationibus fuerint. Omnia hæc vitia mutata interpunctione correctaque una littera tolli posse videntur. Opinor enim vocem *pro* ortam esse ex littera *p*, male olim scripta pro *q*. Inde legi censeo : « Castraque tectis parietumque muro sæpta, portis regione platearum » patentibus. Stationes præsidiaque disposuit, ne... » Describit Livius castrorum et munitionem et situm : nimirum, deficiente usitato castrorum munimento, circumdatum esse urbium munimentum, id est murum, qui murus ex domorum parietibus constiterit; deinde sic constituta esse castra, ut in plateas potissimum portæ spectarent.

Cap. XXVI, 12. — (De Pœnorum Romanorumque exercitibus pestilentia laborantibus.) **Drak., Veiss.** : « Multo tamen vis major » pestis Pœnorum castra quam Romana (diu circumsedendo Syra- » cusas cælo aquisque assuerant magis) adfecerat. Ex hostium » exercitu Siculi... in suas quisque propinquas urbes dilapsi sunt. » Codices ignorant verbum *adfecerat*; præterea pro *ex* plerique habent *et*, duo *etiam,* quam vocem sæpe per compendium scriptam esse *et* animadvertendum est. Male hæc se habent; nam, quæ in parenthesi dicuntur, ea non ad castra Romana, id quod oportuit, lex sermonis referri patitur, sed ad Pœnorum castra, quæ præci-

puum in præcedente sententia locum obtinuerunt. Quod vitium Madvigius non modo non correxit, sed nescio an auxerit, dum scribit : « ...quam Romana corripuerat ; nam diu... assuerant magis. » Ex hostium... » ; et quæri potest, cur scripserit *corripuerat* pro *adfecerat*, et cur alio loco ; per libidinem a vulgata lectione videtur discessisse. Codicum scripturam ego non mutilam esse reor, neque ullo addito verbo egere, sed mendis depravatam esse usitatissimis, ut hinc *quam* scriptum sit pro *nam*, illinc *etiam* pro *quam*. Legendum : « Multo tamen vis major pestis Pœnorum castra (nam Romana diu circumsedendo Syracusas cælo aquisque assuerant » magis quam hostium) exercuit. Siculi... » De verbis *quam hostium*, subaudito nomine *castra*, cf. Cic. *de Signis*, 21 : *Conferam existimationem tuam cum illius?* De commutatione vocum *quam* et *etiam* cf. X, XXVI, 14 ; XXVI, I, 3 ; XXXIV, XXXII, 3 ; XLIV, XXV, 1.

Cap. XXVII, 1. — **Weiss.**, **Madv.** : « Siculi, qui Hippocratis » milites fuerant, ** haud magna oppida, ceterum et situ et muni- » mentis tuta ; tria millia alterum ab Syracusis, alterum quindecim » abest... » Ibi ab solita sua sagacitate desciverat Gronovius, qui totum hunc locum, integrum ratus, una periodo operose complexus erat (quam quidem lectionem usque ad nostra tempora retinuerunt editores), nec viderat in tali duorum oppidorum descriptione taceri nomina non potuisse. Quod si omissa a librariis utraque nomina ipsumque verbum restitui non possunt, at verbi forma potest, ut quæ omissionis causam contineat ; fuit certe aliquid id genus : « Siculi, qui Hippocratis milites fuerant, ** petierant, haud magna » oppida... » Aberravisse apparet librariorum oculos a verbo *fuerant* ad verbum *petierant*.

Cap. XXVII, 13. — **Weiss.** : « Epicydes.., ne ad obsidionem » magna ex parte captæ urbis rediret, Agrigentum navigat... » Hæc reprehendit Madvigius, aitque *ad obsidionem redire* de solo obsidente dici posse. In se quoque ipso idem reprehenderet, qui vulgatum *in obsidionem* retinuit, quasi *redire in obsidionem* (finge Latinum sit) aliter intellegi queat, ac redire ab obsidendam urbem. Malim ego *intra obsidionem*. Cf. XXV, XXVIII, 4 : *qui extra obsidionem essent*. Nec desunt exempla præpositionis *intra* usurpatæ cum verbis motum significantibus, ut *venire intra*, *ingredi intra*, *compelli intra*, etc.

Cap. XXIX, 10. — **Weiss.**, **Madv.** : « ... exsequentibus sciscitando, quæ acta cum Romanis essent, dilucere, id quod erat, » cœpit, aliam suam ac perfugarum causam esse. » Si ad præcedentia respexeris, et inde quæsieris, qui sint hi homines, qui exsequuntur sciscitando, nullos alios invenies, nisi perfugas ipsos ; unum enim illud nomen præcedentium verborum subjectum fuit ; ita ut perfugis diluxerit illa res, aliam suam et perfugarum causam esse. Fugerant eam insulsitatem priores editores, suppleto nomine *mercennariis* post *sciscitando* ; nec dubium est, quin de mercennariis agatur.

Cap. XXX, 11. — **Vulg.** : « Neque in ullis minus præsidii aut » pertinaciæ ad manendum quam in transfugis fuit, quia .. e medio » certamine effugerunt. » Enimvero nimio lepidior affertur causa, cur transfugæ ad manendum non pertinaces fuerint : non manserunt, quia effugerunt. Profecto reponendum *qui*, quod fuit in codice **M** a manu secunda.

Cap. XXX, 12. — (Postquam Mœricus, cui commissa erat Achradinæ pars custodienda, armatos Romanos per proditionem recepit.) **Vulg.** : « Marcellus, ut captam esse Nasum comperit, et Achradinæ » regionem unam teneri, Mœricumque cum præsidio suis adjunc- » tum, receptui cecinit. » Sic recentes ; priores pro *comperit* maluerant *didicit*. Sed neutrius eorum verborum, neque præpositionis *cum*, ullum vestigium in codicibus est. Quare quum verisimilius sit librarium semel quam bis errasse, et verborum depravatio multo sæpius occurrat quam omissio, illa suadeo : « Marcellus, ut » captam esse Nasum, et Achradinæ regionem unam teneri, Mœri- » cumque præsidio sciit adjunctum, receptui cecinit. » Per vocem *præsidio* significantur ii Romani qui Achradinæ regionem tenebant ; per *Mœricum* autem, et Mœricus et milites ejus.

Cap. XXXI, 5. — (Verba Marcelli ad Syracusanos.) **Vulg.** : « Se » quidem tertium annum circumsedere Syracusas, non ut populus » Romanus servam civitatem haberet, sed ne... » Deest aliquid ; res ipsa monet intellegi debere, non universe *civitatem*, h. e. aliquam civitatem, sed proprie eam civitatem, cujus præcessit nomen. Et id ipsum a Livio scriptum esse patet : exhibent enim codices *populus reservatam civitatem*, id est, correcto librariorum errore, *populus r. servā eam civitatem*. — Sequuntur illa apud **Weiss.** et **Madv.** : « ... sed ne transfugarum alienigenarumque duces » captam et oppressam tenerent. » Vox *alienigenarum* a codicibus abest ; suppleta est ab Alchefskio, parum locuplete auctore : quasi

vero transfugæ et ipsi non fuerint inter alienigenas. Aliud nomen imponere solet Livius iis militibus, qui nec Syracusani nec transfugæ erant; cf. paulo supra, cap. XXIX, 8. Scribendum : « sed ne » transfugarum mercennariorumque duces... »

Cap. XXXI, 7. — (Marcellus ad Syracusanos, postquam commemoravit eorum dubiam fidem socordiamque) : « Sibi omnium labo» rum periculorumque circa mœnia Syracusana terra marique » tamdiu exhaustorum nequaquam tantum fructum esse, quod » capere Syracusas potuisset. » Hæc est codicum et Weissenbornii lectio, in qua quum frustra contendatur *tantum* pro *satis magnum* accipi posse, divinatur magis quam expeditur sententia. Apud Drakenborchium veteresque ne divinari quidem potest, etsi codicibus vim attulerunt; eorum igitur lectionem referre nihil attinet. **Madv.** : « ... nequaquam tantum fructum esse, quod » capere Syracusas potuerit, quantum si servare potuisset. » Clara certe illa sunt, et ingenii non timida consilia sequentis, verum, ut de supplendi licentia taceam, plane perversa, et, quum a præcedente orationis severitate, tum ab eventu abhorrentia. Quis enim Marcellum illum Madvigianum, tam clementer de Syracusis perorantem, non credat statim parsurum? Tamen, vixdum his dictis, diripiendas militi Syracusas dabit, atque ita diripiendas, ut multa iræ, multa avaritiæ fœda facinora tum edita esse memoret Livius. Rectius suspicati erant veteres interpretes, parvam mercedem Marcello videri Syracusas captas, etiam diripiendas esse; ad quam sententiam accommodari codicum lectio hac leni mutatione haud scio an possit : « Sibi omnium laborum... nequaquam tanti » eum fructum esse, quod capere Syracusas potuisset, » h. e. omnium laborum meorum is fructus, quod Syracusas capere potui, nequaquam mihi est tanti (est satis dignum pretium).

Cap. XXXI, 8. — **Madv.** : « Inde quæstor cum præsidio Nasum » ad accipiendam pecuniam regiam custodiendamque missus. Urbs » diripienda militi data est, custodibus divisis per domos eorum, » qui intra præsidia Romana fuerant. » Pro *urbs* Weiss. edidit *Achradina*; eorum enim neutrum comparet in codicibus, ubi præterea legitur *data est et custodibus*. Hic quoque opinor non bis a librariis peccatum esse, sed nominativum latere sub litteris *estet*; inde legi posse : « ... missus. Diripienda militi data cetera, custo» dibus... » Certe huic pecuniæ regiæ aptius opponitur *cetera*, quam sive *urbs* sive *Achradina*; et ipsa forma concinnior est : nam, quemadmodum in priore periodo verbum *est*, ita in posteriore verbum *sunt* intellegendum relinquitur.

Cap. XXXIII, 2. — **Vulg.** : « (Hasdrubal) peritus omnis barba» ricæ, et præcipue omnium earum gentium... perfidiæ, facili linguæ » commercio, quum utraque castra plena Hispanorum essent, per » occulta colloquia paciscitur... » Vox *commercio* nusquam in codicibus reperta est, idque cogitandum Gronovius monuit. Notatione digna videtur codicis Pal. 2 scriptura *fallaciæ linguæ*. Quum enim, salvo universo sensu, abesse possit illa facilis commercii mentio, legendum crediderim : « .. perfidiæ fallacisque linguæ, quum » utraque... »

Cap. XXXV, 7. — **Vulg.** : « (Cn. Scipio) salutare in præsens » credebat cedere inde quantum posset; et inde una nocte, » ignaris hostibus et ob id quietis, aliquantum emensus est iter. » Alterum *inde*, et inutile, et ingrate iteratum, uncis inclusit Madvigius. Sed ipsa quoque vox *una* offendit, haudquaquam sententiæ apta : dicas enim Scipionem una tantum nocte aliquantum processisse, scilicet insequentibus noctibus aut minus processurum aut omnino staturum. At nullæ supererant ei noctes, quoniam postero die cum exercitu periit. Opinor fuisse, non *indeuna*, sed *uidemea*, eamque depravationem ortam esse ex littera *q* omissa; qua restituta, illud fiet : « ... cedere inde quantum posset; et quidem ea nocte... » aliquantum emensus est iter. — Deinde in his, quæ sequuntur : « Luce ut senserunt profectos hostes.. », qui attente totam hanc narrationem considerare voluerit, ei manifestum erit reponi debere *profectum*; nusquam enim, nec supra nec infra, nominati sunt Romani, sed pro iis unus Scipio; ita ut, quo referatur vox *profectos*, non habeamus. Nam *hostes* nominativus est.

Cap. XXXV, 9. — (Raptim recipientes sese Cn. Scipionis copias quum equites Numidæ assecuti lacessissent, coegissentque consistere ac tutari agmen) **Codd.** : «... quantum possent tamen » tuto ut simul pugnarent procederentque Scipio hortabatur » priusquam pedestres copiæ assequerentur. » Ibi se hærere quum confessus esset Creverius, hæsere item Weiss. et Madvigius; immo Madvigius vulgatum mutare non dubitavit, proque *tuto* scribere *niti*. Miror eos circa rem facilem et apertam laborasse. Simul pugnare et procedere etsi necessitas cogebat, tamen arduum et periculosum erat; id igitur non utique fieri jubebat Scipio, sed quantum tuto (h. e. sine pernicie) fieri posset, ita ut nunc subsis-

terent, si acrius premerentur, nunc procederent pugnantes, si impetum hostis remitteret. Itaque post vocem *tuto* audiendum est *simul pugnare et procedere,* et sic distinguenda est oratio : « quantum » possent tamen tuto, ut simul pugnarent procederentque Scipio » hortabatur... » Ob id unum hæsisse Creverium opinor, quia in vulgato prava interpunctio fuit, commate post *tamen* posito; ob id certe erravisse Madvigium patet, qui objectat nescire se quid sit *tuto pugnare.* Eadem omnino dicendi forma occurrit XXVI, xxxviii, 6, nec tamen ullam ibi offensionem cuiquam attulit : *Blattius, quantum ex tuto poterat, rem Romanam fovebat.*

Cap. XXXVI, 11. — (Victi a Pœnis Romani sese receperant in collem, ubi quum natura loci munitionem negaret, pro vallo sarcinas sibi circumdederant; Pœnos primo ea res aliquantisper attonitos tenuit ; deinde) « Trudentes sudibus quum » amoliti objecta onera armatis dedissent viam, pluribusque idem » partibus fieret, capta jam undique castra erant. » Ex vestigiis corruptorum codicum hæc Madvigius dedit; Weiss. : « Trahentes » trudibus cum.. » **P** *traditis dibi cum*; **M** *traditis ibi cum*; alii *traditis diu cum.* Miror Weiss. Madvigiumque, dum ambigunt utra vox potior sit, *trudentes*ne an *trahentes,* non videre ex supervacuo id disputari, ipsamque codicum vocem *traditis* alterutra multo aptiorem esse : ea enim aliquid novi sententiæ adjicit, ceteræ nihil afferunt, quod non aliquatenus in verbo *amoliti* jam insit. Sudes, credo, non secum attulerant priorum ordinum Pœni, ut qui novum munitionis genus non providissent; neque ad eas quærendas discedere iis licuit; itaque eas per manus traditas a posterioribus acceperunt. Cf. Cæs. *B. G.* xv, 5 : *Fasces virgultorum per manus inter se traditos*; Cæs. *B. C.* I, lxviii, 2 : *ut arma per manus traderentur.* Noster autem in ea locutione omittere solet *per manus*; vide V, xlvii, 2. Sed in sententia grave vitium residet; nam, qui onera amoliuntur, et ipsi Pœni armatique sunt; Pœnos Pœnis vel armatos armatis dedisse viam profecto non dixit Livius. Propterea, retracto ex veteribus editionibus verbo *amolita*, passiva significatione (in qua fastidiosior fuit Madvigius, non deficientibus exemplis), legi censeo : « Traditis sudibus, quum amolita objecta onera armatis dedissent » viam... »

LIBER XXVI

Cap. I, 3.— **Vulg.** : « Ea tum cura (expugnandæ Capuæ) maxime » intentos habebat Romanos, non ab ira tantum, quæ in nullam » unquam civitatem justior fuit, quam quod urbs tam nobilis... » recepta inclinatura rursus animos videbatur ad veteris imperii » respectum. » Olim editum erat *non tam ob iram... quam,* majore Latini sermonis quam codicum observantia. Nam quod contendit Gronovius recte dici *tantum quam* pro *tam quam,* id exemplis tueri omittit; memorat tantummodo se idem dicendi genus Statio vindicasse in loco perplexo et oraculis fere digno, hodie aliter nec clarius edito (*Silv.* V, iii, 212). Hujus rei alterum specimen apud Livium occurrit XXXVII, li, 9, ubi in depravata scriptura etiamnum æstuant interpretes (quem locum apud nos vide). Nisi fallor, vox *quam* male hic scripta est pro *etiam* (id quod et alibi sæpe factum animadvertisse videor, ut X, xxvi, 14; XXXIV, xxxii, 3; XXXVII, li, 9; XLIV, xxv, 1); et verba *non tantum* eodem sensu accipienda sunt, quo *non solum, non modo.* Itaque legendum : « ...non ab ira tantum, quæ in nullam unquam civitatem justior » fuit, etiam quod...» h.e. sed etiam quod. Haud raro enim vocem *sed* omittit Livius : cf. XXVIII, xxxix, 11; XXX, xiii, 14. Adde XXX, xxix, 4; XXXII, v, 2; XXXV, xxv, 1; XLII, xlix, 2.

Cap. I, 12. — **Codd., Vulg.** : « T. Otacilio et M. Valerio Siciliæ » Græciæque ora cum legionibus classibusque, quibus præerant, » decretæ. » Glareano olim suadente *decreta,* quia *ora* præcessisset, codicum scripturam tutatus est Gronovius, docens intellegendum esse *provinciæ.* Quod ne cui fucum faciat, non abs re videtur adnotare, vocem intellegi non posse, quæ in iis, quæ ante dicta sunt,

nusquam comparuit. Sed *ora cum legionibus* idem valet quod *ora legionesque,* et pluralem numerum adsciscit.

Cap. IV, 3. — **Codd. Drak.** : « (Campani) equestria prœlia ferme » prospera faciebant, pedites superabantur. » Nuper editum est *pedite,* cujus rei illam causam affert Madvigius, minus recte a Campanis ad ipsos pedites orationem transferri. Non a Campanis ad pedites, sed a Campanis equitibus ad Campanos pedites oratio transfertur; immo nulla omnino est orationis translatio; quippe unum totius periodi subjectum est nomen *Campani,* ad quod per appositionem refertur vox *pedites*. Quod alibi Livius in re fere simili dixit *pedite* (XXXIII, vii, 13), non inde sequitur et hic dixisse.

Cap. X, 2. — **Drak.** : « Placuit consules circa portas Collinam » Esquilinamque ponere castra; C. Calpurnium prætorem... arci » præesse, et senatum frequentem in foro contineri... » Weiss. et Madvigius, codicibus extra modum confisi, restituerunt *ponerent*. Durissime, tribus nominibus (*consules... Calpurnium... senatum*) brevi periodo comprehensis atque ex eodem verbo *placuit* pendentibus, eorum unum nominativo casu, duo alia accusativo intellegi voluerunt. Nec dure modo, sed etiam vitiose ex conjunctivo (*ponerent*) ad infinitivum (*præesse... contineri*) transitur, etsi inverso ordine ex infinitivo ad conjunctivum transiri licet. Finge enim scribi : « Placuit consules ponere castra; Calpurnius arci » præesset », ibi conjunctivus *præesset* non jam pendet ex verbo *placuit*, sed, lege sermonis obliqui, ex subaudito aliquo verbo latius patente, ut *dictum est, dixerunt*. Contra si scribitur (*ponerent... præesse*), ante infinitivum *præesse* haudquaquam, salvo sensu, subaudiri potest verbum *dixerunt*.

Cap. XVI, 2. — (De supplicio Taureæ Vibellii.) **Weiss., Madv.** : « Quidam tradunt... quum (Taurea) inter ceteros ad palum deli» gatus quiritaret, quia parum inter strepitus exaudiri possent, » quæ vociferabatur, silentium fieri Flaccum jussisse. » Hunc Tauream Livius non modo antea insignem bello virum dixit, sed tunc quoque, quum instaret supplicium, magna constantia ferociaque loquentem induxit; alienum igitur absonumque est istud *quiritaret,* si quidem *quiritare* de eo dicitur, qui fidem implorat, auxilium invocat, certe queritur inique secum agi : militaremne virum quiritare, qui jus victoriæ norat, immo qui victorem in ipsa morte provocabat? Merito improbaretur id verbum, si exhiberent codices : quid, quum nusquam comparuit, et uni Weissenbornio debetur?

Offendit deinde *vociferabatur* in sermone obliquo; nam, etiam si contendatur non esse id verbum ipsius Flacci loquentis, tamen pendere, ut cetera, ex verbis *quidam tradunt* confitendum est. **P** habet *vociferatur*; ut mirari possis et codicem et sermonis usum neglectum esse, quum observari utrumque licuerit : etenim *vociferaretur* per compendium scribi solebat *vocifera'tur*. Eandem compendii notam verisimile est olim fuisse in verbo *deligatur* (quod quidem verbo *deligatus* substituendum reor, ut substituerant veteres editores). Itaque legendum videtur : « ... quum inter ceteros ad pa» lum deligaretur, quia parum inter strepitus exaudiri possent, » quæ vociferaretur, silentium fieri Flaccum jussisse. »

Cap. XVI, 6. — **Vulg.**: « Ita ad septuaginta principes senatus » interfecti, trecenti ferme nobiles Campani in carcerem conditi; » alii per sociorum Latini nominis urbes in custodias dati variis » casibus interierunt. » Etsi in carcerem inferiorem eos solos condi mos erat, qui capitis damnati erant, tamen verba *in carcerem condi*, nude posita, nullo modo supplicium indicant; nec, si de senatoribus nobilibusque pariter sumptum esse supplicium voluisset Livius, dixisset alteros interfectos, alteros in carcerem conditos, nulla addita necis significatione : itaque de his posterioribus nihil præter carceris pœnam cogitandum. Quæ quum ita sint, clauda sententia est; videmus enim, trifariam divisis Campanis, primam partem ferro, tertiam variis casibus interiisse : secundæ quis exitus fuerit, tacetur. Neque enim id pro exitu justo haberi potest, quod in carcerem conditi dicuntur, postquam postremos non satis visum est dici in custodias datos esse, sed adjectum est diversis modis interiisse. Atque hic mirari possit aliquis, adeo pestilentes fuisse Latinas custodias, ut omnes ibi perierint, adeo salubrem carcerem Romanum, ut nullius captivi morte funestatus videatur. Ego vocis unius omissione laborare hunc locum opinor, et sic sanari posse : « Ita ad » septuaginta principes senatus interfecti; trecenti nobiles Cam» pani, in carcerem conditi alii, alii per sociorum Latini nominis » urbes in custodias dati, variis casibus interierunt. » Qua lectione illud quoque proficitur, ut allati numeri ad omnes Campanos pertineant, non ad duas tantum partes, tertia neglecta. Ceterum illam vocem *alii*, quam addendam censeo, si quis maluerit collocari post vocem *Campani* (nocuisse enim similitudinem præcedentium litterarum *ani*), nihil moror.

Cap. XVII, 13. — (Postquam Hasdrubal a Nerone postulaverat,

ut colloquium in posterum diem differretur.) **Codd., Weiss.** : « Ne tum quidem suspecta fraus. Quum esset data venia ejus diei, » extemplo[que] Hasdrubal cum equitatu...in tutum evasit. » Drak. et Madvigius vocem *que* sustulerunt. Integerrimam codicum scripturam supersedissent mutare, si attendissent incommode dici *quum esset data* pro *quum data esset*. Legendum : » Ne tum quidem sus- » pecta fraus quum esset, data venia ejus diei, extemploque Has- » drubal... evasit. » h. e. data est venia. Ea dicendi forma nihil apud Livium usitatius. Cf. XXXI, XXXII, 1 : *hæc dicta a Romano quum essent, inclinatis...*; XXXV, XLVII, 1 : *hæc renuntiata regi ad naves, ubi restiterat, quum essent, in præsentia...*; XXXVI, IX, 8 : *hæc renuntiata Pheras legatio quum esset, ne paulum quidem...*; XXXVIII, XXXIX, 17 : *De Pamphylia disceptatum inter Eumenem et Antiochi legatos quum esset, quia...*; XLIV, XXVI, 12 : *hæc relata regi quum essent, advocato consilio...* Adde IV, LVI, 4; XXXI, II, 11; XXXII, III, 2; XXXVIII, XXXV, 7; XXXIX, X, 1; XL, XXXIX, 5; XLII, XXX, 1.

CAP. XVIII, 10. — (P. Scipioni admodum juveni imperium in Hispania esse quum populus ingenti favore jussisset) **Madv.**: « Ceterum, » post rem actam, ut jam resederat impetus animorum ardorque, » silentium subito ortum et tacita cogitatio, quidnam egissent, nonne » favor plus valuisset quam ratio. Ætatis maxime pœnitebat... » Vox *nonne* ab ipso Madvigio substituta est Gronovianæ voci *num*, haud dubie minus aptæ. Sed desiderabilis est ipsa illa vox *novi*, quam ibi pro ea codices exhibent. Illis enim temporibus non meminerant homines quemquam legitimam ætatem in adipiscendis magistratibus præcessisse, nedum adolescenti quattuor et viginti annos nato statim delatum esse honorem amplissimum : in ea igitur cogitatione populi, factum suum reputantis admirantisque, vix abesse potest præcipua hujus admirationis causa, id est, novam et inauditam rem se fecisse. Præterea favorem plus quam rationem valuisse, nemini non manifestum erat; otiosum est id a populo tanquam ambiguum quæri, cujus conscius ipse sibi esset. Quare malim: «... quid- » nam egissent novi, ubi favor plus valuisset quam ratio. » Veri similius est excidisse *ubi* propter præcedentium litterarum similitudinem, quam per errorem scriptam esse vocem sententiæ aptissimam.

CAP. XIX, 4. — **Codd., Drak.** : « (Scipio) pleraque apud multi- » tudinem aut per nocturnas visa species, aut velut divinitus mente » monita agens... » **Weiss., Madv.** : «...aut ut per nocturnas visa » species... » Neutra placet lectio. Ut de Latinitate concedatur, a sententia certe alienum videtur *agere pleraque visa* (sive *ut visa*) *per nocturnas species*, id est, disserere de plerisque rebus tanquam per nocturnas species visis. Neque enim aiebat Scipio se vidisse in somnis eas res, quas agebat, sed de iis rebus sibi obversatas esse nocturnas species. Minore mutatione legendum est : « pleraque apud » multitudinem aut per nocturnas visas species..agens... » h. e. agens pleraque adhibendo nocturnos visus, præpositione *per* significante modum, non tempus.

Cap. XXIV, 2.— (M. Valerius ad Ætolorum concilium quum venisset, eos hortatur, ut societatem cum Romanis ineant, bellumque adversus Philippum moveant.) **Vulg.**: « Ubi quum Syracusas Ca- » puamque captam, in fidem in Sicilia Italiaque rerum secundarum, » ostentasset, adjecissetque... » Vox *Sicilia* in nullo codice fuit; eam Gronovius, cujus auctoritate ea recepta sunt, addidit, ut, quemadmodum Capuæ Italia, ita Syracusis responderet Sicilia. Ista primo adspectu ab elegantia Liviana abhorrent. Nec melius se habet sententia : agit Valerius apud Ætolos, tanquam diffidentes nec quicquam, nisi datis testibus et certis indiciis, credituros; ad hoc, victorias ostentare in fidem rerum secundarum, inanis tautologia est. Verba deinde si excutias, nusquam eo sensu apud Livium reperitur *in fidem* (neque Livii ullum tale exemplum attulit Gronovius, unum modo Suetonii), sed semper *ad fidem*. Legendum : « Ubi » quum Syracusas Capuamque captam, inde fidem in Ætolia quo- » que rerum secundarum ostentasset...» h. e. quum ex bello adversus Hannibalem prospere gesto spem Ætolis fecisset æque prosperum bellum adversus Philippum fore. *Inde* per compendium scribi solet *in*; et in mss. *que* pro *quoque* scriptum sæpe occurrit.

CAP. XXV, 5. — **Drak., Weiss.** : « (Philippus) in Thessaliam » descendit. Ad bellum secum adversus Ætolos capessendum inci- » tari posse homines credebat, et...in Macedoniam duxit. » **Madv.** : «... descendit (etenim ad bellum... homines credebat), » et... » Quos homines incitari posse crediderit Philippus, declarari oportet; quippe Thessalia pro Thessalis accipi nequit. Legendum videtur : « ... in Thessaliam descendit, unde ad bellum... credebat, » et... » Aliquid ibi omissum esse apparet ex scriptura codicis **P** *descenditme ad bellum*.

CAP. XXVII, 12.—(Verba Q. Fulvii Flacci ad Lævinum consulem de

Campanis.) **Codd., Vulg.** : « Ideo se mœnibus inclusos tenere eos, » quia, si qui evasissent aliqua, velut feras bestias per agros vagari » et laniare et trucidare quodcumque obvium detur. » Hæc recte reprehendit Madvigius, docens infinitivum (*vagari, laniare, trucidare*) non recte subjici particulæ causali (*quia*) : certe nullum aliud apud Livium repertum est hujus rei exemplum. Sed quod ipse eam particulam expunctam vult et uncis includit, errat. Respondeant inter se voces *ideo* et *quia* necesse est. Primum enim, ut appareat posteriora ex prioribus sequi, opus est aliqua copula; deleta voce *quia* saltem dicendum esset *si qui enim evasissent*. Deinde vox *ideo* non apte ad superiora, id quod vult Madvigius, referri potest; nam ex eo quod Campani Romano nomini infestissimi sunt, non illud utique sequitur, mœnibus eos tenendos esse : longe præstat ideo teneri eos quia non sine periculo exituri sint. Forte legendum : « Ideo se » mœnibus inclusos tenere eos, quia sciat, qui evasissent aliqua, » velut feras bestias vagari... « Duobus ante versibus dixerat idem Fulvius : *quoad eo animo esse in populum Romanum sciret*. Cf. etiam altero post capite § 4 : *quod Romam de se questum venisse Siculos sciat*.

Cap. XXVII, 16. — (Lævinum, qui consul absens creatus erat, Romam venientem secutæ sunt Campanorum Syracusanorumque legationes, altera de Q. Fulvii, altera de M. Marcelli sævitia apud senatum questura.) **Weiss.** : « Hac circumfusus multitudine, » simul Siculis obviam egressis secutisque Romam, speciem præ- » buit clarissimarum urbium excidio [ac] celeberrimis viris victos » bello accusatores in urbem adducentis. » Sic **P**, nisi quod ignorat *speciem*, et habet *seculis*, non *secutis*. Madvigius supplemento abstinuit, sed pro *Romam* scripsit *formam*, et delevit *ac*. Codicem mutilum esse ostendit infelix emendandi conatus. Quis enim ferat istas salebras ? Quis credat, quum vox *formam* (sive *speciem*) genitivum desideret, et statim post genitivus *urbium* ad manum sit, transiliri hunc debere, ut, post asperos aliquot circuitus, ex ultimis tandem periodi partibus arcessatur genitivus *adducentis*? Nonne illa vox *ac*, quam temere tolli placuit, indicio est, priorem aliquem genitivum ante fuisse, cum quo conjunctus fuerit posterior *adducentis*? Neque opus est fingi duobus pluribusve locis corruptam esse orationem, quum uno satis sit. Opinor aliquot voces una excidisse, atque in hunc fere modum scripsisse Livium : « Hac circumfusus » multitudine, simul Siculis obviam egressis secutisque Romam, » præbuit speciem questuri de clarissimarum urbium excidio, ac » celeberrimis viris victos bello accusatores in urbem adducentis.» Cf. XL, v, 4.

Cap. XXIX, 1. — **Vulg.** : « His senatus consultis perfectis, sor- » titi provincias consules. » Codex **P**, teste Weiss., exhibet *sortirii*, vacuo post relicto spatio. Suspicor fuisse *sortiri jussi provincias consules*.

Cap. XXIX, 2. — (De legatis Siculis, postquam Marcello consuli, quem accusaturi Romam venerant, rursus provinciam Siciliam sorte obtigisse viderunt.) **Vulg.** : « Quæ sors, velut iterum captis » Syracusis, ita exanimavit Siculos, exspectatione sortis in consu- » lum conspectu stantes, ut comploratio eorum flebilesque voces... » oculos hominum converterint ». In conspectu alicujus dici solet is esse, qui ab aliquo conspici, non qui aliquem conspicere potest ; nihil autem hic attinet, Siculos a consulibus conspici potuisse. Ad hoc, quum consules in curia sortirentur, Siculi autem extra curiam starent, non magis in conspectu consulum erant Siculi, quam omnium senatorum. Nec præterea apparet, cur in consulum potissimum conspectu fuisse memorentur, quum deinde non consules, sed alios homines comploratione sua conversuri sint. Opinor præpositionem *in* trajectam esse, et legi debere : « ... Siculos, exspec- » tatione sortis consulum in conspectu stantes... », h. e. haud longe stantes, dum exspectabant quæ sors foret consulum.

Cap. XXIX, 3. — **Codd., Drak.** : « (Legati Siculi) circumibant » ... adfirmantes se non modo suam quisque patriam, sed totam » Siciliam relicturos, si eo Marcellus iterum cum imperio redis- » set. » Fuerunt qui solæcum hoc *quisque* tueri aggrederentur, allatis exemplis aut alienis aut corruptis ; quorum sententiam Madvigius in Em. Liv. probe confutavit. Ceterum hactenus ei assentior, nec puto *quosque* substitui posse, sed rectius multo, quod ad Latinitatem attinet, Vallam, Gronovium, Creverium suasisse *quemque*. Nimirum in his dicendi formis usurpari pluralis numerus non solet, nisi ubi singulari abstinere peculiaris aliqua causa cogit (ut, exempli gratia, V, viii, 13, ubi plurale subjectum intellegendum relinquitur, neque intellegi potest, nisi ante scripto *quosque* ; aut apud Sall. *Jug*. 97, 5 : *uti quosque fors conglobaverat*, ubi scribi *quemque* ridiculum sit). Quanquam hic nec *quosque* nec *quemque* sententia postulat. Quemadmodum enim, si simpliciter nullaque adjecta re diceretur *patriam quisque suam relinquunt*,

par vis, par pondus esset in utrisque vocibus *quisque* et *suam*, ita hic, postquam patriæ Siculi cujusque opponitur tota Sicilia, multo majorem vim sibi vindicat vox *suam* (suam propriam cujusque, non communem omnium Siculorum patriam). Itaque pronomen *quisque* eo potissimum casu poni debet, qui vocem *suam* maxime insignem efficiat, qui casus videtur esse genitivus. Legendum igitur : «... se non modo suam cujusque patriam, sed totam Sici- » liam relicturos... » Jam in loco haud fere dissimili (XXXIX, XIV, 4) ipse Madvigius scripsit *cujusque* pro *quisque* (1).

Cap. XXIX, 8. — **Vulg.** : « (Marcellus dicere) mutare se provin- » ciam paratum esse; deprecari senatus præjudicium... » Quum sensus sit *mutare quidem... deprecari autem...*, sic interpungendum est : *..paratum esse, deprecari...*

Cap. XXIX, 10. — **Madv.** : « Inter ipsos consules permutatio » provinciarum, rapiente fato Marcellum ad Hannibalem, facta est, » ut, ex quo primus post adversissimas haud adversæ pugnæ » gloriam ceperat, in ejus laudem postremus Romanorum impera- » torum, prosperis tum maxime bellicis rebus, caderet. » **Weiss.** : « ..primus post adversissimas secundæ pugnæ... » In **P** legitur tantum *primus post adversæ pugnæ*. Vocem *adversissimas* ideo suppletam opinor, quia et vox *post* extra suspicionem posita sit, et placuerit aliquid contrarium referri ad illa, quæ sequuntur, verba *prosperis tum maxime bellicis rebus*. Verum alibi commutata esse *post* et *host* jam vidimus (cf. XXI, LII, 11, ubi scriptum est *hostium* pro *post cum*); et, quod ad contrariorum relationem attinet, posteriori parti satis respondent verba *primus haud adversæ*, ut quibus declaretur omnia ante prœlia adversa fuisse. Legendum videtur : «... ut, ex quo primus hoste haud adversæ pugnæ gloriam

(1) Hæc admonent Sallustiani loci, ubi de eodem pronomine *quisque* Madvigius et in reprehendendo recte judicavit et in emendando, mea quidem sententia, erravit. Qui locus hic est (*Jug.* 18, 3) : « Sed postquam in Hispania Hercules... interiit, » exercitus ejus, compositus ex variis gentibus, amisso duce, ac passim multis sibi » quisque imperium petentibus, brevi dilabitur ». Ait Madvigius, aut *quisque* pro *quibusque* positum ablativo casu accipiendum, aut *quibusque* scribendum esse, quia ibi significentur, non singuli homines de imperio contendentes, sed gentes et populi, ex quibus compositus esset Herculis exercitus. Et mihi venerat in mentem sanationem hujus loci in hac promiscua verti ducum gentiumque ambitione; nec tamen confugiendum reor ad illud pervetustum ablativum *quisque*, quum præsertim non sine offensione vox *multis* ita accipi possit, ut simul significet multos duces multasque gentes. Suspicor fuisse *ac passim multis sibi suisque imperium petentibus*, h. e. quum multi duces sibi suæque genti imperium peterent. Cf. Liv. XXVI, XXXIII, 3 : *libertatem sibi suisque orare.*

» ceperat, in ejus laudem postremus... caderet. » Eadem fortasse causa fuit omissæ et litteræ *e* et vocis *haud*, si putes librarium ab extrema littera vocis *post* ad extremam vocis *haud* (*haut*) aberrasse.

Cap. XXX, 1. — **Vulg.** : « Siculi... multa de Hieronis regis fide » perpetua erga populum Romanum verba fecerunt, in gratiam » publicam avertentes. » Suasit Gronovius *vertentes*. Forte *ea vertentes*.

Cap. XXXI, 2. — (Marcellus, apud senatum a Siculis accusatus, postquam professus est se, si de suo crimine ambigeretur, non responsurum fuisse, sic pergit) **P** et plerique **Codd.** : *sed non quid ego fecerim in disquisitionem venit nam quidquid isti pati debuerint qui si non fuerunt hostes...* Inde expressa est illa lectio, quæ adhuc obtinuit : « Sed non quid ego fecerim in disquisitio- » nem venit, quam quid isti pati debuerint. Qui si... » (Madv. : *Sed non tam quid ego...*) Dixit paulo ante Marcellus de suo crimine non ambigi; nunc dicit sua facta minus, quam Siculorum, in disquisitionem venire, id est, non jam omnino extra disquisitionem esse. Ut non aperte hæc inter se pugnent, certe non apte connexa videntur. Vitii majoris id indicium est. Nam, quum **P** ceterique codices superstites in eandem depravatam sensuque carentem scripturam consentiant, scimus fuisse olim codicem, et optimum et ex alio fonte ortum, qui supplementum haberet ejusmodi, ut non modo rectiorem faceret orationem, sed etiam integram codicum nostrorum lectionem, ne una quidem mutata littera, retineri sineret. Neque illud parum ad fidem est, quod id supplementum codicibus nostris egregie convenit, codici suo non conveniebat, unde patet non interpolatione fictum. Profecto jamdiu receptum id fuisset, nisi Gronovius temere nulloque indicio Rhenanum mendacii insimulasset. Indiciis contra certissimis patet, id a Rhenano fingi non potuisse. Quanquam qui convenit in uno versu fidem ei abrogare, cujus unius auctoritate alibi tria fere capita recepta sunt (in hoc ipso libro a capite XLI, 18, usque ad cap. XLIII, 8)? Hæc est codicis Spirensis scriptura : «... in disquisitionem venit quem » quidquid in hostibus feci jus belli defendendi isti pati debuerint. » Postquam hæc attulit Rhenanus, docet verbum *defendendi* mendosum esse, proque eo se reposuisse *defendit*. Nec plura; ne animadvertit quidem in fine hiare orationem. Quæ nos si codicibus nostris accommodaverimus, sic legendum erit : « Sed non, quid ego fecerim,

» in disquisitionem venit (nam quidquid in hostibus feci, jus belli » defendit), sed quid isti pati debuerint. Qui si non fuerunt hos- » tes... » Nunc id supplementum si finxisset Rhenanus, num tale finxisset, ut expediri nequiret? num mendum *defendendi* adnotasset? num aptiorem ceteris, quam suo ipsius, codicibus finxisset scripturam, et quidem, id quod maximum est, multo aptiorem, quam ipse ratus erat? Quippe, quod attulit, id ipse cum cetera oratione connectere ne sciit quidem. Atqui illa copula (*sed quid*), quæ eum præteriit, quum in tali supplemento necessaria est, tum perspicue demonstrat cur ceteri codices mutilati fuerint : librarios enim a voce *quidquid* ad posterius *quid* aberravisse. Cetera intacta manent. Denique sententia, præter quam quod hac repugnantia, quam dixi, liberata est, cum posteriore sententia magis congruit; illa enim, quæ subsequuntur, *Qui si non fuerunt hostes*, arte cohærent cum superioribus *quidquid in hostibus feci*.

Cap. XXXII, 8. — **Madv.** : « (Legati Siculi) ad genua se Mar- » celli consulis projecerunt, obsecrantes ut... in fidem clientelam- » que se urbemque Syracusas acciperet. Potens hoc consul clementer » appellatos eos dimisit. « **P** : *potensoc*. Insolitum id *potens* Madvigius monet idem valere atque *elatus*. Credant alii; nihil certe agit exemplum, quod unum affert, *ingenti præda potens* (I, xxxiii, 5), alio sensu vulgo acceptum, et quibusdam etiam suspectum. Vulgata olim lectio erat *Post hæc consul*; cui Weiss. substituerat *Pollicens hoc consul*. Melius Latinitati quam apud Madvigium, codici quam apud ceteros, consultum crediderim, si scriptum sit : « obsecrantes » ut... in fidem clientelamque se urbemque Syracusas acciperet vo- » lens. Ac consul clementer... » h. e. benignus, propitius. Cf. XXII, xxxvii, 12; XXIV, xxi, 10.

Cap. XXXIII, 2. — (Oratio legatorum Campanorum senatus Romani misericordiam implorantium.) **Madv.** (ceteri vix differunt) : « Satis pensum pœnarum, tot veneno absumptis, tot » securi percussis senatoribus, credebant. Paucos nobilium super- » esse, quos nec sua conscientia, ut quicquam de se gravius » consulerent, impulerit, nec victoris ira capitis damnaverit; eos » libertatem sibi suisque et bonorum aliquam partem orare, cives » Romanos, affinitatibus plerosque et propinquis etiam cognatio- » nibus ex connubio vetusto junctos. » Ista fidem excedere jam tertio ante seculo monuit Glareanus, cujus adnotatio hæc fuit : « Hæc ita ponuntur quasi pro solis nobilibus roget libertatem

» bonorumque partem, ac non pro omnibus Campanis. Oratio mihi » mutila videtur. » Recte. An credibile est, Campanos Lævinum consulem obsecrasse cum lacrimis, ne Campanum nomen deleri a Q. Fulvio sineret, et ut sibi ad senatum ire liceret, totius populi perniciem deprecaturis, eosdem in senatu, omisso eo, propter quod venerint, nihil aliud quam de nobilibus, iisque paucissimis, meminisse? Sed alterum vitium, neque id leve, relictum est, contigisse nobilibus Campanis civitatem Romanam. Nam, si vulgatam interpunctionem observaveris, necesse est intellegi, non modo nonnullos eorum, sed eos omnes jus civitatis habuisse, quod falsum est. Utrumque tolletur vitium, si, addita una littera mutataque interpunctione, leges : « Satis pensum pœnarum... credebant; paucos nobilium » superesse, quos nec... damnaverit. Eo se libertatem sibi suisque » et bonorum aliquam partem orare cives Romanos, affinitatibus...» Cujus loci universa sententia hæc est : Quoniam tot senatores Campani veneno aut securi, tot deinde nobiles variis casibus perierunt, ideo satis pœnarum a nobis pensum credimus, civesque Romanos oramus libertatem... Suetonius item dixit *orare aliquem libertatem*, Vesp. 16.

Cap. XXXIV, 12. — (Ubi decernunt Patres de Campanis Campanorumque bonis.) **Vulg.** : « Signa, statuas æneas, quæ capta de » hostibus dicerentur, quæ eorum sacra ac profana essent, ad pon- » tificum collegium rejecerunt. » Ad pontifices rejiciebantur capta signa, quia, quum religiosum esset sacra signa in promiscuum usum verti, a pontificibus distinguendum erat, quæ eorum sacra, quæ profana essent. Ibi autem sententia expediri nequit, nisi iterum auditis verbis *quæ eorum*, hoc modo : *quæ eorum sacra ac* (*quæ eorum*) *profana essent*; quæ ellipsis vereor ut ferri possit. Præstat : « ..quæ eorum sacra an profana essent.. »

Cap. XXXVIII, 4. — (Hannibal vastando ea, quæ tueri nequibat, multorum ex suis sociis, ac non eorum modo, quos læserat, animos ab se averterat.) **Vulg.** : « ... quippe ad plures exemplum » quam calamitas pertinebat. » Vox *calamitas* abest a bonis codicibus. Weiss. reposuit *pernicies*, majore scripturæ, quam sententiæ cura. Nam cum iis sociis, qui spoliati erant, non ad perniciem (h. e. ruinam, exitium) actum erat, et in generali sententia generale mali nomen requiritur. Malim *pestis*.

Cap. XXXIX, 22. — (De Tarentinis frumentatoribus a Q. Persio cæsis.) **Codd., Drak., Weiss.** : « ...Paucos ex multis, trepida fuga

» incidentes semiapertis portarum foribus, in urbem compulit, ne » urbs eodem impetu caperetur. » Extremæ partis quis sit sensus, nescio; quis esse debeat, indicare videtur codicis Pal. 2 lectio *compulit parumque abfuit ne urbs..,* ubi tamen interpolationem arguit manifestum vitium. Hunc fere secutus, Madvigius scripsit : *compulit, neque multum abfuit quin urbs... caperetur.* Longe breviora suppleri potuerunt, hoc modo : « compulit, ut pæne urbs ...caperetur. »

CAP. XLIV, 6. — **Weiss.**, **Madv.** : « Quod ubi animadvertit » multis partibus nudata defensoribus mœnia esse, omnes e castris » excitos ire ad oppugnandum et ferre scalas jubet. » **P** : *ad oppugnandadam et.* Fortasse *ad oppugnanda ea et...*

CAP. XLVI, 1. — (De Romanis Carthaginem Novam oppugnantibus.) **Vulg.** : « Nec altitudine tantum mœnium impediebantur, » sed quod euntes ad ancipites utrinque ictus subjectos habebant » Romanos. » **Codd.** : *euntis.* Docente Sigonio ad *habebant* intellegendum esse *Pœni,* negavit Gronovius id per vulgatum licere; ipse, pluribus allatis emendandi modis (quorum unum, *tuentes* pro *euntes,* recepit Madvigius), ad ultimum attrectatione omni destitit, monuitque melius esse intellegi *mœnia.* Recte quidem, si sententiam solam respicias; non item, si sermonem. Forsitan exciderit pusillum aliquid, et fuerit olim *sed quod ea euntes..,* h. e. ea mœnia.

CAP. XLVIII, 5. — Habent aliquid immodici hæc verba Scipionis, milites suos laudantis : « ..quanquam omnibus omnia deberet... » Videndum ne versus præcedentis vox *omnia* præoccupaverit aurem librarii, aut, una tantum corrupta littera, *om̄ia* scriptum sit pro *pmia.* Placeret certe *præmia.*

CAP. LI, 12. — (Verba Carthaginiensium ducum, captæ Carthaginis Novæ laudem elevantium.) **Vulg.** : « ...cujus rei tam parvæ » præmio elatum insolentem juvenem, immodico gaudio speciem » magnæ victoriæ imposuisse. » Cui rei imposita sit illa species, frustra quærimus. Nec dativus abesse potest, nec dativo casu accipi nomen *gaudio* sensus sinit. Duas litteras geminandas reor, hoc modo : « ... speciem magnæ victoriæ ei imposuisse.. » h. e. ei rei. Cf. IX, XI, 7.

LIBER XXVII

CAP. I, 9. — (De Hannibale adversus Cn. Fulvium proconsulem dimicante.) **Vulg.** : « Ipse in Fulvii similitudinem nominis, quod » Cn. Fulvium prætorem biennio ante in iisdem devicerat locis, » increpans, similem eventum pugnæ fore affirmabat. » Dici solet *increpare aliquem,* etiam *increpare aliquid in aliquem*; verum *increpare in aliquid,* nullo objecto posito, neque apud Livium, neque apud ullum bonum auctorem, si qua lexicorum silentio fides, videtur repertum esse. Ad hoc, quoniam prætori proconsulique non modo idem nomen *Fulvius,* sed etiam idem prænomen *Cneius* erat, minime credibile est, Livium alterius tantum rei similitudinem memorasse, quum utriusque posset. Verissimam igitur puto veterum editionum lectionem *Ipse Cn. Fulvii similitudinem nominis... increpans* : eam qui mutavit, Gronovius tribus exemplis usus est alienis, ut in quibus verbum *increpare* objecto non caret.

CAP. VII, 1. — **Vulg.** : « Exitu anni hujus C. Lælius, die quarto... » Suppletum est nomen *C. Lælius.* Livius, quum singulorum annorum res exsequatur, nec de anno semel cœpto usquam ambigi possit, non fere solet dicere *hic annus, hujus anni,* sed *annus, anni,* nullo adjecto pronomine. Hic quoque eum more suo (ut XXIII, XXX, 13, et passim) simpliciter dixisse reor *exitu anni,* vocemque *hujus* ortam esse ex depravatione nominis *Lælius.*

CAP. VII, 3. — **Vulg.** : « Maximo movit Patres Hasdrubalis » transitus in Italiam, vix Hannibali atque ejus armis subsistentem. » Olim editum erat *obsistentem,* quod Madvigius, quoniam laudavit, retinere debuerat : patet enim mendi ansam dedisse ultimam vocis præcedentis litteram, male geminatam. Sed molesta sunt et ipsa

verba *atque ejus armis*, quasi aliud sit obsistere Hannibali, aliud obsistere armis Hannibalis. Suspicor *absque ejus armis*, h. e. absque armis Hasdrubalis.

Cap. VII, 13. — (De militibus qui Cn. Fulvio duce fusi fugatique erant.) **Drak.** : « Conquisitos eos consules in Siciliam miserunt, » additaque eadem militiæ ignominia, sub qua Cannenses militabant. » Sic Weiss. quoque et Madvigius, detracta tamen voce *militiæ*. In bonis mss. legitur tantum *additaque ea sub qua*, mediis omissis. Cavenda est interpolatio; suspicionem auget *militare sub ignominia*. Quum sæpe commutatæ reperiantur voces *ea* et *ex*, adducor ut credam ibi non plus unam excidisse litteram, et legi debere *additaque lex, sub qua...*, h. e. condicio.

Cap. XI, 15. — **Vulg.** : « Magnum præterea numerum eorum » conquisiverunt, qui equo mereri deberent; atque ex iis, qui » principio ejus belli septemdecim annos nati fuerant neque militaverant, omnes ærarios fecerunt. » Pravum est *omnes ex iis*; manifesto post *militaverant* distinctio ponenda est, detrahenda autem post *deberent*, ut *eorum* et *ex iis* pariter pendeant ex eodem nomine *numerum*.

Cap. XV, 9. — **Drak., Madv.** : « Fabium, Tarentum obsidentem, » leve dictu momentum ad rem ingentem potiundam adjuvit. » *Momentum*, quod in bonis codicibus non comparet, Weiss. delevit. Sed *leve dictu* pro substantivo haberi nequit. Conjici potest *leve dictu aliquid ad rem..*; nam *aliquid* per compendium scribi solebat *ad*, id quod, sequente altero *ad*, facile omitti potuit.

Cap. XVIII, 9. — (Quum Hasdrubal, vallo parum fidens, castra sua nocte reliquisset, copiasque in tumulum recepisset, Scipio suos ad invadendum hostem hortatur, eisque Carthaginem nuper captam in memoriam revocat.) **Vulg.** : « Nec tumulos, nec arcem, ne mare » quidem armis obstitisse suis. Ad id fore altitudines, quas » cepissent hostes, ut per præcipitia et prærupta salientes fugerent; » eam quoque se illis fugam clausurum. » Hæc opinor (nam, in loco inextricabili tanquam apertissimo quum tacuerint interpretes, quid cuique visum sit, haud facile definias) vulgo sic accepta esse : altitudines ad id tantummodo hostibus profuturas, ut per præcipitia fugiant. At Latine non dicitur *ad id esse ut* pro *ad id valere ut*, multo minus *ad id fore ut fugerent* pro *ad id fore ut fugiant*. Rursus si jungi placeat *quas cepissent ut fugerent*, tunc destituantur verba *ad id* sine ullo sensu. Profecto legendum est : « ...ne mare quidem » armis obstitisse suis : quid fore altitudines, quas cepissent hostes » ut... fugerent? Eam quoque se... » h. e. quum ne mare quidem sibi obstiterit, nihil fore (nequaquam sibi impedimento fore) altitudines, quas ideo tantum cepissent hostes, ut per præcipitia effugium haberent. Cf. VI, xli, 8 : *quid enim est, si...?* h. e. nihil enim est, si...

Cap. XXVI, 1. — (Marcello Crispinoque consulibus conjunctas copias adversus Hannibalem quotidie educentibus) **Vulg.** : « Hannibal, quia cum Marcello bis priore anno congressus vicerat victus» que erat, ut, cum eodem si dimicandum foret, nec spem nec » metum ex vano haberet, ita duobus consulibus haudquaquam » sese parem futurum credebat. » Retentum est adhuc illud *haberet*, cujus rationem inire fortasse nemo unquam sibi visus est. Sensit vitium Gronovius, suasitque *habebat*. Sed nec levis mutatio ea esset, neque omni careret offensione indicativus in re futura et incerta. Delenda tantum littera *t*, ut sit *habere*, eo sensu : ut credebat se, si cum uno Marcello dimicandum foret, æque ac prius vincere et vinci posse, ita credebat se duobus haudquaquam parem futurum esse. Rectius videtur, utriusque pugnæ fortunam eidem Hannibali cogitandam relinqui, quam alterius a Livio indicari, alterius ab ipso deinde Hannibale cogitari.

Cap. XXVII, 13. — (Narrata morte Marcelli, in insidiis deprensi, addit Livius de ea re, quomodo acta sit, multum variare auctores.) **Vulg.** : « Ut omittam alios, Cælius triplicem rei gestæ ordinem » edit, unam traditam fama, alteram scriptam laudatione filii, qui » rei gestæ interfuerit, tertiam, quam ipse pro inquisita ac sibi » comperta affert. » Lectorem ludibrio habent editores, qui non præmonitum eum in hujus modi fraudes incidere patiuntur. Saltem Madvigius solœcum *ordinem* asterisco notavit. Pro eo Perizonius suaserat *seriem*, Doujatius *narrationem*, utraque longius a codicibus discedentia. Dukerus ibi, non pro suo judicio, infeliciter opinatus est potuisse Livium aberrare, et animo scribentis obversatum fuisse aliud substantivum feminini generis. Quasi quicquam postea corrigendum sit, recepta tali excusatione. Sed emendatio ad manum est : scripsit Livius *originem*, h. e. principium et quasi fontem, unde fama quæque exiit. Præterea legendum reor *scriptam in laudatione* (*scriptāin*).

Cap. XXVIII, 13. — **Vulg.** : « Ita inde Hannibal... abiit, profec» tusque ad Locrorum solvendam obsidionem, quam Cincius summa

verba *atque ejus armis*, quasi aliud sit obsistere Hannibali, aliud obsistere armis Hannibalis. Suspicor *absque ejus armis,* h. e. absque armis Hasdrubalis.

Cap. VII, 13. — (De militibus qui Cn. Fulvio duce fusi fugatique erant.) **Drak.** : « Conquisitos eos consules in Siciliam miserunt, » additaque eadem militiæ ignominia, sub qua Cannenses milita- » bant. » Sic Weiss. quoque et Madvigius, detracta tamen voce *militiæ*. In bonis mss. legitur tantum *additaque ea sub qua*, mediis omissis. Cavenda est interpolatio; suspicionem auget *militare sub ignominia*. Quum sæpe commutatæ reperiantur voces *ea* et *ex,* adducor ut credam ibi non plus unam excidisse litteram, et legi debere *additaque lex, sub qua...,* h. e. condicio.

Cap. XI, 15. — **Vulg.** : « Magnum præterea numerum eorum » conquisiverunt, qui equo mereri deberent; atque ex iis, qui » principio ejus belli septemdecim annos nati fuerant neque mili- » taverant, omnes ærarios fecerunt. » Pravum est *omnes ex iis*; manifesto post *militaverant* distinctio ponenda est, detrahenda autem post *deberent,* ut *eorum* et *ex iis* pariter pendeant ex eodem nomine *numerum*.

Cap. XV, 9. — **Drak., Madv.** : « Fabium, Tarentum obsidentem, » leve dictu momentum ad rem ingentem potiundam adjuvit. » *Momentum*, quod in bonis codicibus non comparet, Weiss. delevit. Sed *leve dictu* pro substantivo haberi nequit. Conjici potest *leve dictu aliquid ad rem..*; nam *aliquid* per compendium scribi solebat *ad*, id quod, sequente altero *ad*, facile omitti potuit.

Cap. XVIII, 9. — (Quum Hasdrubal, vallo parum fidens, castra sua nocte reliquisset, copiasque in tumulum recepisset, Scipio suos ad invadendum hostem hortatur, eisque Carthaginem nuper captam in memoriam revocat.) **Vulg.** : « Nec tumulos, nec arcem, ne mare » quidem armis obstitisse suis. Ad id fore altitudines, quas » cepissent hostes, ut per præcipitia et prærupta salientes fugerent; » eam quoque se illis fugam clausurum. » Hæc opinor (nam, in loco inextricabili tanquam apertissimo quum tacuerint interpretes, quid cuique visum sit, haud facile definias) vulgo sic accepta esse : altitudines ad id tantummodo hostibus profuturas, ut per præcipitia fugiant. At Latine non dicitur *ad id esse ut* pro *ad id valere ut,* multo minus *ad id fore ut fugerent* pro *ad id fore ut fugiant.* Rursus si jungi placeat *quas cepissent ut fugerent*, tunc destituantur verba *ad id* sine ullo sensu. Profecto legendum est : « ...ne mare quidem » armis obstitisse suis : quid fore altitudines, quas cepissent hostes » ut... fugerent? Eam quoque se... » h. e. quum ne mare quidem sibi obstiterit, nihil fore (nequaquam sibi impedimento fore) altitudines, quas ideo tantum cepissent hostes, ut per præcipitia effugium haberent. Cf. VI, xli, 8 : *quid enim est, si...?* h. e. nihil enim est, si...

Cap. XXVI, 1. — (Marcello Crispinoque consulibus conjunctas copias adversus Hannibalem quotidie educentibus) **Vulg.** : « Hanni- » bal, quia cum Marcello bis priore anno congressus vicerat victus- » que erat, ut, cum eodem si dimicandum foret, nec spem nec » metum ex vano haberet, ita duobus consulibus haudquaquam » sese parem futurum credebat. » Retentum est adhuc illud *haberet,* cujus rationem inire fortasse nemo unquam sibi visus est. Sensit vitium Gronovius, suasitque *habebat*. Sed nec levis mutatio ea esset, neque omni careret offensione indicativus in re futura et incerta. Delenda tantum littera *t*, ut sit *habere,* eo sensu : ut credebat se, si cum uno Marcello dimicandum foret, æque ac prius vincere et vinci posse, ita credebat se duobus haudquaquam parem futurum esse. Rectius videtur, utriusque pugnæ fortunam eidem Hannibali cogitandam relinqui, quam alterius a Livio indicari, alterius ab ipso deinde Hannibale cogitari.

Cap. XXVII, 13. — (Narrata morte Marcelli, in insidiis deprensi, addit Livius de ea re, quomodo acta sit, multum variare auctores.) **Vulg.** : « Ut omittam alios, Cælius triplicem rei gestæ ordinem » edit, unam traditam fama, alteram scriptam laudatione filii, qui » rei gestæ interfuerit, tertiam, quam ipse pro inquisita ac sibi » comperta affert. » Lectorem ludibrio habent editores, qui non præmonitum eum in hujus modi fraudes incidere patiuntur. Saltem Madvigius solœcum *ordinem* asterisco notavit. Pro eo Perizonius suaserat *seriem*, Doujatius *narrationem*, utraque longius a codicibus discedentia. Dukerus ibi, non pro suo judicio, infeliciter opinatus est potuisse Livium aberrare, et animo scribentis obversatum fuisse aliud substantivum feminini generis. Quasi quicquam postea corrigendum sit, recepta tali excusatione. Sed emendatio ad manum est : scripsit Livius *originem*, h. e. principium et quasi fontem, unde fama quæque exiit. Præterea legendum reor *scriptam in laudatione* (*scriptāin*).

Cap. XXVIII, 13. — **Vulg.** : « Ita inde Hannibal... abiit, profec- » tusque ad Locrorum solvendam obsidionem, quam Cincius summa

» vi... expugnabat. » Vox *quam* inepte ad *obsidionem* videtur referri, et ellipsi intemperanter abutuntur, qui subaudiunt *urbis*. Supra ingrate omittitur *est* (*profectus est*), præcedente *abiit*; excidit ē post *que*. Requiri videtur : « ..profectusque est ad Locrorum solvendam » obsidione urbem, quam... » Ceterum aliud quoque latere suspicor ex scriptura codicis **P** *oppugnasset* (etsi *set* supra scripto a m. 2).

CAP. XLI, 5. — **Drak.** : « Hannibal inde evadere cupiens... » **Weiss.** : « ..elabi inde cupiens.. » **Madv.** : « ..evadere inde cupiens. » **Codd.** : *Hannibale inde cupiens*. Nullam opinor omissam esse vocem, sed male *einde* scriptum esse pro *euade'*, h. e. *evadere*.

CAP. XLVII, 10. — (Quum Hasdrubal, declinans certamen, nocte castra reliquisset, desertumque a ducibus itineris agmen Pœnorum per agros palaretur.) **Madv.** : « Hasdrubal, dum lux viam osten- » deret, lentius signa ferri jubet, et per tortuosi amnis sinus flexus- » que quum errorem volvens haud multum processisset, substitit, » ubi prima lux transitum opportunum ostendisset, transiturus. » **P** : *Hasdrubadum luxiamostendentis signa ferre... cum... processisset ubi...* Corruptissimum hunc locum esse, ostenderunt multi infelicesque emendandi conatus. Non melius Madvigio cessisse res videtur. Primum enim, quoniam Pœni, antea per agros palantes, post acceptum imperium per fluminis sinus errare dicuntur, apparet illuc signa ferri jussa esse, ideoque abesse initio non posse fluminis mentionem : id multi agnovere, et senserant priores editores, qui ibi suppleverant *ripa fluminis*. Deinde molesta est exspectatæ lucis significatio bis in tam brevi spatio et iisdem verbis facta, dum legitur hinc *dum lux viam ostenderet*, illinc *ubi prima lux ostendisset*. Tum vox *lentius* minime probabilis : quippe, nec festinatio ulla agmini ante nocuisse dicta erat, nec, si lente procedere jussi erant Pœni, satis congruit declarari deinde erroris causa eos parum processisse. Denique verbum *substitit* nullo rei indicio suppletum est : ex iis, quæ sequuntur, non verisimilius colligitur substitisse Hasdrubalem, quam perrexisse. Adde quod in controversiam vocari potest illa ipsa causa, propter quam subsistere eum Madvigio placuit, nempe quod parum processisset : id enim scire Hasdrubal tunc vix potuit, quum nox iter tegeret. Ex iis, quæ reprehendi, sequitur tria illa requiri, ut fluminis mentio initio fiat, caveatur redundantia, in reliquis temerario additamento abstineatur. Quæ certe præstari hac emendatione videntur : « Hasdrubal ripa fluminis viam ostendentis » signa ferri jubet, si per tortuosi amnis sinus flexusque tum » errorem volvens haud multum processisset, ubi prima lux transi- » tum opportunum ostendisset, transiturus... », h. e. sicut tunc haud multum fortasse processurum, ita prima luce transiturum se ratus. Ibi id unum paulo durius est, quod pro *dumlux* reponitur *fluminis* : nam excidisse *ripa* post *ruba* haud incredibile est; immo, cur omiserit librarius ultimam litteram vocis *Hasdrubal*, vix alia causa excogitari potest, nisi quia in ejus fine aberravit ad finem sequentis vocis *ripa*.

CAP. LI, 3. — **Vulg.** : « Legati (erant L. Veturius Philo, P. Lici- » nius Varus, Q. Cæcilius Metellus) circumfusi... pervenerunt. » Non solet apud Livium, neque, opinor, apud alios, parenthesis incipere per verbum *erant*, nisi subjuncto *autem*, aut aliquo pronomine. Repetenda videtur veterum editionum distinctio, quam Gronovius dubitanter nullaque allata causa mutandam jecerat : *Legati erant... Metellus. Circumfusi...* Parenthesim utique sic tantum retineri posse reor : *Legati* (*ii erant...*

LIBER XXVIII

CAP. II, 5. — **Weiss., Madv.** : « Vixdum in egressos vallo eos » Romani pila conjecerunt. » Is est verborum ordo ut jungatur *vixdum conjecerunt*, quum sententia jubeat *vixdum egressos*. Legendum videtur, ut in uno aut altero codice fuit, *Vixdum egressos vallo in eos...*

CAP. V, 1. — **Weiss., Madv.** : « P. Sulpicius proconsul et At» talus rex, quum Æginæ... hibernassent, Lemnum inde classe » juncta (Romanæ quinque et viginti quinqueremes, regiæ quinque » et triginta) transmiserunt. Adnotat Madvigius Ussingium suspicari *triginta erant*. Suspicor ego legendum esse *Romanas* et *regias*, sublata parenthesi : adeo confundi solent *ae* et *as*.

CAP. V, 8. — **Vulg.** : « Thermopylarum saltum, ubi angustæ » fauces coartant iter, fossa valloque intercludi ab Ætolis nuntia» bant, ne transitum ad sociorum urbes tuendas Philippo darent.» Quia solet Livius Thermopylarum saltum singulari numero ponere, hic quoque editum est *saltum*, etsi codices habent *saltus*. At incommode ex secundaria sententia arcessendum est nomen *fauces*, unde pendeat verbum *darent*. Observandos fuisse codices puto; alioquin, scribendum *daret*.

CAP. VII, 2. — Ibi sic interpungendum est : « Nam, et ipsa Chal» cis quanquam ejusdem insulæ urbs est, tamen adeo arto inter» scinditur freto, ut... » (non, ut nunc, *Nam et ipsa Chalcis, quanquam...*) Jungendum enim *et ipsa urbs est*, non *et ipsa interscinditur*.

CAP. VII, 11. — **Drak.** : « Haud majore certamine, quam Opun» tem Attalus ceperat, Philippus Toronem cepit. » Sic et Madvigius

sed pro *Toronem* scripsit *Thronium*, auctore Glareano. **Weiss.** : «... quam ad Opuntem Attalus decertarat, Philippus Thronium » cepit. » **P** : *attalus decertat philippus toronem cepit*. In mendo *decertat* non diu, opinor, hæsissent interpretes, si attendissent ad sequentia, quæ non modo rei enarrationem afferunt, sed etiam ipsam vocem desideratam ante oculos ponunt : urbem enim Toronem memorat Livius priore ejusdem Philippi bello vastatam desertamque fuisse, nec ullos deinde incolas habuisse, præter paucos ex Thebis Phthioticis profugos. Legendum igitur : « Haud majore certamine, » quam Opuntem Attalus, desertam Philippus Toronem cepit. » In antiqua scriptura unum mendum fuisse puto, *c* pro *s* scriptum (*decertā*), et compendii signum, ut sæpe alias, perperam pro *t* aliave qua littera habitum esse; certe ibi Gronovius olim legerat *decertae* ubi nunc traditur esse *decertat*. Ea vox emendata iterum demonstrat, errasse Glareanum, Sigonium, ceterosque, qui *Thronium* pro *Toronem* reponi voluerunt; iterum enim apparet (cf. paulo infra § 13 : *Torone recepta*) nomen feminini generis requiri. Ceterum illius mutationis nulla alia causa ab iis allata est, nisi quia Torone urbs, ad Pallenen sita, longissime abesset ab Opunte (nec vero de illa Torone agi posse patet), Thronium autem non procul. At, ut altera Torone nulla fuerit, fuere aliæ urbes Opunti vicinæ, quarum nomen magis congruat, quam Thronium, ut Cyrtone. Sed nihil definio (1).

CAP. VIII, 14. — **Drak.** : « (Philippus) retro in regnum concessit » ut Dardanis bellum inferret. » Pro *Dardanis* Jac. Gronovius suasit *Sintiis*, Weiss. et Madvigius scripsere *Mædis*. **P** : *dicionis*. Forte nihil aliud quam *vicinis*.

CAP. XII, 2. — **Vulg.** : « Ac nescio an mirabilior (Hannibal) » adversis quam secundis rebus fuerit, quippe qui, quum et in hos» tium terra...bellum gereret...» Voces *qui quum* a codicibus absunt; tum vocem *et* Creverius abundare monuit, eamque Madvigius uncis damnavit. Omitti supplementum retinerique *et* poterit, si, pro *quippe et*, scripserimus *qui*, *licet*.

CAP. XIX, 1. — **Vulg.**: «... quarum (civitatium) maxime insi» gnes magnitudine et noxa Illiturgi et Castulo erant. Castulo, » quum prosperis rebus socii fuissent.., defecerant ad Pœnos; Illi-

(1) Hoc tamen nomen *Thronium*, vanam Glareani conjecturam, Madvigius (*Em.*, XL, 55) tanquam certissimum exemplum posuit, quo librariorum fraudem argueret, ut qui ter pro eo nomine reposuerint *Torone*.

» turgitani... scelus etiam defectioni addiderant. » Ut Rhenano Gronovioque concedatur dici potuisse *Castulo defecerant* (etsi iis insolenter dicta sæpius arrisisse fatendum est), claudicat certe alterum periodi membrum; nam nomini *Castulo* respondere debuit *Illiturgi*, non *Illiturgitani*. Quare revocanda videtur Ascensiana lectio, quæ ante Drakenborchium obtinuit : *Castulonenses, quum prosperis...*

Cap. XXIII, 1. — (Astapæ urbis incolæ, quum a Romanis obsiderentur, nec salutis ulla spes superesset, supremæ pugnæ fortunam experiri statuerunt, relictis in urbe, qui, si rem inclinatam vidissent, conjuges liberosque interficerent et cum omnibus bonis suis concremarent; ipsi, eruptione facta, obstinati mori in suo quisque vestigio, ad unum omnes occisi sunt.) **Weiss.** : « Atque hæc » tamen iratorum ac tum maxime dimicantium vis et impetus in ar- » matos pugnantesque edebant; fœdior alia in urbe trucidatio erat, » quum turbam feminarum puerorumque imbellem inermemque » cives sui cæderent. » In codicibus nullo intervallo relicto legitur *dimicantium pugnantesque*; supplevit igitur Weiss. *vis et impetus in armatos*; item Madvigius, nisi quod pro *impetus* scripsit *furor*. Ediderant veteres « ... dimicantium jure belli in armatos repugnan- » tesque edebantur. » Illud *edebantur* ex optimis codicibus sumptum Gronovius affirmaverat; negat autem Weiss. in iis aliud repertum esse quam *edebā*. Sed hoc parum ad rem; illud prope mirabile est, ibi omnes editores in supplementum quattuor aut quinque verborum consensisse, ubi lacuna nulla fuit. Lege : « Atque hæc tamen hostium » iratorum ac tum maxime dimicantium, pugnantesque cædebantur; » fœdior alia in urbe trucidatio erat, quum turbam... imbellem » inermemque cives sui cæderent. » h. e. hanc tamen stragem irati faciebant Romani ac tum maxime dimicantes, atque ii, qui cædebantur, pugnabant; at in urbe cives fœde trucidabant suos, atque ii, qui cædebantur, inermes erant. In priore periodi parte, post *dimicantium* subauditur *erant*; neque in eo dubitationis aut offensionis quicquam esse potest, quum utræque partes inter se respondeant, et altera deinde incipiat per verbum *erat*. Illa ipsa partium similitudo indicio est, pro *edebā* reponi debere *cædebantur*, quum sequatur in altera parte *cæderent*. Cf. X, xv, 6 : *cæsi pugnantes ferme nongenti triginta*.

Cap. XXVI, 7. — **Vulg.** : « Ex obviis auditum, postero die » omnem exercitum cum M. Silano in Lacetanos proficisci, ..læti-

tiam ingentem fecit. » Vereor ut rectum sit *proficisci*, de re futura. Forsitan exciderit *jussum*.

Cap. XXVII, 11. — (Ex oratione Scipionis ad milites seditiosos.) **Codd., Vulg.** : « Sed multitudo omnis, sicut natura maris, per se » immobilis est, et venti et auræ cient; ita aut tranquillum aut » procellæ in vobis sunt; et causa atque origo omnis furoris penes » auctores est, vos contagione insanistis, qui... » Male multitudinis marisque comparatio, quæ post verba *auræ cient* jam plena absolutaque est, iteratur deinde his verbis *ita aut... in vobis sunt*. Turbata hæc esse jamdiu Rhenanus monuit; sed ipse minime probabilia reponi jussit. Madvigius, una tantum mutata littera, edidit « ... est; ut venti et auræ cient, ita aut tranquillum... », ubi nihil aliud laudandum videtur, nisi quod vox *ita* jam habet cui voci (*ut*) respondeat; sed *tranquillum* neque apte ex ventis sequitur, neque eadem tautologiæ reprehensione caret, quum ante dictum sit multitudinem per se immobilem esse. Relinquitur deinde otiosa copula *et* (*et causa..*). Suspicor ibi, levius quidem fortasse quam censuerat Rhenanus, gravius tamen quam vulgo videtur, latere vulnus; et indicio sunt, præter universam confusionem, voces *sicut* et *ita*, adeo inter se propinquæ, ut eas non invicem responsuras fuisse vix verisimile sit. Emendationem, quod ad verba ipsa attinet, proponere non ausim; sententiæ tantum forma in hunc modum describenda videtur : « Sed multitudo omnis, sicut natura maris per se » immobilis est, et venti et auræ cient, ita aut tranquillum aut pro- » cellarum motus sentit. Causa atque origo... », h. e. cient naturam maris.

Cap. XXXI, 1. — **Vulg.** : « Lælius, victor Carteiam revectus, » auditis, quæ acta Gadibus erant, ...nuntiis ad L. Marcium missis, » ...assentiente Marcio, paucos post dies ambo Carthaginem re- » diere. » Prodigiosa verborum constructio (*Lælius ambo rediere*) per libidinem Livio imputatur. Haud dubie interpungendum *revectus. Auditis...*

Cap. XXXIV, 9. — (Verba Scipionis ad Mandonium de Ilergetibus Lacetanisque post rebellionem victis.) **Drak.** : « Ceterum se » neque arma iis ademturum (quippe ea pignora timentium rebel- » lionem esse, se libera arma relinquere, solutosque metu animos), » neque se in obsides innoxios, sed in ipsos, si defecerint, sævi- » turum. » Diversissimæ ibi emendationes a Weissenbornio, Madvigio aliisque tentatæ sunt, quum propter orationis vitia, tum quia

verba *se neque arma iis ademturum* in codice **P** non comparent. Quos omnes conatus oblivione oblitterandos ait ipse Madvigius (*Em. Liv.*, 1877), quia Rhenani adnotatio, de his verbis tacentis (vide Drak.), fidem faciat, ea in codice Spirensi fuisse. Standum igitur antiquis editionibus. Verum ex iis, quæ parenthesi inclusa sunt, si intacta serventur, nihil sani erui posse, nemo non videt. Ibi **P**, pro *esse se libera*, habet *essetiberim*. Scripto *esseliberisñ*, ea recta erunt : « Ceterum se neque arma iis ademptarum » (quippe ea pignora timentium rebellionem esse, liberis non arma » relinquere solutosque metu animos), neque in obsides innoxios » ...sæviturum. » Postremum pronomen *se*, post *neque*, delendum videtur.

CAP. XXXIX, 12. — (Ex oratione legatorum Saguntinorum ad senatum.) **Codd., Weiss.** : « Vectigal ex agro eorum capimus, » quod nobis non tam fructu jucundius est, quam ultione. » Quid voluerit, qui talia edidit, quærere non operæ est. Vocem *tam* Drak. sustulit, Madvigius uncis removit. Forte reponendum *tamen*.

CAP. XXXIX, 16. — (Ex eadem oratione.) **Vulg.** : « Id uti » permittatis quæsumus, utique, si vobis ita videtur, quæ nobis » imperatores vestri commoda tribuerunt, ea... rata faciatis. » Ferendum esset *si e rep. videtur*; sed verba *si vobis ita videtur* inania sunt; quasi vero quicquam decerni possit, quod decernenti non visum sit. Codices habent *videretur*; id admonuit Gronovius, sensumque egregie illustravit (h. e. tribuerunt, si vos permitteretis). Audiendus fuit. Ut vox *quæ* minus commodo loco posita videatur, non ideo nugæ, invitis codicibus, invehendæ sunt.

CAP. XL, 7. — (Ex oratione Fabii.) **Vulg.** : « ... insitæ ingenio » meo cunctationis, quam metum pigritiamque homines adoles- » centes sane appellent, dum ne pœniteat, adhuc aliorum speciosiora » primo adspectu consilia semper visa, mea usu meliora. » Hæc ita distinguuntur, ut interpretandum sit *dum ne pœniteat mea consilia usu meliora visa esse*, id est, mea consilia prosperos exitus habuisse. Ineptum est id fingi, ut felicitatis suæ quemquam unquam pœniteat. Post *visa* audiendum est *sunt*, non *esse*; et sic interpungendum : *..dum ne pœniteat; adhuc...*, h. e. dum ne pœniteat hujus cunctationis meæ; nec vero adhuc ejus pœnituit, quoniam consilia mea semper usu meliora visa sunt.

CAP. XLI, 7. — (Fabius Scipionem admonet, bellum non in Africa, sed in Italia adversus ipsum Hannibalem, gerendum esse.)

Codd., Drak. : « Quin igitur ad hoc adcingeris, nec per istos cir- » cuitus, ut, quum in Africam trajeceris, secuturum te illuc Hanni- » balem speres, potius quam recto hinc itinere, ubi Hannibal est, » eo bellum intendis? egregiam istam palmam belli Punici patrati » petis? » Perplexi hujus loci expediendi ea una inventa est via, ut, dissoluto *nec*, fiat *et non*; quam inventam Weissenbornio adjudicare videtur Madvigius. Eam diserte proposuerat Drakenborchius, docueratque verba in hunc modum digerenda esse : Quin igitur adcingeris ad hoc, et intendis eo bellum, ubi est Hannibal, non potius per hos circuitus... quam recto hinc itinere? Incredibiliores istæ ambages sunt, quam ut ulli bono scriptori, nedum Livio, imputentur. Nec singula verba reprehensione carent : abundat adverbium *hinc*, si nulla cognatio ei est cum adverbiis *eo* et *ubi*; ad hoc, nulla apparet causa, cur dicatur *non.. potius quam,* quum dicendi usus postulet *non... sed*. Vulgatæ igitur lectioni, etiam si nihil aliud offenderet, fidem abrogarent sermonis vitia; verum ipsa sententia repugnat. Qui dicit, eo, ubi Hannibal sit, recto itinere potius quam per circuitus eundum esse, is haud dubie significat eundem utriusque itineris finem esse, et Scipionem, etiam per circuitus, eo tendere, ubi Hannibal sit (dico, non ubi futurus sit Hannibal, sed ubi tunc temporis sit, id est, eo ipso tempore, quo loquitur Fabius : sic jubet indicativus *est*). Quod falsum est : nam per hos circuitus non eo ad ultimum tendebat Scipio, ubi Hannibal tunc erat, sed in Africam. Longe præstat, ipsius Drakenborchii confessione, Creverii lectio *intendas,* h. e. *ut speres potius quam* (*ut*) *intendas*. Quam quidem recipiendam censerem, nisi ea cum sequenti sermone minus congrueret. Itaque illa magis placent : « Quin igitur » ad hoc accingeris, nec per istos circuitus, ut, quum in Africam » trajeceris, secuturum te illuc Hannibalem speres? potiusque recto » hinc itinere, ubi Hannibal est, eo bellum intendis? egregiam » istam palmam belli Punici patrati petis? » h. e. quin potius recto hinc itinere...? Postremam interrogationem (*egregiam... petis?*) ineptam non dixisset Madvigius, si diligentius attendisset ad ea, quæ præcessere (§ 2, 3). Ait ibi Fabius, etsi in Africa amplam gloriæ materiem speraverit Scipio, tamen ne illam quidem alteram pœnitendam gloriam fore, si Italia hostem expellat, atque ita Punicum bellum, sicut olim Lutatius, perpetret. Tenendum est igitur, apud Fabium liberare Italiam et perpetrare Punicum bellum unam eandemque rem esse, quæ Africano bello contraria referatur;

verba *se neque arma iis ademturum* in codice **P** non comparent. Quos omnes conatus oblivione oblitterandos ait ipse Madvigius (*Em. Liv.,* 1877), quia Rhenani adnotatio, de his verbis tacentis (vide Drak.), fidem faciat, ea in codice Spirensi fuisse. Standum igitur antiquis editionibus. Verum ex iis, quæ parenthesi inclusa sunt, si intacta serventur, nihil sani erui posse, nemo non videt. Ibi **P**, pro *esse se libera*, habet *essetiberim*. Scripto *esseliberisñ,* ea recta erunt : « Ceterum se neque arma iis ademptурum » (quippe ea pignora timentium rebellionem esse, liberis non arma » relinquere solutosque metu animos), neque in obsides innoxios » ...sæviturum. » Postremum pronomen *se*, post *neque*, delendum videtur.

Cap. XXXIX, 12. — (Ex oratione legatorum Saguntinorum ad senatum.) **Codd., Weiss.** : « Vectigal ex agro eorum capimus, » quod nobis non tam fructu jucundius est, quam ultione. » Quid voluerit, qui talia edidit, quærere non operæ est. Vocem *tam* Drak. sustulit, Madvigius uncis removit. Forte reponendum *tamen*.

Cap. XXXIX, 16. — (Ex eadem oratione.) **Vulg.** : « Id uti » permittatis quæsumus, utique, si vobis ita videtur, quæ nobis » imperatores vestri commoda tribuerunt, ea... rata faciatis. » Ferendum esset *si e rep. videtur*; sed verba *si vobis ita videtur* inania sunt; quasi vero quicquam decerni possit, quod decernenti non visum sit. Codices habent *videretur*; id admonuit Gronovius, sensumque egregie illustravit (h. e. tribuerunt, si vos permitteretis). Audiendus fuit. Ut vox *quæ* minus commodo loco posita videatur, non ideo nugæ, invitis codicibus, invehendæ sunt.

Cap. XL, 7. — (Ex oratione Fabii.) **Vulg.** : « ... insitæ ingenio » meo cunctationis, quam metum pigritiamque homines adoles- » centes sane appellent, dum ne pœniteat, adhuc aliorum speciosiora » primo adspectu consilia semper visa, mea usu meliora. » Hæc ita distinguuntur, ut interpretandum sit *dum ne pœniteat mea consilia usu meliora visa esse*, id est, mea consilia prosperos exitus habuisse. Ineptum est id fingi, ut felicitatis suæ quemquam unquam pœniteat. Post *visa* audiendum est *sunt,* non *esse*; et sic interpungendum : *..dum ne pœniteat; adhuc...*, h. e. dum ne pœniteat hujus cunctationis meæ; nec vero adhuc ejus pœnituit, quoniam consilia mea semper usu meliora visa sunt.

Cap. XLI, 7. — (Fabius Scipionem admonet, bellum non in Africa, sed in Italia adversus ipsum Hannibalem, gerendum esse.)

Codd., Drak. : « Quin igitur ad hoc adcingeris, nec per istos circuitus, ut, quum in Africam trajeceris, secuturum te illuc Hannibalem speres, potius quam recto hinc itinere, ubi Hannibal est, » eo bellum intendis? egregiam istam palmam belli Punici patrati » petis? » Perplexi hujus loci expediendi ea una inventa est via, ut, dissoluto *nec,* fiat *et non*; quam inventam Weissenbornio adjudicare videtur Madvigius. Eam diserte proposuerat Drakenborchius, docueratque verba in hunc modum digerenda esse : Quin igitur adcingeris ad hoc, et intendis eo bellum, ubi est Hannibal, non potius per hos circuitus... quam recto hinc itinere? Incredibiliores istæ ambages sunt, quam ut ulli bono scriptori, nedum Livio, imputentur. Nec singula verba reprehensione carent : abundat adverbium *hinc*, si nulla cognatio ei est cum adverbiis *eo* et *ubi*; ad hoc, nulla apparet causa, cur dicatur *non.. potius quam,* quum dicendi usus postulet *non... sed.* Vulgatæ igitur lectioni, etiam si nihil aliud offenderet, fidem abrogarent sermonis vitia; verum ipsa sententia repugnat. Qui dicit, eo, ubi Hannibal sit, recto itinere potius quam per circuitus eundum esse, is haud dubie significat eundem utriusque itineris finem esse, et Scipionem, etiam per circuitus, eo tendere, ubi Hannibal sit (dico, non ubi futurus sit Hannibal, sed ubi tunc temporis sit, id est, eo ipso tempore, quo loquitur Fabius : sic jubet indicativus *est*). Quod falsum est : nam per hos circuitus non eo ad ultimum tendebat Scipio, ubi Hannibal tunc erat, sed in Africam. Longe præstat, ipsius Drakenborchii confessione, Creverii lectio *intendas,* h. e. *ut speres potius quam* (*ut*) *intendas*. Quam quidem recipiendam censerem, nisi ea cum sequenti sermone minus congrueret. Itaque illa magis placent : « Quin igitur » ad hoc accingeris, nec per istos circuitus, ut, quum in Africam » trajeceris, secuturum te illuc Hannibalem speres? potiusque recto » hinc itinere, ubi Hannibal est, eo bellum intendis? egregiam » istam palmam belli Punici patrati petis? » h. e. quin potius recto hinc itinere... ? Postremam interrogationem (*egregiam... petis*?) ineptam non dixisset Madvigius, si diligentius attendisset ad ea, quæ præcessere (§ 2, 3). Ait ibi Fabius, etsi in Africa amplam gloriæ materiem speraverit Scipio, tamen ne illam quidem alteram pœnitendam gloriam fore, si Italia hostem expellat, atque ita Punicum bellum, sicut olim Lutatius, perpetret. Tenendum est igitur, apud Fabium liberare Italiam et perpetrare Punicum bellum unam eandemque rem esse, quæ Africano bello contraria referatur;

proinde postremam interrogationem idem valere ac si dicat : Quin, omissa Africani belli gloria, egregiam istam palmam liberatæ Italiæ petis? Quod quid inepti habeat, non video.

Cap. XLIV, 7. — (Ex oratione Scipionis, quum ei Fabius dixisset Syphacis Massinissæque societati non credendum esse.) **Vulg.** : « Has mihi spes subjicit fortuna populi Romani, di fœderis ab hoste » violati testes, Syphax et Massinissa reges, quorum ego fidei ita » innitar, ut bene tutus a perfidia sim. » **P** : *fidei ita perfidia ita innitar*; **M** : *fidei ita perfidei ita innitar*; et sic fere in quinque aliis codicibus. Hinc scribendum erat : « ...quorum ego fidei ita, perfi- » diæ ita innitar, ut bene tutus a perfidia sim. » h. e. quibus ego, seu fidis, ut spero futuros, seu perfidis, ut opinaris, ita innitar, ut... Etenim vocis *ita* repetitio idem valet ac si conjunctio *aut* interponatur : quorum ego fidei aut perfidiæ ita innitar, ut...

Cap. XLVI, 2. — (P. Licinio consuli senatus decreverat, quem mallet ex duobus exercitibus, quos in Bruttiis haberent L. Veturius et Q. Metellus, superioris anni consules.) **Vulg.** : « (Licinius) ex » iis eum sibi sumpsit, quem L. Veturius habuerat; Metello, ut, » quibus præfuisset legionibus, iis præesset, facilius cum assuetis » imperio rem gesturum ratus, permisit. » Subest ibi error, nondum animadversus. Dicitur Licinius alterum exercitum Metello permisisse : at non modo id jus consulis non erat, ut exercitui ducem eligeret, sed etiam, si fecisset, contra senatus consultum, de hac ipsa re latum, fecisset. Decreverat enim senatus (cf. cap. XLV, 9), ut L. Veturius et Q. Metellus sortirentur aut inter se compararent, uter præesset exercitui, quem Licinius consul noluisset. Quoniam igitur non sortiti sunt, id eos inter se comparasse apparet, Metelloque exercitum permissum esse ab ipso collega Veturio, cujus unius id jus erat. Itaque scribi debet : « Ex iis eum sibi » sumpsit, quem L. Veturius consul habuerat ; is Metello... per- » misit. »

LIBER XXIX

Cap. XVIII, 9. — (Ubi Locrenses apud senatum de injuriis sacrilegiisque præsidii Romani queruntur.) **Drak.** : « Quibus (militibus) » per, vos, fidem vestram, P. C., priusquam eorum scelus expietis, » neque in Italia, neque in Africa, quidquam rei gesseritis; ne, quod » piaculum commiserunt, non suo solum sanguine, sed etiam » publica clade luant. » Ea lectio, ex veteribus editionibus sumpta, in nullo alio eorum, qui exstant, codicum dicitur reperta esse, nisi in Colbertino. **P** habet *priusquam eo gesseritis,* mediis verbis omissis; item fere ceteri. Sed veterem lectionem in codice Spirensi fuisse ex eo colligendum est, quod de supplemento tacuit Rhenanus. Utcunque res se habet, errasse necesse est recentes, qui, mediam viam secuti, supplementi partem tantummodo receperunt (**Madv.** : « ...P. C., priusquam eorum scelus expiaritis, ne quid usquam rei » gesseritis... » ; sic et Weiss., sed omissa voce *rei*) : totum enim aut recipi aut rejici debuit. Et totum quidem rejici nullo universæ sententiæ damno poterat, concinnata in hunc modum oratione : « ...P. C., nil » usquam, oro, gesseritis... » ; sed satius videtur integrioris codicis editoribus fidem adhiberi. Ceterum altera quoque res ibi, eodem auctore Gronovio, temere mutata est. Omnes enim codices exhibent *per vos fidemque vestram*; quam dicendi formam bis Sallustius usurpavit (cf. Jug. XIV, xxv, et Cottæ orat. 13), et ipse Livius XL, IX, 7, etsi ibi quoque tolli *que* placuit. Juris sui fines excesserunt editores, dum recidunt copulam *que* : non eorum est quærere, quid Livius elegantius dicere potuerit, sed quid dixerit.

Cap. XXVI, 5. — **Codd., Weiss.** : « Scipio dux, partim fortibus » factis, partim suapte fortuna quadam ingenti ad incrementa

» gloriæ celebratus, converterat animos. » Æque hæc displicent, sive ex adjectivo *ingenti*, sive ex participio *celebratus* pendere velis verba *ad incrementa gloriæ*. Plura ibi reprehendit Madvigius, quæ referre supervacaneum est, ut in lectione fere damnata. Reposuit ipse : «... suapte fortuna quadam in ingentia incrementa gloriæ » celebratus », quæ quidem nihil jam perplexi habent, et probabilia videntur. Residet tamen aliqua dubitatio, quod *celebratus in ingentia incrementa gloriæ*, si ad sententiam solam spectes, nihilo plus valet ac *celebratissimus*, nec putandus est Livius, nisi aliud quid in animo habuisset, hoc verborum circuitu usurum fuisse. Minus otiosa illa forsitan sint : « ... suapte fortuna quadam, ingenti ad incrementa gloriæ re, celebratus... » h. e. quæ magni momenti res est ad...

CAP. XXXII, 10.—**Vulg.** : « ..totaque Africa fama mortis Massi- » nissæ repleta varie animos affecit. » Non sine causa Creverio displicuit et *Africa repleta fama* et *Africa animos affecit*. Sed quod vocem *repleta* ipse resecandam censuit, et Madvigius uncis inclusit, nimia vero ea medela est : cur enim id, quod codices omnes et diversissimi videntur exhibuisse, invecticium putemus potius quam corruptum? Reponi præstat *perlata*, ut *fama* audiatur nominativo casu, *Africa* ablativo. Forsitan enim, trajectis litteris, *rep* scriptum fuerit pro *per*, ut sæpe alibi *raptim* pro *partim*, deinde ex *replata* factum sit *repleta*. Cf. XLV, x, 5 : *eo quoque victoriæ fama perlata erat*.

LIBER XXX

CAP. IX, 11. — (De Tunete occupato a P. Scipione.) **Drak.** : « Abest ab Carthagine quindecim millia ferme passuum locus, quum » operibus, tum suapte natura tutus, et qui et ab Carthagine con- » spici et præbere ipse prospectum, quum ad urbem, tum ad circum- » fusum mare urbi, posset. » Hæc quoque integra in codice Spirensi fuisse, indicio est ipsa Rhenani adnotatio, qua emendationem quidem qualemcunque suam ad initium hujus periodi affert, de additamento autem nihil meminit. Sed quum **P** aliique habeant tantummodo *ipse conspectum cumfusum mare*, mediis omissis, media illa recentiores expunxerunt (**Weiss.** : *ipse conspectum in circumfusum mare*; **Madv.** : *ipse conspectui circumfusum mare*). Infelicissima mutatio, seu scripturam, seu sententiam respicias. Quænam enim in recenti lectione verisimilis causa fingi potest, cur paucas eas litteras, quas utique supplendas habuerunt, omiserit librarius? At in antiqua lectione manifestum est, ab altero *cum* ad alterum aberrari potuisse. Simul sententia clauda facta est. Ostendit enim verborum compositio contraria inter se referri, ideoque, sicut ab urbe Tuneta, sic ab Tunete conspici debere urbem ipsam, non mare modo urbi circumfusum. Nec vero Scipionis, Carthagini vim parantis, tantum intererat conspici mare, quantum Carthaginem. Unum illud nos adjuvat ibi codex **P**, quod pro *prospectum* scribi jubet *conspectum*; id enim nomen magis congruit cum verbo *conspici*.

CAP. XVIII, 7. — **Madv.** : « Et ut inter permixtos, ubi uti cus- » pide, uti cominus gladio posset, roboris majoris Romanus eques » erat, ita... melius ex intervallo Numidæ jaculabantur. » **Weiss.** :

« Et ut rem gerens permixtus, ubi cuspide uti, uti cominus... » Expressa illa sunt ex hac codicis **P** scriptura : *Et ut rem permixtus uti cuspide uti cominus*... Tres utraque lectio mutationes attulit : una satis erit, si pro *rem* legerimus *quum* (*cum*) : « Et ut, quum » permixtus uti cuspide, uti cominus gladio posset... » Nam *quum posset*, eodem sensu usurpatum quo *quum poterat*, non est quod offendat, præsertim apud Livium. Cf. II, xxvii, 8; XXXII, xvii, 13. Vide et Madv. gr. lat. §. 359.

Cap. XVIII, 14-15. — (Quæ Romanorum jactura fuerit in ea pugna qua P. Quinctilius Varus prætor et M. Cornelius proconsul Magonem devicerunt.) **Vulg.**: « Nec Romanis incruenta victoria fuit : » duo millia et trecenti de exercitu prætoris, pars multo maxima » ex legione duodecima, amissi; inde et tribuni militum duo, M. » Cosconius et M. Mævius. Tertiæ decimæ quoque legionis, quæ » postremo prœlio affuerat, C. Helvius tribunus militum in resti» tuenda pugna cecidit, et duo et viginti ferme equites illustres, » obtriti ab elephantis, cum centurionibus aliquot perierunt. » Postrema pars ita interpuncta est, ut illustres illos equites ex legione tertia decima omnes fuisse audiendum sit. Atqui uno agmine conjunctus quattuor legionum equitatus invectus erat et ab elephantis pulsus; ita ut eorum illustrium equitum nullum ex ceteris legionibus fuisse, sed omnes ex tertia decima, prorsus incredibile sit. Item audire jubemur nullos centuriones, nisi ex ea, periisse, quum tamen postremo tantum prœlio ea dicatur affuisse; maximam certe diei partem in subsidiis steterat, et statim in primam aciem inducta facile hostes fessos profligaverat. Tenendum est, excepto Helvio tribuno, nullam peculiarem hujus legionis memoratam esse jacturam, sed equites et centuriones ad universum exercitum referendos esse. Atque hic est enumerationis ordo : primo amissi milites, deinde tribuni, postremo equites centurionesque. Quare sic distingui oportet : « ... et M. Mævius; tertiæ decimæ quoque... » cecidit. Et duo et viginti ferme equites... »

Cap. XXVI, 5. — **Drak.**: « Annus insignis incendio ingenti, quo » clivus Publicius ad solum exustus est, et aquarum magnitudine; » sed annonæ vilitas fuit...» (**P** : *exustus et aquarum magnitudinem si annonæ vilitate fuit.*) Eadem Madvigius, sed retento *vilitate*, ita ut hoc nomen et ipsum pendeat ex adjectivo *insignis*; neque aliter Weiss., nisi quod suppleto verbo *est* abstinuit, parum Latine. Si per codicem liceret, veterem scripturam præferrem; nam *insignis incendio, sed vilitate* duri aliquid et abrupti habet; dicendum saltem erat *incendio quidem, sed vilitate*. Ac ne ita quidem id eloqui Latinis mos erat, verum *ut incendio*, *sic vilitate*. Illud ipsum hic a Livio scriptum esse puto; facile enim *ut* ante *in* intercidere potuit. Itaque legerim : « Annus insignis ut incendio ingenti, quo clivus « Publicius ad solum exustus est, et aquarum magnitudine, sic » annonæ vilitate fuit... »

Cap. XXVIII, 5. — In oratione hujusmodi (ut universum modo ordinem describam), *Scipioni rem futuram cum Hannibale, qui Hispanias, Gallias, Italiam monumentis ingentium rerum complesset. Ducere exercitum æqualem stipendiis suis*.., is est sermonis tenor, qui verbum *ducere* ad Scipionem potius quam ad Hannibalem referri jubeat. Frustra enim recurras ad nomen *Hannibalem*, quod supra § 2 in prædictione Q. Fabii occurrit : ea prædictio non plus unum versum obtinuit, et statim a verbis *nec Scipioni* reditum est ad vulgi rumorem. Quare Gronovium Creveriumque audiendos fuisse censeo, quum suaderent *duceret*, commate tantum præposito.

Cap. XXIX, 4. — (Quum deprehensos Hannibalis speculatores Scipio per castra sua circumduci jussisset, visuros omnia quæ vellent, deinde retro ad Hannibalem misisset) **Weiss.** : « Hannibal » nihil quidem eorum, quæ nuntiabantur,.. læto animo audiit, » maxime scilicet hostis fiducia audaciaque, non de nihilo profecto » concepta, percussus est. » **Madv.** : «... audiit, ceterum maxime » hostis fiducia audaciaque, non de nihilo... » Hic Weiss. supplevit *scilicet* et *audacia*, Madvigius *ceterum* et *audacia*. Codices nihil aliud habent nisi *audit maxime si hostis fiduciaque non*... Quorum lectio, una tantum littera correcta, retinenda erat. Lege : « Hanni» bal nihil quidem eorum... læto animo audiit; maxime vi hostis » fiduciaque... percussus est. » Vox *vi* spectat ad ea quæ paulo supra (§ 1) memorata erant : *excitus pavidis nuntiis omnia circa Carthaginem obtineri armis afferentium*. Quod Madvigius existimavit opus esse voce *ceterum*, quæ voci *quidem* responderet, eum profecto fefellit, in hujusmodi periodis aliquando adversativam particulam non modo posse, sed etiam solere omitti, præsertim quum posterius membrum incipiat per nomen proprium aut per *maxime, præcipue,* aliudve quid simile; Cf. XXXII, v, 2; XXXV, xxv, 1; XLII, xlix, 2; XLII, lx, 7; XLIV, xxxix, 1.

Cap. XXX, 9. — (Ex oratione Hannibalis ad Scipionem de pace.) **Codd., Weiss.**: « Quod igitur nos maxime abominamur, vos autem

» ante omnia optaretis, in meliore fortuna vestra de pace agitur.» (Drak.: *abominaremur.*) Madvigius utramque lectionem damnavit scripsitque *optare debetis*, causatus condicionalis modi *optaretis* nullam ibi rationem esse. Vereor, ne verbum *optaretis* eodem omnino sensu accipiendum opinatus sit, quo *cuperetis*. Interpretandum autem videtur : quod vos ante omnia optaretis, si optio daretur, si optioni locus esset, si ea res ex optione, non ex fortuna (quæ vos ejus compotes fecit) penderet. Tacita subest condicio, quemadmodum, exempli gratia, in his, quæ nemini offensioni fore puto : *quod omnibus bonis emeretis, id vobis gratuito datur.* Recte igitur codicibus obtemperasse Weissenbornium censeo.

Cap. XXX, 15. — (Ex eadem oratione.) **Drak.** : « Potest victo» riam, inquam, malle quam pacem animus. » Friget ista vox *inquam*, neque apta videtur; nihil enim est hic, quod supra dictum fuerit et repetatur. Itaque eam delevere Weiss. et Madvigius, invitis et codicibus et vetustis editionibus, quarum præcipua auctoritas est in fine hujus libri, deficiente **P.** Ceterum mancus ac prope ineptus est sermo. Ecquis enim dux non victoriam compositæ paci prætulerit, si quidem necesse est victoria pacem etiam afferat? Nullus relinquitur ambigendi locus, si victoria pro certa ponitur. Id pro sua sagacitate sensit Gronovius, quum suaderet *ambiguam.* Mihi dubium non est, quin reponi debeat *incertam:* nam si putes casu aliquo litteras *ce* coaluisse in *q*, de reliquis nihil negotii est. Cf. paulo infra § 19 : *melior tutiorque certa pax quam sperata victoria.* —— Sequuntur hæc : « Novi spiritus magnos magis quam utiles; » et mihi talis aliquando fortuna affulsit. » Quod interpretandum est : hi spiritus mihi non ignoti sunt, ut quos et ipse aliquando conceperim. Sed deest aliquid; dici debebat *Novi hos spiritus.* Vetustæ editiones præferebant *Novi vobis spiritus*, id quod et in codicibus aliquot repertum est. Eam vocem *vobis* non magis pro glossemate quam pro vestigio desideratæ necessariæque vocis haberi par est. Cf. XLIV, xxxvi, 12 : *Et ego animum istum habui, Nasica, quem tu nunc habes* (ubi tamen commodius, quam hic, abesse poterat pronomen).

Cap. XXX, 17. — (Ex eadem oratione.) **Madv.** : « Satis ego docu» menti in omnes casus sum. Quem modo, castris inter Anienem » atque urbem positis, signa inferentem mœnia Romana tremue» runt, hic cernas... quibus terrui vestram urbem, ea pro mea de» precantem. » Madvigius ibi ex se addidit verbum *tremuerunt*, infelix supplementum, etiam si suppleri aliquid oporteret; displicet iste mœnium tremor. Ipse admonet conjunctivum *cernas*, pro imperativo, non rectum esse; deinde hæc adnotat : « Lacuna manifesta est. » Fortasse fuit : .. *casus sum, quum, quem modo.. tremuerunt, hic cer» nas...* » Drak. rem utcumque expedierat, scribendo *cernis.* Weissenbornii lectionem afferre non operæ est, quippe inextricabilem. Admirandi ibi locus est, adeo laborasse doctos homines in re aperta et facili. Incorrupta enim est codicum scriptura; distinctione tantummodo peccatum est. Legendum ; « Satis ego documenti in om» nes casus sum, quem, modo castris... positis signa inferentem in » mœnia Romana, hic cernas... » h. e. utpote quem hic cernas. Quod attinet ad *modo inferentem*, intellege *olim inferentem, eundem qui modo inferebam.* Etenim ad imperfectum et ipsum pertinent participia præsentis temporis; auditur hic imperfectum ex adverbio *modo*.

Cap. XXX, 23. — (Ex eadem oratione.) **Vulg.**: « Inter pauca fe» licitatis virtutisque exempla M. Atilius quondam in hac eadem » terra fuisset, si victor pacem petentibus dedisset patribus nos» tris : non statuendo...» Unde hæc sumpta sint, incertum est. Sed, deficientibus ibi **PM**, eo majore cura observandi videntur decem Drakenborchii codices, inter quos Lov. 4, quem sæpissime in ceteris partibus cum **PM** consensisse compertum est. Hi autem omnes habent *fuisse fertur qui si* (vel *quasi*); eorumque omnium universam speciem, ne singulos afferam, fideliter expressit Andreæ editio princeps (1469), cujus hæc lectio est : «... terra fuisse fertur; » quasi victor pacem petentibus patribus nostris abnuit; sed non » statuendo... » Vix dubium est, adeo sæpe ita peccavere librarii, quin, pro *abnuit sed*, reponendum sit *abnuisset.* Itaque sic legerim : « Inter pauca... M. Atilius quondam in hac eadem terra » fuisse fertur, nisi victor pacem petentibus patribus nostris abnuis» set; non statuendo... » In propositionibus condicionalibus, sicut oratio directa usurpare solet *fuit* pro *fuisset*, ita obliqua *fuisse* pro *futurus fuisse.*

Cap. XXX, 24-26. — (Ex eadem oratione.) Ibi ordinem sensumque bis perversum esse, arguit ipsa novitas et insolentia sententiarum. **Vulg.** : « Est quidem ejus qui dat, non qui petit, condiciones » dicere pacis. Sed forsitan non indigni simus, qui nobismet ipsi » multam irrogemus. Non recusamus, quin omnia... vestra sint...» Causam non addit Hannibal, cur Pœni non indigni sint, qui condi-

ciones pacis ipsi afferant. Nulla igitur alia causa videtur intellegenda, nisi quia populus Carthaginiensis, clarus opibusque pollens, egregie cum populo Romano de terrarum imperio certaverit. Opportuna vero ferocia, et præsenti dicentis fortunæ accommodata; præterea ad persuadendum idonea, postquam Scipioni metum odiumque et pericula in memoriam revocat. Neque intempestivum modo, sed inane argumentum est, et quod nulli pacis oratori non ad manum sit, quum sibi quisque placeat. At codices longe alio ducunt; non vanam illi jactantiam, sed probabile ac grave argumentum præferunt, qui sic habent : «... sed forsitan non indigni simus, qui no- » bismet ipsi multam irrogemus, qui non recusamus, quin omnia... » vestra sint... » h. e. utpote qui non recusamus. Qui enim, pacem petens, multa concedere se paratum ostendit, is, propter pœnitentiæ fidem oblatamque satisfactionem, pacem danti non indignus videri debet, qui condiciones prior dicat. —— Item erratum est deinde in sequentibus : «... quin omnia... vestra sint, Sicilia, Sardinia, His- » pania, quicquid insularum toto inter Africam Italiamque conti- » netur mari. Carthaginienses inclusi Africæ littoribus vos, quando » ita diis placuit, externa etiam terra marique videamus regentes » imperio. » (*Imperio* recte reposuit Madvigius pro *imperia*.) Non liquet, quid sibi velit hic conjunctivus *videamus*, quemve animi motum indicet. Sane si aliqua cum præcedentibus copulatio enuntiata esset (ut, puta, *Carthaginienses igitur inclusi...*), non aliud quam conclusio ea videretur, simpliciter fatentis cedendum fortunæ esse. Nunc, abrupta sententia, dicas acerbam esse indignantis animi ironiam, fortasse et irrisionem quandam populi Romani, quasi majus quam pro viribus suis onus susceperit : ea certe esse solet ironiæ irrisionisque forma, et venit in mentem Himilconis, simili conjunctivo usi (XXIII, XII, 7), quum exclamaret : *audiamus Romanum senatorem in Carthaginiensium curia.* Hanc ambiguitatem attulit prava distinctio; nam ante *Carthaginienses* comma tantum ponendum est, ita ut verbum *videamus*, sicut priora, ex particula *quin* et ipsum pendeat, hoc ordine : non recusamus, quin omnia vestra sint, et nos Carthaginienses videamus... —— Ibidem **Weiss. et Madv.** : « ..omnia propter quæ ad bellum itum est. » Ad bellum ire nihil aliud est, nisi ad bellum proficisci, quod ab hoc loco alienum est. Melius Drak. *propter quæ bellum initum est* (*bellūinitum*). Sed fucum fecit corrupta codicum vox *ad*. Lege : « propter quæ id » bellum initum est. »

CAP. XXXI, 1. — (Hannibali respondet Scipio.) **Drak.** : « Non » me fallebat, Hannibal, adventus tui spe Carthaginienses et præ- » sentem induciarum fidem et spem pacis turbasse. » Ibi **C** et plerique *Hannibal habere adventus tui spem*; sed **B** *avere* (pro *habere*). Scripsit Weiss. *Hannibal, per adventus tui spem*, parum apte; saltem diceret *propter*, non *per*. Madvigius, quum vulgatam lectionem retinuisset, nuperrime conjecit *Hannibal, aura adventus tui*, deleta voce *spem*, et licenter et poetice. Scriptura codicis **B** *avere*, una modo suppleta littera, vera est. Legendum : « Non me fallebat, Hannibal, ea vere adventus tui spe Carthagi- » nienses... spem pacis turbasse. »

CAP. XXXIII, 12. — **Vulg.** : « Quum maxime hæc imperator » apud Carthaginienses, duces suarum gentium inter populares... » agerent, tubæ cornuaque ab Romanis cecinerunt. » Ne de sensu prioris partis quicquam ambigui remaneat, ita eam verti libet : Hæc et Hannibal egit apud Carthaginienses, et duces suarum gentium egerunt apud populares. Vocem enim *gentium* pendere ex *duces*, non ex *populares*, ostendit et verborum ordo, et quod vocis *duces* destitutæ nullus sensus est. Quis credat istud *suarum* omnibus Livii interpretibus, excepto uno homine, tolerabile visum esse? Quibus argutiis id defendi posse existimaverint, atque idem esse ac *duces aliarum gentium egerunt apud populares suos*, incertum est; rem docere nemo curavit. Unus Freinshemius in tenebris cæcutire ausus est, reponique censuit *variarum*. Quem ego, etsi in emendando minus felicem, tam confidenter laudare, ceterosque reprehendere veritus essem, nisi de vitio hujus loci remedioque quattuor alii loci ita me edocuissent, ut ne minima quidem dubitatio superesset. Legendum : « ...duces aliarum gentium apud populares... » De commutatis vocibus *suus* et *alius*, cf. XXII, XV, 1; XXIV, XXVII, 8; XXXIX, XXXI, 7; XL, LI, 8.

CAP. XLII, 2. — (De legatis Philippi in curiam introductis.) **Vulg.** : « Quorum varia oratio fuit, partim purgantium, quæ » questi erant missi ad regem ab Roma legati de populatione so- » ciorum, partim ultro accusantium quidem et socios populi ro- » mani, sed multo infestius M. Aurelium, quem ex tribus ad se » missis legatis, dilectu habito, substitisse et se bello lacessisse » contra fœdus... » Si quicquam ex omnium interpretum silentio colligere licet, nemo hæsit in verbis *accusantium quidem et socios populi Romani, sed multo infestius M. Aurelium*; omnes ea intel-

lexere, omnes ea comprobavere. Ego intellegi posse nego. Quum enim utræque particulæ *quidem* et *sed* ita componi soleant, ut priori alicui rei, quæ particulæ *quidem* præponitur, respondeat posterior aliqua res, quæ particulam *sed* subsequitur, frustra quæritur cuinam nomini respondeat nomen *M. Aurelium*; nam ad *socios* nihil pertinet *quidem*. Nisi forte earum particularum nulla est ibi cognatio, et *sed*, ut sæpe fit, per se positum est. Tunc autem particulæ *quidem* nullus sensus est. Excidit profecto nomen alicujus sociorum, de quo præcipue questi videntur legati Macedones; nimirum illius, qui ea tempestate acerrimus Philippi hostis fuerat, classem ejus ad Chium aggressus magna clade affecerat, denique Athenas transgressus multas Græciæ civitates adversus eum concitaverat. Cf. Polyb. XVI, 25. Cf. etiam Liv. XXIX, XII, 14, de sociis Romanorum. Itaque legendum videtur : « ... partim ultro » accusantium Attalum quidem et socios populi Romani, sed multo » infestius M. Aurelium... » Facile omissum est *Attalum* post *accusantium*.

CAP. XLII, 7. — **Drak.** : « De his rebus interrogati Mace» dones, quum perplexe responderent ipsi, ante responsum tu» lerunt. » Sic recentiores codices veteresque editiones, corrupte. Nihil adjuvat **B**, ibi mutilus. Ex codice **C** Weiss. illa sumpsit : « ...responderent, neque ipsi mite responsum tulerunt », ubi manifesta, ut monet Madvigius, deprehenditur interpolatio (correcto *ante*, deinde addito *neque*), vitiosusque sermo (pro *ne ipsi quidem mite*). Nec præterea is cohæret; quippe a sensu vocabuli *perplexe* alienum est vocabulum *mite*; ea autem est orationis forma, ut contrariorum relationem exspectemus. Sententiæ melius consuluit Madvigius, dum scribit : « quum perplexe responderent, ipsi non anceps » responsum tulerunt. » Id haud dubie voluit Livius; id codicibus accommodandum est. Nec magnus in accommodando labor; namque idem illud mendum, quod ibi a librariis admissum est, et in aliis Livii partibus non semel reperisse videor. Olim scriptum fuerat, non *ante*, sed *ap̄te*, h. e. *aperte*. Legendum : « De his rebus inter» rogati Macedones quum perplexe responderent, ipsi aperte » responsum tulerunt. » Cf. XXXIII, XXXIV, 3 : *nihil jam perplexe... sed aperte denuntiatum...*

CAP. XLIV, 7. — (Ex oratione Hannibalis, quum increparetur quod in publico fletu rideret.) **Madv.** : « Tunc flesse decuit, quum » adempta sunt nobis arma, incensæ naves, interdictum externis

» bellis : illo enim vulnere concidimus. Nec est cur vos otio vestro » consultum ab Romanis credatis. Nulla magna civitas quiescere » potest... » Hæc magna ex parte sanavit Madvigius, pro vulgato *odio* reponens *otio*; quam ejus conjecturam prolata deinde codicis **C** scriptura confirmavit. Bene cœptam rem absolvisset, si faventis sibi codicis plus confisus esset auctoritati, qui ita præfert : *necesse est ne vos* (et sic **B** quoque a prima manu). Hæc certe integra retinenda erant, mendo paulo ante correcto, atque oratione sic disposita : «... illo enim vulnere concidamus necesse est, ne vos » otio vestro consultum ab Romanis credatis. » h. e. nedum illa externorum bellorum interdictio vobis præstitura sit hoc solatii, quod, qualecunque est, sperare videmini, nempe otium. Vocis *ne* pro *nedum* positæ multa sunt exempla; pauca tantum afferam, ex quibus appareat, tunc præcipue usurpatum esse id dicendi genus, quum sequerentur verba *credas, putes, existimes*, aliudve quid simile. Pl. Amph. I, I, 174 : *vix incedo inanis, ne ire posse cum onere existimes*. Ter. Andr. IX, II, 23 : *dies mi hic ut satis sit vereor ad agendum, ne vacuum esse me ad narrandum credas*. Cic. Verr. II, IV, 23 : *scuta homines inviti dant, ne quem putetis sine maximo dolore argentum protulisse*. Plin. Hist. nat. præf. : *subcisivisque temporibus ista curamus, ne quis vestrum putet his cessatum horis*. Apul. Mag. (Bip. p. 71) : *At hoc ego Æmiliano vix credidissem, ne huic frutici credam*. Cf. apud nos X, VIII, 6, ubi emendatio ejusdem generis afferenda visa est.

LIBER XXXI

Cap. I, 7. — **Vulg.** : « ...bellum Macedonicum... claritate regum » antiquorum vetustaque fama gentis et magnitudine imperii, » quo multa quondam Europæ, majorem partem Asiæ obtinuerant » armis, prope nobilius. » Notum est *obtinere imperio, obtinere armis*, sed offendit *imperio obtinere armis*. Forte *quod,* non *quo*.

Cap. XVIII, 5. — **Vulg.** : « Philippus, auro argentoque, quæ » coacervata erant, accepto, hominum prædam omnem amisit. » Dure admodum, inquit Madvigius nimium patienter : barbare admodum, diceret. Non ea est auctoritas ullius codicis, nedum codicum hujus decadis, ut talia vitia recipiantur et in exemplum abeant. Saltem contingit ut, ex duobus mendis, alterum prope manifestum sit; sæpe enim alibi castigatum est (*quequæ* pro *quæque*). In altero fortibus remediis utendum, si ulla est Latinitatis reverentia. Legerim igitur : « Philippus, auro, argento, quæque coacervata erant, acceptis... » Etenim cum auro et argento vestes aliasque res aggestas esse supra dictum erat.

Cap. XXV, 2. — **Vulg.** : « ...quum Argis Achæorum concilium » esse audisset (Philippus), inopinantibus Achæis contioni ipsi » supervenit. » Scribendum est : « ..quum Ægii Achæorum... » Ægii enim semper habebantur sollemnia Achæorum concilia, ut ipse admonet Livius, XXXVIII, xxx, 2 : *Ægium a principio Achaïci concilii semper conventus gentis indicti sunt.* Cf. XXVII, xxx, 9 ; XXVIII, vii, 17; XXXV, xlviii, 1 ; XXXVI, xxxv, 7, etc. Bis tantum apud Livium memini Achæorum concilia alibi habita esse, ea autem non sollemnia, sed legatis Romanis data, alterum Sicyone (XXXII, xix, 6), alterum Clitore (XXXIX, xxxv, 8). Nunc vero Philippum

Ægii fuisse, non Argis, argumento est capitis insequentis initium : *Per eos dies, quibus Philippus in Achaia fuit...* Illud mendum Liviani codices ter habuere; semel correctum erat (XLIII, xvii, 4), monente Ursino Polybiique auctoritatem opponente; sed XLII, xliv, 7, ubi *Argi* pro *Aegi* habet codex Vind., ad hanc diem, sicut hic, relictum est.

Cap. XXVI, 13. — **Vulg.** : « Postquam non tam ira satiata, quam » iræ exercendæ materia, deerat... » Hic Madvigius post Siesbyeum admonet, *erat* ex *deerat* dure et nullo exemplo sumi. Sane insolentissima ea res est, et quæ Madvigio, ut opinor, in mentem non venisset, si vulgatam interpunctionem observasset, commate post *materia* relicto. Verbum *deerat* ad utramque partem pertinet, et *ira satiata deerat* idem valet atque *ira propter satietatem deerat*. Non quod expeditissima ea videantur; sed ita interpretari satius est, quam ad pejora confugere.

Cap. XXVII, 5. — **Vulg.** : « Hic metus Codrionem, satis validum » et munitum oppidum, sine certamine ut dederetur Romanis, » effecit. » Docet Madvigius hujusmodi attractionem a Latina lingua abhorrere, atque ibi ignoti nominis nominativum positum fuisse. Recte. Sed aliud nomen quæri quid opus est? Tenuissimo signo erratum est; inde orta littera *m*. Scribendum *Codrione,* quæ nominativi forma Livio perfamiliaris est, ut Dyme, Hermione, Messene, Methone, Torone, Phœnice, Cassope, etc.

Cap. XXXIX, 8. — **Weiss., Madv.** : « Ibi alia vallo, alia fossa, » ...alia arboribus objectis, ut aut locus postulabat aut materia » suppeditabat, propere permuniit. » Codices non *propere*, sed *opere*. Legendum : « ...ut aut locus postulabat aut materia suppe» ditabat operi, permuniit.

Cap. XL, 1. — Subjecto egent verba *recepit, fecit, est aggressus*, neque ullum supra comparet nomen, quod audiatur. Vix dubium quin exciderit *consul* (*cos*).

Cap. XLII, 5. — « Jam enim et, quæ per agros multitudo sparsa » fuerat, receperant se in castra. » Sic Weiss. et Madv. ex codice **B** aliisque; at Drak. *receperat*, ex editione Moguntina, quam vel unam ceteris libris exæquari posse fortuna hujus decadis voluit. Non sine aliqua repugnantia ex uno eodemque subjecto pendent duo verba diversi numeri. Vereor, ne fucum fecerint quædam exempla ejusdem fere generis, nec tamen ab omni parte similia, quale est XXXII, xii, 9 : *cetera omnis multitudo in unum quum convenisset,*

frequenti agmine petunt Thessaliam, ubi temerarius sit, qui contendat ad subjectum *multitudo* pertinere utraque verba.

CAP. XLIII, 2. — **Vulg.** : « Nullum talis auxilii genus... » Codices haud pauci et vetustæ editiones *tale,* quod maluerim.

CAP. XLIV, 9. — **Vulg.** : « Athenienses quidem litteris ver» bisque, quibus solis valent, bellum adversus Philippum gerebant; » Attalus Romanique... navigant a Piræo Andrum. » Iniquum et improbabile id ratus H. Stephanus malebat *quibus solis tum valebant*; vulgatum tuetur Dukerus, admonens eadem dixisse Demosthenem : quasi Demosthenes in historia, ac de omnium ætatum Atheniensibus, etiam de iis, qui Darii Xerxisque temporibus vixere, dixerit. Suspicor ego fuisse *val'ent* (*valerent*), h. e. ut quibus solis tum valerent.

CAP. XLVIII, 6. — (Quum majores natu ex Patribus L. Furio prætori triumphum negarent, quod alieno exercitu rem gessisset) **Vulg.** : « Magna pars senatus nihil præter res gestas, et an in » magistratu suisque auspiciis gessisset, censebant spectare senatum » debere. » In iis, quæ præcesserant, non prætoris disertius quam consulis mentio facta erat, ita ut incommode absit subjectum verbi *gessisset*. Ibi plerique codices : *in magistratu suis quis auspiciis*. Nec discrepat **B**, nisi mala vocum distinctione : *in magistratus ius quis auspiciis*. Itaque nulla mutatione scribendum puto : « ...et an in » magistratu suis quis auspiciis gessisset... » Intellege *an aliquis,* quæstione in universum proposita, non de L. Furio peculiariter.

CAP. XLIX, 10. — **Madv.** : « ...milites denique triumpho ades» sent, ut testes rerum gestarum ejus, cui tantus honos haberetur, » populus Romanus videret. » **Weiss.** : « ... ut veritatem rerum » gestarum... » Codices ibi nec *testes* nec *veritatem,* sed *virtutes*, quidam *virtus*. In **B** lacuna est. Proxime verum accessisse Madvigium reor, non tetigisse. Qui enim aliquid affrmat, ad se recipit, atque in id fidem suam obligat, is non proprie *testis* dicitur, sed *auctor* (idem fere quod *sponsor* de rebus futuris). Evincit ille Ciceronis locus (ad Quir. post red. 6) : *non solum ad me conservandum vos cohortati sunt, sed etiam rerum mearum gestarum auctores, testes, laudatores fuerunt*. Adde pro Flacc. 17. Cf. etiam, si libet, Liv. I, XVI, 5; II, XXXVII, 8; II XLVIII, 8; IV, XIII, 10; IX, XX, 7; X, XXV, 12, etc. Itaque legi censeo : « .. ut auctores rerum » gestarum ejus... »

LIBER XXXII

CAP. V, 2. — **Weiss., Madv.** : « Ibi ceteri quidem, data quanti» cunque quiete temporis, simul animos corporaque remiserant; » Philippum, quantum ab assiduis laboribus itinerum pugnarumque » laxaverat animum, tanto magis intentum in universum eventum » belli curæ angunt, non hostes modo timentem..., sed nunc socio» rum, nunc etiam popularium animos. » In priscis editionibus legebatur *laxaverat animis*; Gelenius ex **M** reposuit *animum*, quod postea et **B** confirmavit. Ceterum sententia male se habet, ejusque vitium Gronovius sic reprehendit : « Remissus labor itinerum et » prœliorum non tam animum reficit, quam membra, quæ exercitio » illo et contentione fatigantur. Et de corpore velle intellegi Livium, » ostendunt proxima : alios enim docet, membris simul animoque » avide quietem sumsisse; regem, quantum corpore cessarit, tanto » magis exercitam mentem habuisse. » Hæc ille quum perspexisset, in castigando erravit, mutans *animum*; venia autem eo dignior, quod tunc ea vox unius codicis **M** auctoritate, magna quidem illa, tamen sola et propter solitam Gelenii brevitatem non certissima, innitebatur; et dubitari nequit, quin veram emendationem pro sua sagacitate inventurus fuerit, si ei notus fuisset codex **B**, ubi pro *timentem* legitur *timenti*. Namque ad hoc verbum si nomen *Philippum* accommodaverimus, nihil jam erit quod offendat : « Ibi » ceteri quidem... simul animos corporaque remiserant; Philippo, » quantum ab assiduis laboribus itinerum pugnarumque laxaverat, » animum tanto magis... curæ angunt, non hostes modo timenti..., » sed... » *Laxaverat*, absolute positum (sicut XXVI, XX, 11), intellegi debet *remiserat se*.

Cap. X, 6. — **Vulg.** : « Cui enim non apparere, ab eo, qui prior » arma intulisset, injuriam ortam? nec Philippum ab ullis bello » lacessitum, ipsum priorem vim omnibus fecisse. » In fine omnes interrogationis signum omiserunt; incuria, ut videtur; nam expediri nequit *nec,* nisi interrogatione continuata.

Cap. XI, 6. — (De T. Quinctio consule, quum supra saltum, Philippi castris insessum, vertices montium occupare tentaret.) **Vulg.** : « Experiri spem oblatam statuit; et, ut averteret rem ab » suspicione, biduo insequenti lacessere hostem... non destitit. » Credo dici posse *avertere suspicionem ab re,* sed inverso ordine (*rem ab suspicione*) non item. Usitatissimum est *avertere aliquem a spe, a metu,* etc. Latere hic mendum videtur, quod non semel alibi deprehensum est, ut scriptum sit *rem* pro *regem.*

Cap. XI, 10. — **Weiss., Madv.** : « ...Eo intentius Romanus » undique instat apud stationes. » Suspectum esset hoc *apud* (pro *instat stationibus* vel *adversus stationes*), etiam ex codicibus sumptum. At pro eo **B** exhibet *capit,* ceteri *capi* (quod retinuerat Drak.). Legendum : « ...undique instat, carpit stationes. » h. e. hinc inde tentat, lacessit.

Cap. XV, 3. — **Vulg.** : « Capta Phaloria, legati a Metropoli et a » Pirea dedentes urbes venerunt; venia eisdem petentibus datur. » Phaloria incensa ac direpta est. » Vox *eisdem* non modo abundat, id quod monuit Madvigius, sed etiam prava est, pro *eis.* Ad hoc, mirum quam dissoluta sit narratio : quare enim post captam Phaloriam non statim additur quomodo a victore habita sit, sed inter captam eam et incensam interjicitur alia res? Nihil tamen libris imputandum, præter unam fortasse omissam lineolam; reliquum vitium ex mala interpunctione ortum est. Sic legendum distinguendumque : « Capta Phaloria, legati... venerunt. Venia eis » demum petentibus datur; Phaloria incensa ac direpta est. » h. e. venia eis solis datur, quia ad deditionem venerant, non Phaloriæ, quæ pertinaciter restiterat. Idem mendum olim Perizonius in superiore ipso capite (XIV, 2) correxit, ibique admonuit solitos esse librarios scribere *dem* pro *demum.*

Cap. XVII, 4. — **Vulg.** : « Consul interim omnium spe longiorem » atrocioremque oppugnationem habuit. » Nomen oppugnatæ urbis Atracis abesse nullo modo potest. Etenim jam inde a capite XV, 8, mentio ejus nulla fuit, et interea duas alias urbes oppugnari vidimus. Ideo Gronovius voluit *longiorem Atracis oppugnationem.*

Vix autem ex *Atracis* nasci potuit *atrocioremque*; verisimilius excidit *Atracis* propter insequentis vocis similitudinem, et legi debet *longiorem Atracis atrocioremque...*

Cap. XVIII, 7. — **Vulg.** : « Daulis, quia in tumulo excelso sita » est, nec scalis nec operibus capi poterat. Lacessendo missilibus » eos, qui in præsidio erant..., eo negligentiæ et contemptus » adduxerunt, ut cum refugientibus in portam permixti impetum » Romani facerent. » Memorantur Phocidis urbes a Romanis captæ. Quam enumerationem (§ 6-9) qui attente consideraverit, ei apparebit unam esse debere periodum, cujus diversa membra incipiant per nomina *Anticyra, Ambrysus, Daulis, sex alia ignobilia castella,* atque ita concinnatam, ut membrum quæque suum impleant ea nomina. Periodi autem perpetuum tenorem moratur et interpellat illud de Daulide membrum, male in duas partes divulsum. Simplex fiet et cogetur in ordinem, si ita interpunxerimus : « Daulis quia in » tumulo excelso sita est, nec scalis nec operibus capi poterat, » lacessendo... », ut verbum *poterat* et ipsum pendeat ex *quia.* Vix opus est monere, nomen *Daulis,* ut ceteris responderet, nusquam alibi quam initio poni potuisse, ideoque ei nomini postpositum esse *quia.*

Cap. XXV, 9-10. — (De Ænesidemo, quum Argi, quos cum præsidio Achæorum ipse tenebat, proditi essent Philocli, Philippi præfecto.) **Drak.** : « Pactus cum Philocle, ut abire illis (Achæis) » liceret, ipse, quo loco steterat armatus, cum paucis clientibus » non excessit. Missus a Philocle, qui quæreret, quid sibi vellet? » Nihil fatus, tantummodo, quum projecto præ se clipeo staret, in » præsidio creditæ urbis moriturum se armatum respondit. » Frustra postrema defendit Gronovius, disjungere conatus res non disjungendas; perstat ridicula res, hominem tacentem respondere. Mutaverunt igitur recentiores, vel potius antiquas emendationes revocaverunt. Weiss. reposuit *Nihil statu motus cum,* exercitui quam homini aptius; Madvigius *Nihil statu moto quum,* haud multo probabilius. Commune præterea tribus his lectionibus vitium est, quod, post missum a Philocle percontatorem, nihil indicat ab illo homine ad Ænesidemum transiri; quam saltem transitionem observandam senserat Jacobsius, quum suaderet *Nihil ille fatus.* Codicum autem hæ sunt scripturæ : **B** et quinque alii *nihil statu modo*; nonnulli *nihil tantummodo.* Ex his posterioribus colligi potest in scriptura codicis **B** excidisse duas lineolas, eamque olim

fuisse *nihil stătŭmodo;* cui si una litterula *i* adjecta sit, omnia recte se habitura censeo : « ...Missus a Philocle, qui quæreret, » quid sibi vellet. Nihil is; tantummodo... respondit. » h. e. Nihil se sibi velle is respondit, tantummodo moriturum, vel, nihil aliud sibi consilii esse respondit, nisi ut moreretur.

CAP. XXXII, 5. — **Vulg.** : « Caduceator ab rege venerat, locum » ac tempus petens colloquio. Id gravate regi concessum est. » Gronovius voluit *Id non gravate.* Madvigius *gravate* recipit quidem, sed ita accipiendum docet, quasi specie tantum, non ex animo gravatus sit Quinctius, cunctatus scilicet, quo magis sentiret Philippus, id colloquium sibi pro beneficio et gratia concedi. Errasse utrumque puto, et vocem *gravate* propria sua significatione accipiendam esse. Nam, ut memorat ipse Livius, Quinctius « aptum » fore colloquium credebat, ut sibi liberum esset, vel ad bellum ma- » nenti, vel ad pacem decedenti rem inclinare. » Gravabatur itaque colloquii tempus tunc definire, quum nondum sciret, utrum sibi manendum an decedendum foret, id est, utrum ad bellum an ad pacem inclinanda res esset. Ad verba *tempus petens* non satis attendisse videntur Gronovius Madvigiusque. Cf. XXXII, XXXVII, 6.

CAP. XXXII, 15. — (Quum Philippus, ad colloquium progressus, timere se aliquid periculi diceret.) **Drak.** : « Istud quidem, ait » Romanus, par omnibus periculum est, qui cum hoste ad collo- » quium congrediuntur, ut nulla fides sit. » Hæc verisimile est ex codice Moguntino orta, quippe a Gelenio profecta. Et rectissima sunt. Sic interpretor : Fac nullam fidem esse, tamen par omnibus periculum est; aliter : Esse aliquam fidem meminisse debes; eam si suspectam habes, tamen non plus tibi quam ceteris periculi est. His mirum est recentiores prætulisse codicis **B** lectionem *si nulla fides sit,* ne ipsis quidem editoribus probabilem visam, quippe ubi Madvigius ipse monet conjunctivi *sit* rationem sibi non constare.

LIBER XXXIII

CAP. VIII, 13. — (De prœlio ad Cynoscephalas.) **Vulg.** : « (Phi- » lippus) equites levemque armaturam, qui in prœlio fuerant, » dextero in cornu locat; cætratos et Macedonum phalangem, » hastis positis, quarum longitudo impedimento erat, gladiis rem » gerere jubet. » **B** : *cornu locatus cætratas macedonum.* Monet Madvigius postrema verba de sola phalange recte dici posse, non de cætratis; itaque non sine causa Weissenbornium conjecisse *locat, in sinistro cætratos; Macedonum phalangem...* Longe secus ei videbitur, qui diligenter Livii narrationem consideraverit : namque equites et levis armatura et cætrati et ea phalangis pars, quæ prior advenerat, una omnes in dextero cornu Macedonum fuere; in media acie aliæ copiæ, de quibus nihil aliud memorat Livius, nisi eas inutiles prœlio, tanquam spectaculo, adfuisse; in sinistro autem cornu illa altera modo phalangis pars, quæ extremi agminis fuerat. Quæ copiarum dispositio ut ante prœlium commissum parum dilucide descripta est, ita ex prœlii ipso eventu clarissima fit. Docemur enim, primo fusum esse a Quinctio sinistrum cornu Macedonum, id est, illam phalangis partem, quæ novissime incomposita advenerat (§ 6); quam fugientem dum sequuntur cum Quinctio ceteri Romani, unum ex tribunis militum circumegisse suos, et a tergo invasisse dextrum cornu Macedonum, id est, illos phalangitas, qui priores advenerant atque ad id temporis superiores erant. Nec discrepat Polybius. Itaque legendum videtur : « Equites levemque armaturam, qui in prœlio fuerant, dextero in » cornu locat super cætratos; Macedonum phalangem... » Potest etiam fuisse *locat post cætratos*, quippe quos equites expeditosque

milites, jam priore pugna fessos, post integram aciem recipi par erat. Ea autem vox *post* aliquando in codice **B** scripta fuit *p'*, ut XXXVI, xxxi, 3, teste Kreissigio.

Cap. XII, 6. — Victo Philippo, quum de pace ei concedenda Quinctius Græcique socii concilium haberent, Ætolique tollendum Philippum censerent, negat Quinctius Ætolos sibi constare ; quippe « illos prioribus omnibus conciliis colloquiisque de condicionibus » pacis semper, non ut ad internecionem bellaretur, disseruisse. » (Sic edd.) In iis prioribus conciliis, quæ per bellum inter Romanos sociosque habita erant, illa deliberatio fuerat, quomodo et quousque bellaretur, id est, qua ratione bellum gerendum foret, et quibus condicionibus finiendum. Hujus autem deliberationis priorem partem posteriori præverti tanto magis par erat, quanto plus intererat vincere, quam incertam victoriam dispensare. Ipsa res igitur, ut omittam quam infensi Philippo fuerint Ætoli, evincit eos non posse simpliciter dici de condicionibus pacis semper disseruisse, quasi in conciliis de bello habitis de bello ipso tacuerint, nihil aliud quam pacem intuentes. Manifestum est, non de pace tantummodo, sed de pace quoque, eos tunc egisse, id est, non adeo atrociter de bello disseruisse, ut omnem pacis mentionem respuerent. Atque hoc diserte significat illa, a qua non discedendum fuit, codicis **B** scriptura : « illos prioribus omnibus conciliis » colloquiisque et de condicionibus pacis semper... disseruisse. » h. e. etiam de condicionibus. Cujus vocis *et* (quæ in editione principe fuit, etsi omissa ibi præcedente voce *que*) ejiciendæ ea fortasse causa fuit, quod hæc periodus duo membra habet, utraque jam per *et* incipientia : ea vero causa non tanti erat.

Cap. XV, 2. — **Weiss.**, (sic **B**) : « Ibi parte dimidia exercitus » dimissa, dimidiam (trifariam divisit) et omnes equites discurrere » ad depopulandos simul Pellenensium Sicyoniumque agros et » Phliasium jubet. » Hæc ita dicuntur, tanquam (id quod falsum esse sequentia demonstrant) exercitus una pars dimissa sit, altera discurrere jussa. Quod vitium, jam olim a Creverio notatum, quum iterum reprehendisset Madvigius, ipse edidit : « Ibi partem dimi- » diam exercitus, divisam trifariam, et omnes equites discurrere... » jubet. » Hæc sunt scribentis magis quæ libeat, quam quæ codex monstret. Sed ne sic quidem sententiæ omnino apta sunt : dicas enim equites non et ipsos trifariam divisos esse, sed eos aut uno agmine aut sparsos qua cuique visum sit discurrisse ; quum contra

appareat, in trium agrorum quemque suam peditum equitumque partem dimissam esse. Ego codicis scripturam integram retineri posse puto, sic distinctam : « Ibi parte dimidia exercitus dimissa » (dimidiam trifariam divisit et omnes equites), discurrere... » jubet. » h. e. dimissa ad populandum (quam quidem partem, jam dimidiam factam, etiam trifariam divisit, itemque omnes equites) discurrere... Quod attinet ad verbum *discurrere* absolute positum, hujus rei apud Livium exempla non pauca sunt ; sed eorum pleraque recentiores, sua sola auctoritate, mutarunt : ne multa, sæpe occurrit *arma ferre jubet* (omisso nomine *milites*), ubi Madvigius obstinate reposuit *ferri*. Ut elegantius sit *ferri*, cur *ferre* non diceret Livius ?

Cap. XV, 5. — **Vulg.** : « Parte una mercennarii milites ibant » cum levi armatura, altera clipeati ; id in illarum gentium exerciti- » bus robur erat. » Codex **B**, ibi unicus : *clipeati dein aliarum gentium*. Quartum aliud genus militum fuit, quod paulo infra (§ 11) isse cum clipeatis apparet. Itaque sub corruptis litteris *einali* latere puto *etrati* (pro *cætrati* ; sic enim infra id nomen depravatum est), et, ut exciderint deinde litteræ *qe*, legi posse : « altera clipeati et » cætrati, quod earum gentium exercitibus robur erat. »

Cap. XVIII, 7. — **Vulg.** : « ... omnibusque ex præsidiis... devo- » catis et ab ipsa Stratonicea Thessalorum auxiliaribus... » Vocem *ex* tollendam censuit Madvigius. Forte reponendum *eo*, h. e. ad hoc castellum, cujus nomen præcessit.

Cap. XXI, 4. — (De Attalo rege.) **Madv.** : « Comis uxori ac » liberis, quos quattuor superstites habuit, mitis ac munificus » amicis fuit. » Vox *quattuor* in nullo codice fuit, et, quomodo irrepserit, operæ pretium est meminisse. Vetustæ editiones (nam vox *comis* in codice **Mog.** videtur non comparuisse) illa tantum exhibebant : « Uxorem ac liberos duos superstites habuit. » Admonuit Glareanus quattuor fuisse Attali filios, *quattuor* igitur pro *duos* reponendum esse. Reponi necesse fuit in ea scriptura. Nunc vero prolata receptaque codicis **B** lectione (etsi is ipse *duos* habet, non *quos*), quid jam opus est voce *quattuor*? Sane si simpliciter liberos patri superfuisse diceret Livius, frigidam et notatione parum dignam rem diceret ; sed illud *quos* etiam ad uxorem pertinet.

Cap. XXVII, 7. — (De Bœotis, quum a T. Quinctio impetrassent, ut, qui suæ gentis militassent apud Philippum, sibi restituerentur.) **Recc.** : « Restitutis iis, confestim apparuit, quam nulla

» inita apud Bœotos gratia esset ; nam ad Philippum legatos gra» tias agentes ei pro redditis hominibus, perinde atque ipsis, et » non Quinctio et Romanis id datum esset, miserunt. » **B** : *atque ipsos iis et non Quinctio* ; **Mog.** : *atque ipsi id a Quinctio*, omisso *id* in fine. Quoniam eam rem ait Livius documento fuisse, quam ingrati animi erga Romanos Bœoti fuerint, parum apta videntur postrema verba. Non enim ingrati animi illud indicium est, si quis simulat sibi datum esse quod non sibi datum sit. Immo ille ingratum animum prodit, qui simulat ab alio se aliquid accepisse, quam a quo accepit, atque, ut verum beneficii auctorem neglegat, falsum quærit. Id haud dubie voluit Livius, senseratque olim Gronovius, quum suaderet : *perinde atque ipsis id non a Quinctio et Romanis datum esset* (ubi *ipsis* vitiose pro *iis* aut *sibi*). Hæc Gronovius expresserat ex scriptura codicis **Mog.** quam solam norat ; quæ, etsi mutila, ut videtur, tamen id boni habet, quod præpositionem *a* retinuit. Itaque eam præpositionem si lectioni codicis **B** adjecerimus, multo aptiore sensu, nec tamen majore, quam quæ jam allata fuit, mutatione legi poterit : « perinde atque ab ipso iis, et non a » Quinctio et Romanis id datum esset... »

Cap. XXVIII, 9. — « Torti post paulo insontes, quum scirent » ipsi nihil, opinione omnium pro indicio Zeuxippum et Pisistra» tum nominaverunt. » Hæc Madvigius Moguntinæ lectioni, quæ adhuc obtinuerat (*..ipsi opinionem omnium, ea pro indicio usi, Zeuxippum..*), ob levem offensionem glossema in ea suspicatus, ex **B** substituit. Et recte docet *pro indicio nominare* eandem dicendi formam esse ac *pro testimonio dicere*. Sed duæ res nunc pro una offendunt, primo ablativus *opinione* parum aptus pro *ex opinione*, deinde *nihil* sine causa verbo postpositum ; postulat enim usus *quum nihil scirent ipsi*. Ut igitur concedamus, ex silentio lacunosissimi codicis **B** conjici posse aliquod in aliis glossema, vulgatæ lectionis priorem certe partem retineri satius fuit, hoc modo : « ... quum scirent ipsi opinionem omnium, pro indicio Zeuxip» pum et Pisistratum nominaverunt. » Vocem *nihil* unus **B** habet.

Cap. XXXVI, 2. — (De Glabrione prætore in Etruriam misso ad opprimendam servorum conjurationem.) **Vulg.** : « Alios jam con» gregatos pugnando vicit ; ex his multi occisi, multi capti ; alios » verberatos cruci affixit, qui principes conjurationis fuerant ; alios » dominis restituit. » Assentiendum est Madvigio docenti, altero ac tertio loco *alios* pertinere ad captos, quorum sors divisa sit, primo autem loco *alios* vitiosum esse. Sed quod initio aliquid excidisse censet, et ipse scribit *Alios ***, alios jam congregatos...*, enimvero ligna in silvam fert. Propius vero antea, pro primo *alios* conjecerat *aliquot* ; mutavit autem consilium, causatus nimis infinitam rem relinqui, nec apparere, quid reliquis servis factum sit. Quid igitur reliquis fieret ? Scilicet, postquam illi ipsi, qui pugnantes capti erant, exceptis principibus, nihil aliud quam dominis restituti sunt, ultra sævitum est in eos, qui arma non attigerant ? Patet et ipsos dominis restitutos esse, quoniam restitui necesse erat. Reputanti mihi quoties illa vox *alios* depravata occurrerit, nunc pro *quos*, nunc pro *suos* scripta (vide supra ad IV, xliii, 4, et XXII, xv, 1), dubium non videtur, quin et hic legendum sit : « Quos jam » congregatos pugnando vicit, ex his multi occisi, multi capti... » Misso enim prætore cum exercitu, de iis solis curat Livius, qui vincendi erant, id est de congregatis servis ; et statim ad pœnam eorum properat, de victoria ipsa vix meminit, quia his temporibus de victoria ex servis referenda nondum erat quod dubitaretur.

Cap. XXXVIII, 12. — (Incensam desertamque Lysimachiam restituere conatur Antiochus.) **Recc.** : « Itaque omnia simul est » aggressus, et tecta murosque restituere, et partim redimere ser» vientes Lysimachenses, partim... » Omnia simul facere de eo homine dici solet, qui nimia festinatione miscet res disjungendas, et quas alias ex aliis agere debuerat ; sic Hannibal (XXIII, xliii, 1) omnia simul facere Hirpinos queritur. Nunc vero non id curat Livius, bene an male Antiochus festinaverit ; festinasse narrat. Itaque codici **B** plus æquo indulsisse recentiores videntur, dum reponunt *omnia* pro *omni cura*, quod ante obtinuerat, aptiore sensu nec minore auctoritate.

LIBER XXXIV

Cap. II, 12. — (Queritur Cato consul feminas foro et contionibus immisceri.) **Recc. (B)** : « Quid enim nunc aliud per vias et compita » faciunt, quam rogationem tribunorum plebi suadent, aliam legem » abrogandam censent? » Vocem *aliam* pravam esse omnes senserunt, eamque Madvigius uncis inclusit. Olim edebatur *aliæ*, nihilo melius. Jam advertimus (vide IV, xliii, 4), quas potissimum voces cum voce *aliam* confundere librarii soliti sint, atque emendatio vel inde peti posset. Sed huc feliciter accedit, quod et alibi eandem omnino, quam in hoc loco, orationis formam usurpavit Livius (IV, iv, 6) : « Quid est aliud, quam exsilium intra eadem mœnia, quam » relegationem pati? » Simili igitur vocis *quam* repetitione legendum est : « Quid enim nunc aliud... faciunt, quam rogationem » plebi suadent, quam legem abrogandam censent? »

Cap. V, 9. — (Ex oratione L. Valerii tribuni plebis contra legem Oppiam.) **Vulg.** : « Jam urbe capta a Gallis, quo redempta urbs est? » Nempe aurum matronæ consensu omnium in publicum contu- » lerunt. » Multa hic offendunt, pleraque ab aliis jam reprehensa. Primum vitiose usurpatur ablativus absolutus, ideoque vocem *urbe* Madvigius tolli voluit. Deinde illud *quo*, interrogationi inserviens, nequaquam significare solet *qua re* (*quo pretio*), sed *ad quid*, *ad quam rem* : hujus rei exempla plurima sunt; alterius, donec proferantur aliqua, nulla esse contenderim. Præterea, qui ad præcedentia sequentiaque attendet, videbit seriem quattuor interrogationum ibi esse, quarum hæc tertia a ceteris ingratissime dissidet : ei enim soli et responsum subjicitur, nec præponitur vox *nonne*. Hujus perturbationis ceterorumque vitiorum præcipuus auctor fuit Modius,

qui, quum in priscis editionibus vox *aurum* post vocem *Gallis* semper posita esset, eam poni jussit ubi nunc est, auctoritatem codicis **Mog.** præ se ferens. Atqui Modium Drakenborchius negat unquam ipsum codicem **Mog.** vidisse, arguitque falsa aliquando huic codici imputasse (ut, exempli gratia, XXXIV, xxi, 1, et XXXVII, li, 5). Itaque redeundum censeo ad antiquam lectionem, correcta tamen voce *nempe*, quam corrigi jam olim suaserat, etsi timidius, rectissimi vir judicii Dukerus : « Jam, urbe capta a Gallis, aurum, » quo redempta urbs est, nonne matronæ consensu omnium in » publicum contulerunt? » (1)

Cap. IX, 4. — (Memorat Livius Emporiæ duo fuisse oppida muro divisa, quorum alterum, in mare expositum, habuerint Græci, alterum Hispani.) « Miraretur, qui tum cerneret, aperto mari ab » altera parte, ab altera Hispanis, tam fera et bellicosa gente, » objectis, quæ res eos (Græcos) tutaretur. » Sic antiquæ editiones, secutæ omnium, qui nunc exstant, codicum auctoritatem. Nam quod **B** habet *bellicos agenti esse objectis*, patet ea quoque ex eodem fonte defluxisse : quum enim mendose scriptum esset *genti* pro *gente*, post eam vocem corrector aliquis addidit litteram *e*, ex qua perperam geminata *esse* ortum est (*ēē* = *esse*). Illa verba, sicut certissima, ita citra omnem reprehensionem esse mihi videntur, sic intellecta : Miraretur, qui tum ea cerneret, quæ res Græcos tutaretur, quum eis hinc mare, illinc Hispani objecti essent. Pronomen (sive *ea*, sive *eos*) omis sumesse, non est quod miremur; solet enim a Livio omitti in hujusmodi conformatione sententiæ; cf. XXIX, xvii, 17 : « Mire- » tur, qui sciat, quomodo ad patiendum sufficiamus », ubi in iis, quæ præcessere, nihil invenias, unde repeti pronomen ullum possit, verboque *sciat* adjungi. Nec vero antiquam lectionem quisquam confutavit; Gebhardus tantum, parum locuples auctor, verbo damnavit, assensitque ei Drakenborchius, omissa et ipse damnandi causa; ut suspicari queat, qui ceteras utriusque adnotationes usu cognitas æstimatasque habeat, ne vidisse quidem eos verbum *objectis* ad utraque nomina *mari* et *Hispanis* referri debere, et intellegendum esse *hinc*

(1) In eadem oratione locum sæpe tentatum necdum persanatum (cap. VI, 7) ut et ipse attrectem, haud scio an in hunc modum emendari queat : « Ex utro tandem » genere ea lex esse videtur, quam abrogamus? Quid? vetus regia lex, simul cum » ipsa urbe nata? aut, quod secundum est, ab decemviris... scripta? sine qua...? » Pro *quid* **B** habet *quæ*, ceteri *quia* (Ibi Weiss. *Quippe vetus...*, Madv. *quam vetus?*) — Paulo infra § 10 forte pro *aut* reponendum *ante*.

aperto mari objecto, illinc *Hispanis objectis.* Tenuit vetus illa lectio usque ad Gelenium, qui anno 1535 ea vulgavit, quæ etiam nunc eduntur : « Miraretur, qui tum cerneret aperto mari ab altera parte, » ab altera Hispanis, tam feræ et bellicosæ genti, objectos, quæ res » eos tutaretur. » Ibi certe reprehensioni locus est. Quum enim in priore scriptura vox *tum* eandem vim habuerit, ac si cum verbo *tutaretur* juncta esset, nunc eam pertinere necesse est ad *cerneret,* sive malis, ad *objectos*, otiose neque admodum apte : annon et postea manserunt Græci mari Hispanisque objecti? Deinde verbum ipsum *objectos* parum aptum fit : illud si accipias tanquam *ex adverso positos*, regioni regio quidem dici solet objecta esse, non homines; si tanquam *expositos,* dure omittitur periculi significatio, ita ut *aperto mari objectos* idem valeat quod *expositos ad pericula classium hostilium.* Itaque, dissentientibus inter se codicibus **B** et **Mog.**, qui auctoritatis fere æquæ habentur, hic anteponendus est **B**, quia meliora præfert; anteponendus multo magis, postquam ceteri codices veteresque editiones cum eo conspirant. Quid, quod huic consensui ne certa quidem codicis **Mog.** scriptura opponitur, sed tantum recepta opinio, talem fuisse ejus scripturam? Tacuit enim de eo, ut solet, Gelenius. Scimus autem quasdam codicis **Mog.** scripturas ab aliis prolatas postea esse, quæ ostenderent Gelenium tacite castigationem adhibuisse. Scimus præterea ei fuisse et alios codices, quibus uteretur, et ipse interdum ait « ex collatione ad » manuscripta restituimus sic », nihil addens, utrum ea mss. inter se consenserint, an ipse ex eis, quod placuisset, elegerit.

Cap. XIII, 7. — (Ex oratione Catonis consulis ad milites) : « Patres nostri, quum Hispania Carthaginiensium, et imperatores » ibi et exercitus essent, ipsi nullum in ea militem haberent, tamen » addere hoc in fœdere voluerunt, ut imperii sui Hiberus fluvius » esset finis. » Sic ceteri, codicibus obsecuti; at Madvigius addidit *in* ante *Hispania*, delevitque *ibi*. Claudicat certe oratio, sed una tantum littera erratum esse opinor, et scribi debuisse *ēet* pro *et* : « Patres nostri, quum Hispania Carthaginiensium esset, impera- » tores ibi et exercitus essent, ipsi nullum in ea militem haberent, » tamen... » Definiri hos imperatores exercitusque nihil attinebat, nisi quis putet, alios imperatores in Hispania tunc esse potuisse, quam eos, quorum Hispania tunc fuerit. Quod objicitur, non potuisse Carthaginiensium quidem Hispaniam esse, a Romanis autem Hispaniæ partem peti, atque, id si dixisset Cato, injusta

postulasse Romanos dicturum fuisse, argutiæ hæ sunt : Asia Alexandri dicitur fuisse, etsi omnes Asiæ partes non attigit. Pro *addere*, quod exhibent codices omnes, Madvigio libuit scribere *addi*; de quo cf. quod dixi ad XXXIII, xv, 2, in fine.

Cap. XXVI, 14. — **Vulg.** : « Princeps erat exsulum Agesipolis, » cujus jure gentis regnum Lacedæmone erat. » Regnum alicujus Lacedæmone esse (ut Latinum hoc sit) de eo tantum homine recte accipi potest, qui re vera Lacedæmone regnat. Neque autem *Lacedæmone* vulgo in codicibus legitur, sed in multis eorum *Lacedæmoniæ*. **Mog.** traditur habuisse *Lacedæmonium*, quod unice verum est restituique debet. Nam, quod aiunt adjectivum *Lacedæmonius* apud bonos prosæ orationis auctores non comparere, de Livio certe vana ea opinio est : cf. XXXV, xxii, 2, ubi editores omnes recepere *adversus Lacedæmonium tyrannum.*

Cap. XXVII, 9. — (De Lacedæmoniis, quorum animos Nabis tyrannus acerbitate pœnarum tenebat.) **Codd., Vulg.**: « Hoc terrore » obstupuerant multitudinis animi ab omni conatu novorum consi- » liorum. » Sermonis insolentiam notavit Dukerus; immo et pravitatem notare potuit; verbi enim *obstupescere* non ea est significatio, quæ cum præpositione *ab* congruat. Ipse tentaverat *obtorpuerant ad omnem conatum,* longius paulo a codicibus aberrans. In tali re nihil aptius videtur, quam verbum *absterrere*, atque id Livio perquam familiare fuit; cf. XXIII, i, 10 : *ab urbe oppugnanda Pœnum absterruere conspecta mœnia*; adde V, xli, 6; XXVII, xxviii, 12, et passim. Ideo legi suaserim : « Hoc terrore absterriti erant multitudinis » animi ab omni conatu... » Totidem utrobique sunt, nisi litteræ, certe litterarum ductus.

Cap. XXX, 2. — (De Nabide, quum Gythium oppidum T. Quinctio proconsuli traditum esset.) **Codd., Drak.** : « Postquam id quoque » traditum Romanis audivit esse, quum ab terra... nihil spei esset, » a mari quoque toto se interclusum, cedendum fortunæ ratus, » caduceatorem... misit... » Ipse Drak. post verbum *esse* suasit addi *et,* quod recentiores recepere (*...esse*, *et*, *quum..*). Et incommodum quidem sic tollitur asyndeton; sed alia remanent vitia, primo verbum *esse*, loco non suo positum atque a verbo *traditum* male distractum, deinde pronomen *se*, longius rejectum, quam ut oratio satis expedita concinnaque sit; quod pronomen priori pronomini *id* opponi debuisse videtur. Hæc vitia ex unius litteræ depravatione orta opinor : quum enim errore scriptum fuisset *esse* pro *et se,*

postea, ne quid deficeret, suppletum pronomen. Itaque legerim : « Postquam id quoque traditum Romanis audivit, et se, quum ab » terra... nihil spei esset, a mari quoque toto interclusum, ceden- » dum... » — Ibidem, ad verba *omnibus circa hostibus*, nihil habeo quod afferam; sed ablativus absolutus id genus abhorret a more Liviano, Madvigiumque miror his acquiescere.

CAP. XXXII, 3. — (Ex oratione T. Quinctii, Nabidi respondentis.) » Nam quid minus conveniret, quam eos... cum tyranno insti- » tuere amicitiam? et tyranno, quam qui unquam fuit, sævissimo » et violentissimo in suos? » Hanc codicum lectionem frustra interpunctionis artificio expediri posse quidam crediderunt (*tyranno quam, qui unquam fuit, sævissimo...*, id est, nisi fallor, *quam sævissimo, qui unquam fuit*). Neque enim vox *quam* a superlativo distrahi solet, neque id superlativi genus relativam sententiam, qua augeatur, recipit, ut cui jam insit vis quam maxima. Melius Madvigius, sublato *quam*, Latinitati cavit. Emendandam autem potius quam tollendam eam vocem reor. Et sæpe ea alibi visa est cum voce *etiam* a librariis commutata esse; cf. X, XXVI, 14; XXVI, I, 3; XLIV, XXV, 1. Legi igitur censeo: « ... et tyranno » etiam, qui unquam fuit, sævissimo... »

CAP. XXXII, 6. — (Ex eadem oratione.) **Drak.** : « Satis com- » pertum habemus... non civitatis culpam esse, tam hercule, » quam in te tuoque præsidio accersendo accipiendoque in arcem, » nihil sit publico consilio actum. » Sic plerique codices, sed **B** *nihil si in publico*. In editione Ascensiana quum, pro *sit*, repositum foret *esse*, id Gronovius probavit, receperuntque ceteri recentiores; at Hertzius *est*, quod a se quoque scribi debuisse adnotat Madvigius. Ex scriptura codicis **B** *siin*, legendum est potius *fuit*, præsertim quum in eo codice litteræ *s* et *f* sæpe vix discerni possint.

CAP. XXXIV, 7. — (Græcos socios, quorum animi ad bellum inclinatiores erant, quum admonuisset T. Quinctius, quanta mora et impensa belli futura esset,) **Vulg.** : « Hæc oratio primum ani- » mos omnium ad respicienda cuique domestica mala convertit, » segnitiam, invidiam... » Recte ait Madvigius vitiosum esse dativum *cuique*; ipse, suadente Ussingio, scripsit *ad respicienda sua cuique*. Talibus auctoribus, Latini quidem moris esse *sua cuique* negare non ausim, at Liviani moris nego; scripsisset noster *sua quemque* aut *sua cujusque*. Videndum autem, eamne malorum distinctionem diversitatemque postulaverit res et voluerit Livius;

quippe ea mala, quæ statim post memorata sunt, eadem omnibus Græcis sociis erant, non alia aliis. Malim ego « ad respicienda » utique domestica mala », h. e. hæc oratio eos, sicut non ad improbandum bellum, ita ad respicienda certe domestica mala adduxit.

CAP. XLIV, 4. — Ibi sic distinguenda est oratio : « Censorum » inde comitia sunt habita, creati censores Sex. Ælius Pætus et » C. Cornelius Cethegus. Principem senatus P. Scipionem... lege- » runt; tres omnino senatores... præterierunt. » (non, ut nunc, *habita. Creati... Cethegus principem... legerunt. Tres...*, quasi intersit comitia habita esse, non intersit qui creati sint.)

CAP. XLIX, 2. — **Vulg.** : « ..quum aliter quam ruina gravissima » civitatis opprimi non posset (tyrannus). » Codices *gravissimæ*. Subest mendum. Ea enim vis est vocis *ruina*, quæ adjecta voce *gravissima* non augeatur; præterea nomen *civitatis* aliquid desiderat, quo definiatur; saltem dicendum erat *hujus civitatis* (cujus præcessit nomen). Lucem affert alius locus (XXXIV, V, 2), ubi pro voce *clarissimus*, quæ in codice **Mog.** fuit, et nuper recepta est, in ceteris scriptum est *gravissimus*. Non dubium videtur, quin et hic legendum sit « ruina clarissimæ civitatis ».

CAP. XLIX, 8. — **Vulg.** : « (Libertatem) nimiam et aliis gravem » et ipsis, qui habeant, effrenatam et præcipitem esse. » Injuria hunc locum multi, inter quos et ipse Madvigius, sollicitaverunt; in distribuendis enim verbis errasse videntur. Sermone directo fit: *Nimia libertas, gravis et aliis et ipsis, qui habent, effrenata est et præceps.* Comma post *nimiam* ponendum erat, ut appareret verba *et aliis gravem et ipsis, qui habeant* interpositionis loco esse.

CAP. LXI, 4. — **Vulg.** : « Hunc Aristonem Carthagine obver- » santem non prius amici quam inimici Hannibalis, qua de causa » venisset, cognoverunt. » Græci moris est ea dicendi forma, non Latini, certe non Liviani. Suspicor igitur *quaque causa venisset*, forsitan et *quaque de causa venisset*. — Paulo post (§ 7) **Recc.** : « ..in » occulto coqui, quod mox in omnium perniciem erupturum esset. » Pro *coqui*, codices habent *conloqui*, unde effici debuit *concoqui*. Sic XL, XI, 2 : *clandestina concocta sunt consilia*, etsi ibi quoque Madvigio libuit scribere *cocta*. Sic et apud Cic. (pro Roscio com. 15) legitur *diu deliberandum et concoquendum est*, invito Grævio, qui item *coquendum* reponi jusserat. Quæri potest, unde quibusdam peculiaris lux affulserit, cur tam certa exempla sprernerent.

Cap. LXII, 3. — **Vulg.** : « Emporia vocant eam regionem ; ora » est minoris Syrtis, et agri uberis ; una civitas ejus Leptis. » Mira copulatione hæc ora dicitur esse et minoris Syrtis et agri uberis (ut si dicas *Rex fuit Alexander Macedoniæ et magni animi*). Apparet excidisse *in* post *regionem*, et scribendum esse : « in ora » est minoris Syrtis, et agri uberis (ea regio) ».

LIBER XXXV

Cap. III, 4. — « ... novo milite... necdum noto satis inter se, » ut vix fidere alii aliis possent. » Hæc, quæ in priscis editionibus et in codicibus quibusdam recentibus scripta sunt, bene interpretatus est Creverius *milite parum adhuc noto inter se, ita ut vix fidere alii aliis possent*. Ibi Gelenius hæc tantum : « *vix* redundat », opinioni an codici obsecutus, incertum. Ex eo tempore ab omnibus editum est : « .. necdum noto satis inter se, ut fidere alii aliis » possent ». Itaque jungere jubemur *satis ut*, eodem modo sensuque quo *tam ut*; quæ res insolentissima videtur. Non quod negem usquam post *satis* sequi *ut*; sed, sicubi concurrant eæ voces, perinde expediendas esse, tanquam docuit Creverius, neque earum ullam esse connexionem. Connecti eas posse tum demum appareret, si quis proferretur bonorum auctorum locus, qualis est hic Gelenianus, ubi Creveriana interpretatio adhiberi non posset, id est, ubi præposita esset negatio (*non satis ut*). In lexicis autem tacetur, et, donec tale aliquid ex Latinis scriptoribus eruatur, recte taceri tenendum est.

Cap. X, 5. — (De duobus clarissimis ætatis suæ imperatoribus, quum fratrem quisque suum in petendo consulatu adjuvarent.) **Weiss.** : « Major gloria Scipionis, et, quo major, eo propior in» vidiam ; Quinctii recentior, ut qui eo anno triumphasset. » Quoniam memoratur, quæ res pro Scipione, quæ pro Quinctio steterit, neque faventibus rebus adscribi potest invidia, patet scribi debere ibi *sed*, non *et* ; id Drakenborchius posteaque omnes sensere, ut nescias, quæ religio castigationi obstiterit, præsertim præcedente littera *s*, quæ subsequenti nocuisse putanda est. Hæc igitur scriptura,

ex omnibus, qui exstant, codicibus sumpta, quum olim obtineret, supervenit Modius (qui qua fide fuerit, jam advertimus XXXIV, v, 9), aitque in codice **Mog**. fuisse *major gloria in P. Scipione*. Mira jam res, id neque Moguntinos editores, neque postea Gelenium vidisse. Sed ad suspicionem accedit offensio. Nam huic priori formæ *in P. Scipione* minime respondet posterior *Quinctii*. Quis tamen credat illam ipsam diversitatem causæ fuisse, cur Modio suffragaretur Drakenborchius ejusque lectionem reciperet? ut qui in animum induxisset, Livium variandæ orationi unice studuisse. Me certe fefellere peculiares illæ varietates; et earum, quas vidit, multæ jam, propius inspectis codicibus, evanuere. Ceterum ibi ne illud quidem prætermittendum est, quod in nova lectione minus apparet, cur exciderit prima littera vocis *sed*, quam pro legitima a plerisque haberi video. Drakenborchium tamen secutus est Madvigius, quum debitam codici **Mog**. reverentiam codicis umbræ præstaret.

Cap. XVIII, 6. — (Verba Alexandri Acarnanis de Philippo.) **Vulg**.: « Nosse se spiritum ejus, nosse animum; scire, ferarum modo, quæ » claustris aut vinculis teneantur, ingentes jam diu iras eum in » pectore volvere. » Vox *eum* in nullo codice fuit, ne in **Mog**. quidem, cujus scripturam attulere Moguntini. At *scire ferum ferarum modo* legitur in **B** ceterisque, qui exstant, nisi quod unus, pro *ferum*, habet *fetum*, alter *ferrum*. Inde legendum: « Nosse se spiritum ejus, » nosse animum; scire se eum, ferarum modo,.. ingentes jam diu » iras in pectore volvere. « *Ferum* pro *se eum* eo facilius scribi potuit, quod in codicibus quibusdam, ac maxime in **B**, litteræ *f* et *s* fere confunduntur. Quanto rectius concinniusque processura jam sit oratio, nemo est qui non videat.

Cap. XXVII, 13. — **Drak., Madv.**: « Philopœmen castra ad » Barbosthenem (mons est decem millia passuum ab Lacedæmone) » promovit. » Codices *Barbosthenes*, vel *Barbostenes*: sed cap. xxx, 9, ubi idem nomen occurrit, iidem habent *Barnosthenes* vel *Barnostenes*; ideo utrobique Weiss. scripsit *Barnosthenem*. Nusquam alibi repertum est hoc nomen; tamen depravatum esse, et in suam formam restitui posse crediderim. Memorat enim Livius eo Achæos castra movisse statim a Caryis (§ 12), atque ibi, propter angustias viæ, agmen eorum obtinuisse prope quinque millia passuum (§ 15). Mons autem, in cujus radicibus Caryæ sitæ sunt, quique continuo tractu Spartæ prætenditur ad orientem versus, is vocatur Parnon; et angustiæ viarum Græce dicuntur στένη (στένος-ους) : inde fit *Parnostene*. Cui nomini in codicibus adhæsit littera *s*, quia excidit prior littera vocis *is*. Legendum: « Philopœmen castra ad Parno» stene (is mons est decem millia passuum ab Lacedæmone) pro» movit. » De Parnone cf. Pausan. II, xxxviii, 7.

Cap. XXVIII, 10. — **Codd.**: « Ex eodem rivo utrique... aquati » sunt; et priusquam (qualia in propinquis castris solent) contra» heretur certamen, nox intervenit. » Adnotavit Dukerus malle se abesse *in*, allato tantum illo exemplo (XXIII, xvii, 7) : *ne quis tam propinquis hostium castris Capuam quoque recurrat* (ex emendatione Gronovii *Capuæ quoque oreretur motus*). Addere potuit *in* pravum esse; neque enim in ipsis propinquis castris contrahitur certamen, sed quia ea propinqua sunt. Moniti recentiores delevere *in*. Sed ille ipse locus, quem laudavit Dukerus, verum monstrare debuit, id est, *qualia tam propinquis castris solent*. Non sine causa in omnibus codicibus repertum est *in*, nec mirum *in* pro *tā* scriptum fuisse. Idem jam Weissenbornio in mentem venisse video, nec assequor, cur ei minor audacia visa sit codicum vocem tollere, quam ex ipsius Livii auctoritate emendare.

Cap. XXX, 13. — **Vulg**.: « ..quod ad Laconicum bellum atti» neret.. » Hoc jam inde ab editione Ascensiana (1513) receptum est, nulla auctoritate. Nam de codice **Mog**., qui post Ascensianam demum prolatus est, tacetur, et **B** ceterique habent *Laconum*. Liviana ea locutio est (cf. XXXV, xlvii, 4 : *in bello Laconum*), et restituenda.

Cap. XXXII, 2. — **Vulg**.: « ..eoque ipso tempore forte Thoas, » princeps gentis, quem miserant ad Antiochum, redierat, indeque » Menippum secum adduxerat regis legatum. » Jam docuimus (vide II, xxxiii, 7) prorsus abhorrere a Livii usu id dicendi genus, ut post litteram *e* brevem ponatur *que* (*indeque*). Bene est, quod codicis **Mog**. scripturam attulit Drakenborchius *redierat inde Menippum quem secum*; sed simpliciore Minerva adnotavit: « Forte » voluit librarius *redierat inde, Menippumque secum adduxerat*. » Enimvero non librarius, sed ipse Livius hoc voluit.

Cap. XXXII, 6. — **Vulg**.: « Quanquam prope abscisa res erat, » tamen non ab re esse Quinctio visum est... » Audiendus fuit Dukerus, quum reponi suaderet *abscisa spes erat*. Nam, præterquam quod voces *spes* et *res* sæpe commutatas esse constat, plurimis in locis apud Livium occurrit *spes abscisa*, *incisa*, *præcisa* (multaque id

genus exempla ibi Dukerus attulit), nusquam, quod sciam, *res abscisa,* singulari certe numero. Accedit repetitio *res... ab re,* et per se ingrata, et unde nasci error potuit, si putes posteriore voce occupatam esse librarii aurem. Sed maxime movet, quod, quid sibi velit ipsa vox *res,* excogitari nequit; quippe de nulla alia re ante mentio facta est, nisi de ea, quam egerant Ætoli legatusque Antiochi : at ea non abscisa erat.

Cap. XXXIV, 1. — (Postquam memoratum est, Ætolos decretum tulisse, ut Antiochus in Græciam arcesseretur, atque ex eorum concilio Quinctium legatosque Romanos accepta contumelia redisse.) **Vulg.** : « Inde, ut quæque de Antiocho*** nihil per se ipsi » moti et sedentes exspectare adventum viderentur regis, concilium » quidem universæ gentis non habuerunt, per apocletos autem... id » agitabant, quonam modo in Græcia res novarentur. » Sic codices nisi quod sex recentes habent *ut quemque,* unus *ut quoque.* Hunc locum plerique pro mutilo habuere, monuitque Madvigius tale aliquid excidisse : *fama allata erat, Ætoli excipiebant, et ne.* Viderat Creverius, id quod apte cum cetero sermone congruit et prope certum est, significari ibi Ætolos voluisse non desides Antiocho videri. Verum eosdem, ut Madvigio placet, excepisse rumores de Antiocho allatos, otiosa et pæne ridicula res est; cur enim eos rumores, sicut ceteri Græci, non exciperent? Scripsisset haud dubie Madvigius *exspectabant,* si per voces *ut quæque* et alterum *exspectare* licuisset. Sed illa ipsa quieta exspectatio a præcedenti sequentique narratione abhorret. Is Ætolorum ante fuerat furor, ea statim post fuit audacia (quippe qui confestim, non exspectato Antiocho, tres maximas Græciæ urbes invadere aggressi sint), ut colligendum sit longe aliud. Profecto illa ibi sententia fuit, satagere cœpisse Ætolos, idque duplicem ob causam, simul ira, simul quia Antiocho non desides videri voluerint. Nec mutilus tamen hic locus, sed aliquot tantummodo litterarum confusione corruptus videtur. Sic restitui posse puto : « Ii, metu quoque ne Antiocho nihil per se » ipsi moti et sedentes exspectare adventum viderentur regis, » concilium... » Admodum familiaris Livio fuit locutio *metu ne.* Cf. XXX, x, 15; XXXVI, xx, 1; XXXVII, li, 10; XLI, iii, 2.

Cap. XXXIV, 4. — **Vulg.** : « Ætoli consilium uno die spei » quoque non audacis modo, sed etiam impudentis ceperunt, Deme- » triadem, Chalcidem, Lacædemonem occupandi. « Prava esse verba *uno die* Madvigius et vidit et accurate demonstravit : frigida

enim esse, et loco non suo posita; etiam si concedatur ad verbum *occupandi,* id quod sermonis natura vetet, referri posse, rebus ipsis revinci. Quam deinde emendationem suasit (*consilium rei spe quoque non*), eam in editione sua neglexit, recte, ut videtur; nimis enim a codicibus ea discedit. Itaque signum ad verba *uno die* apposuit. Opinor ego fuisse olim *imodicum,* cujus vocis quum postremæ litteræ forte excidissent, ex *imodic* factum esse *uno die.* Immo veri simile est, non aliter quam compendii causa litteras *um* omissas esse : et jam vidimus (XXXII, xv, 3) vocem *demum* solitam esse scribi *dem.* Legendum : « Ætoli consilium immodicum, spei » quoque non audacis modo, sed etiam impudentis ceperunt... » Ea quoque vox Livio inter usitatissimas fuit.

Cap. XLIX. — In eo capite, ubi Quinctius ad Achæos verba facit, mira offendit inconstantia et confusio obliqui directique sermonis. Non modo enim ad directum ex obliquo primum transitur vix commate præcedente (1), in media periodo, nullo animi affectu motuque inconstantiæ ansam præbente, sed etiam, postquam ex obliquo sermone ad directum deflexit oratio (§ 5), ad obliquum ea deinde redit (§ 8), postremo rursus in directum relabitur (§ 9). Duplicem quidem formam in multis orationibus esse omnes norunt; triplicem nondum reperi, nec tamen esse posse negaverim; quadruplicem pro monstro habendam reor. Certe hic duplicem tantum fuisse, nedum quadruplicem, facile est ostendere : tota enim res in una syllaba vertitur. Duabus sermonis directi partibus interposita est illa sermonis obliqui sententia : « Hoc dici apte in copias regis, » quæ paulo ante jactatæ sint, posse : varia enim genera armorum » et multa nomina gentium inauditarum, Dahas et Medos et » Cadusios et Elymæos, Syros omnes esse, haud paulo manci- » piorum melius propter servilia ingenia quam militum genus. » Perspicuum est, eam quoque sententiam in sermonem directum redigi, si verbum *posse* mutes in *possit* vel *potest* : nam infinitivus *esse,* qui sequitur, ex verbo *dici* pendet. Eam autem fieri mutationem, non concinnitatis modo cura, sed ipsi codices jubere videntur, qui omnes præferunt *jactatæ sunt,* non *jactatæ sint*; conjunctivum Frobenius demum anno 1535 invexit, ex codice suo

(1) Ibi (§ 5) post *inflatos esse* punctum pro commate poni potest. Alius quidem tunc erit sensus vocis *dum,* quæ subsequitur, sed ideo non pejor, quia inde præcipua vis ei sententiæ accessura est, quæ præcipue eminere debet et ceteram omnem orationem trahit, id est, jactantiæ Ætolorum et Antiochi.

genus exempla ibi Dukerus attulit), nusquam, quod sciam, *res abscisa,* singulari certe numero. Accedit repetitio *res... ab re,* et per se ingrata, et unde nasci error potuit, si putes posteriore voce occupatam esse librarii aurem. Sed maxime movet, quod, quid sibi velit ipsa vox *res,* excogitari nequit; quippe de nulla alia re ante mentio facta est, nisi de ea, quam egerant Ætoli legatusque Antiochi : at ea non abscisa erat.

Cap. XXXIV, 1. — (Postquam memoratum est, Ætolos decretum tulisse, ut Antiochus in Græciam arcesseretur, atque ex eorum concilio Quinctium legatosque Romanos accepta contumelia redisse.) **Vulg.** : « Inde, ut quæque de Antiocho*** nihil per se ipsi » moti et sedentes exspectare adventum viderentur regis, concilium » quidem universæ gentis non habuerunt, per apocletos autem... id » agitabant, quonam modo in Græcia res novarentur. » Sic codices nisi quod sex recentes habent *ut quemque,* unus *ut quoque.* Hunc locum plerique pro mutilo habuere, monuitque Madvigius tale aliquid excidisse : *fama allata erat, Ætoli excipiebant, et ne.* Viderat Creverius, id quod apte cum cetero sermone congruit et prope certum est, significari ibi Ætolos voluisse non desides Antiocho videri. Verum eosdem, ut Madvigio placet, excepisse rumores de Antiocho allatos, otiosa et pæne ridicula res est ; cur enim eos rumores, sicut ceteri Græci, non exciperent? Scripsisset haud dubie Madvigius *exspectabant,* si per voces *ut quæque* et alterum *exspectare* licuisset. Sed illa ipsa quieta exspectatio a præcedenti sequentique narratione abhorret. Is Ætolorum ante fuerat furor, ea statim post fuit audacia (quippe qui confestim, non exspectato Antiocho, tres maximas Græciæ urbes invadere aggressi sint), ut colligendum sit longe aliud. Profecto illa ibi sententia fuit, satagere cœpisse Ætolos, idque duplicem ob causam, simul ira, simul quia Antiocho non desides videri voluerint. Nec mutilus tamen hic locus, sed aliquot tantummodo litterarum confusione corruptus videtur. Sic restitui posse puto : « Ii, metu quoque ne Antiocho nihil per se » ipsi moti et sedentes exspectare adventum viderentur regis, » concilium... » Admodum familiaris Livio fuit locutio *metu ne.* Cf. XXX, x, 15; XXXVI, xx, 1; XXXVII, li, 10; XLI, iii, 2.

Cap. XXXIV, 4. — **Vulg.** : « Ætoli consilium uno die spei » quoque non audacis modo, sed etiam impudentis ceperunt, Deme- » triadem, Chalcidem, Lacædemonem occupandi. « Prava esse verba *uno die* Madvigius et vidit et accurate demonstravit : frigida

enim esse, et loco non suo posita ; etiam si concedatur ad verbum *occupandi,* id quod sermonis natura vetet, referri posse, rebus ipsis revinci. Quam deinde emendationem suasit (*consilium rei spe quoque non*), eam in editione sua neglexit, recte, ut videtur ; nimis enim a codicibus ea discedit. Itaque signum ad verba *uno die* apposuit. Opinor ego fuisse olim *im̃odicum,* cujus vocis quum postremæ litteræ forte excidissent, ex *im̃odic* factum esse *uno die.* Immo veri simile est, non aliter quam compendii causa litteras *um* omissas esse : et jam vidimus (XXXII, xv, 3) vocem *demum* solitam esse scribi *dem.* Legendum : « Ætoli consilium immodicum, spei » quoque non audacis modo, sed etiam impudentis ceperunt... » Ea quoque vox Livio inter usitatissimas fuit.

Cap. XLIX. — In eo capite, ubi Quinctius ad Achæos verba facit, mira offendit inconstantia et confusio obliqui directique sermonis. Non modo enim ad directum ex obliquo primum transitur vix commate præcedente (1), in media periodo, nullo animi affectu motuque inconstantiæ ansam præbente, sed etiam, postquam ex obliquo sermone ad directum deflexit oratio (§ 5), ad obliquum ea deinde redit (§ 8), postremo rursus in directum relabitur (§ 9). Duplicem quidem formam in multis orationibus esse omnes norunt ; triplicem nondum reperi, nec tamen esse posse negaverim ; quadruplicem pro monstro habendam reor. Certe hic duplicem tantum fuisse, nedum quadruplicem, facile est ostendere : tota enim res in una syllaba vertitur. Duabus sermonis directi partibus interposita est illa sermonis obliqui sententia : « Hoc dici apte in copias regis, » quæ paulo ante jactatæ sint, posse : varia enim genera armorum » et multa nomina gentium inauditarum, Dahas et Medos et » Cadusios et Elymæos, Syros omnes esse, haud paulo manci- » piorum melius propter servilia ingenia quam militum genus. » Perspicuum est, eam quoque sententiam in sermonem directum redigi, si verbum *posse* mutes in *possit* vel *potest* : nam infinitivus *esse,* qui sequitur, ex verbo *dici* pendet. Eam autem fieri mutationem, non concinnitatis modo cura, sed ipsi codices jubere videntur, qui omnes præferunt *jactatæ sunt,* non *jactatæ sint* ; conjunctivum Frobenius demum anno 1535 invexit, ex codice suo

(1) Ibi (§ 5) post *inflatos esse* punctum pro commate poni potest. Alius quidem tunc erit sensus vocis *dum,* quæ subsequitur, sed ideo non pejor, quia inde præcipua vis ei sententiæ accessura est, quæ præcipue eminere debet et ceteram omnem orationem trahit, id est, jactantiæ Ætolorum et Antiochi.

an ut verbum obliquo sermoni accommodaret, incertum. — Paulo supra § 7, de Chalcidensi hospite, **Vulg.** : « ..homo non, quam » isti sunt, gloriosus... » Docet Madvigius *tam* subaudiri ante *quam* non posse; ipse scribit *homo non, qua isti sunt, gloriosus*, h. e, quomodo; rectius quidem, quod ad sententiam attinet; sed vellem istius *qua* unum exemplum ex Livio proferret : aliorum est id dicendi genus. Ibi **Mog.** habet *non quam ut isti sunt*; **B** *non quam iusti sunt* : quid vetat scribi *homo nunquam, ut isti sunt, gloriosus*? Ipsa vox *nunquam* legitur in quibusdam Drakenborchii codicibus.

LIBER XXXVI

Cap. II, 1. — (Postquam senatus decrevit, quas provincias consules sortirentur, et quos exercitus in utramque acciperent aut scriberent.) **Codd. Drak., Weiss.** : « His ita in senatu ad id, » quæ cujus provincia foret, decretis, tum demum sortiri consules » placuit. » Hæc significant, senatum consuli cuique suam provinciam assignasse, consulesque deinde easdem provincias sortiri jussos esse, et falso et absurde. Nam, quod illam enarrationem tentavit Creverius, ut *ad id* acciperetur tanquam *usque ad id,* h. e. usque ad eam rem, quæ non decreta est, ea vero verba non sic accipi posse bene monuit Madvigius. Ipse scripsit : « His ita in se- » natu haud ad id, quæ cujus provincia foret, decretis.. » Equidem ea emendatio infelix inter paucas fuit. Scilicet monendi sumus, id non decresse Patres, quod sors decretura fuit, et quod eorum juris nec erat neque unquam fuerat, hoc est, non evertisse eos instituta majorum moremque civitatis. Et quid opus fuit, id nos eo demum anno moneri, quum singulis annis idem fieret, nec tale quicquam docendum esse ad id locorum Livio visum sit? Profecto ibi Livius minus curavit addi, quid senatus non decrevisset, quam breviter ea omnia contrahi, quæ de utraque provincia ante decreverat. Ad hanc sententiam legi censeo : « His ita in senatu ad id, » quæ cujus provinciæ forent, decretis.. » h. e. quæ officia forent utriusque provinciæ. Ferri potest duplex interrogatio *quæ cujus,* etsi *quæ cujusque* magis Livianum est.

Cap. XVIII, 8. — (Quum Romani castra Antiochi oppugnarent) **Vulg.** : « ..plures cecidissent, ni M. Porcius ab jugo Callidromi... » super imminentem castris collem apparuisset. » Editio Mog. :

collem cum apparuisset, nullo sensu. Legendum *tum apparuisset.*

Cap. XXIII, 2. — **Madv.** : « (Ætoli), quum ariete quaterentur » muri, non laqueis, ut solet, exceptos declinabant ictus, sed armati » frequentes erumpebant, quidam ignes etiam, quos aggeribus » injicerent, ferebant. » Pro *erumpebant,* quæ vox a codicibus abest et Madvigio debetur, Weissenbornius lacunæ signum posuit. Non dubium est, quin verum periodi decursum viderit Madvigius; sed ambigi potest, lacunane ibi an depravatio fuerit. Suspicionem movet vox *quidam* frigida et supervacua, auget vox *etiam* loco parum apto posita. Venit in mentem « ..armati frequentes exibant, » ignes etiam.. » Nam æque in ea re dici solent *erumpere* et *exire.* — Eodem capite § 10, pro suspecta voce *hoc,* forte *tunc* (*tūc*).

Cap. XXIV, 6. — **Drak., Madv.** : « ..partim per semiruta, » partim scalis integros muros transcendere. » (Weiss. *semirutos.*) Ibi aut verbum *transcendere* duplici sensu, intransitivo simul transitivoque, accipitur, aut ante *integros muros* subauditur *per* : quorum neutrum ferendum videtur. Ad hoc nihil certi habet hujus lectionis origo. Nam, quum in vetustis editionibus deficerent tres primæ voces (sicut absunt ab omnibus quoque, qui exstant, codicibus), Moguntini ex suo codice prompserunt *partim per erutos, partim scalis per integros muros transcendere.* Ad hæc Gelenius : « Est in » nostris *partim per semiruta, partim scalis integros muros trans-* » *cendere.* » At Modius postea negavit, aliud in codice **Mog.** fuisse, quam quod viderant Moguntini. Quid putemus? errasse aut Gelenium, aut Moguntinos Modiumque? Gronovius certe Gelenio non credidit. Sed media relinquitur via, ut ejus ambiguitas potius quam fides suspecta sit : loquitur enim Modius de uno codice, Gelenius de pluribus, ita ut nescias volueritne *in omnibus nostris* an *in quibusdam nostris* (1). Ceterum, etiam si concedatur de ipso

1. Non soli codices Moguntinus et Spirensis, ut perhibetur, in hac decade Gelenio præsto fuerunt. Etsi enim ad XXXII, x, 11 ait se duobus codicibus usum esse, quorum in altero (Spirensi) duo primi hujusce decadis libri desiderarentur, tamen ad XXXI, xxxvi, 6 hæc adnotaverat : *Exemplaria scripta Octolophum habent*; item ad XXXII, iv, 1 : *Thaumacos habent scripta exemplaria.* Quænam igitur erant illa exemplaria, quum Spirense ibi deesset? (Eadem autem occurrit adnotationis inconstantia in prima decade, ubi postquam dixit ad VIII, xxvii, 6 : *ambo exemplaria habent assciti,* deinde ad IX, iii, 13 adnotat : *inusserit habent vetusti codices magno inter se consensu* : duorumne codicum magnus est consensus in una voce?) Inde colligendum est, ubi apud eum occurrant verba *exemplaria, vetus lectio, antiqua scriptura,* non ideo de codice **Mog.** aut **Sp.** necessario cogitandum esse, nedum de ambobus consentientibus; alioquin de eorum consensu aliquando meminisse (ut XXXVI, xxii, 8) supersedisset.

quoque codice **Mog.** Gelenium locutum esse, ne tum quidem sequitur ejus lectioni ex omni parte credendum esse. Constat enim eum aliquando, quum partem aliquam ad codicum fidem revocaret et totum locum afferret, fortasse in id modo intentum, quod præcipue intueretur et corrigi vellet, reliqua parum diligenter attulisse (1). Ita hic quoque quum id maxime ageret, ut pravam vocem *erutos* expelleret, potuit alterum *per* incuria omittere. Utcunque res se habet, nequit abesse *per*, præter cetera, etiam ne Livius ingratissime a se dissideat; paucis enim ante versibus (§ 4) dixerat *per ruinas jacentis muri transcendere.* Incredibile est, idem verbum in tantulo spatio ter repetitum esse, primo quidem et altero loco intransitive, tertio autem transitive, idque cum gravissima sermonis offensione. Quare, nullam aliam Gelenio fidem abrogans nisi quam ipsa abrogat sermonis lex, legerim : « partim per semiruta, partim scalis per » integros muros transcendere. » *Per muros* idem est quod *super muros*; cf. Cæs. B. G. III, 26.

Cap. XL, 7. — Pro *credat* scribendum est *credant,* ut id verbum congruat cum posteriore *dimittant.* Nisi malis *dimittat.*

Cap. XLII, 4.— **Vulg.** : « (C. Livius) maturandum ratus omnium » rerum causa, pergit protinus navigare Peloponnesum. Samen » Zacynthumque, quia partis Ætolorum maluerant esse, protinus » depopulatus Maleam petit, et prospera navigatione usus paucis » diebus Piræum ad veterem classem pervenit. » Mendosum est *navigare Peloponnesum,* pro *in Peloponnesum.* Unum ejus rei affertur exemplum (XLII, xliv, 6) *Peloponnesum proficiscuntur*, ubi

Multo magis cavenda sunt illa ejus verba *sincera lectio, incorrupta lectio,* ubi dubium est, integramne ullius codicis scripturam secutus sit : cur enim ex pluribus ea, quæ placuissent, non eligeret et in eligendo concinnaret? Tamen, si quosdam audieris, Gelenius oraculorum, sicut brevitatem ambiguitatemque, ita auctoritatem vindicat; qui simul dixit *Ea vox redundat,* statim interpretandum est illam vocem a codicibus afuisse. Quasi non hæc adnotaverit ad VIII, xxiii, 16 : *Dictus redundat, nec est in vetustis codicibus.* Immo compertum habemus, contra codices aliquando eum de redundantia monuisse, ut VIII, xxxiv, 9. In ea enim parte Gelenius nullos peculiares codices habuit, sed ceterorum similes, ut qui nihil ibi prompserit, quod non in suis quoque postea Drakenborchius invenerit. Ibi deprehenditur ejus consuetudo.

(1) Cf. VII, xxxix, 2. Ad hunc locum : *Per speciem militarium usuum magna pars ablegati*, Gelenius illa adnotavit : « Lege addendo *Per speciem etiam militarium usuum* » *quum alii alio mitterentur, ablegati*; attestantur manu scripti codices. » Ea verba, quæ addi jussit, in omnibus quoque Drakenborchianis comparent, sed cum verbis *magna pars,* quæ Gelenius prætermisit. Item XXXIX, xl, 7, ad veterum editionum scripturam *nec ita tantum ut cujus,* nihil aliud adnotavit, nisi *ita* et *ut* in **Mog.** non esse; tamen **Mog.** habebat *nec is tantum cujus.*

Madvigius addidit *in*, et recte : codex enim Vind., et unicus et corruptissimus, adversus receptum usum nullius auctoritatis habendus est. Hic vero *navigare Peloponnesum* non mendose modo, sed etiam inepte dicitur, quia non in Peloponnesum ibat C. Livius, sed Athenas; tunc dicendum erat *ad Peloponnesum*. Præterea non sine aliqua repugnantia dicitur is navigare in Peloponnesum protinus, id est, recto itinere, qui in medio cursu circa duas insulas moratur. Addendum et illud, Samen urbem Cephalleniæ fuisse, nec fere de urbibus occurrere apud Livium verbum *depopulari*. Omnes, qui exstant, codices (**B** et undecim alii) non *Samen*, sed *tamen* habent. *Samen* primus edidit Aldus pro voce corrupta *Samum*, quæ (sed ne hoc quidem certum) in codice **Mog.** fuisse fertur. Quare reponendum videtur : « ...pergit protinus navigare. Peloponnesum tamen » Zacynthumque, quia partis Ætolorum maluerant esse, protinus » depopulatus, Maleam petit... » Verba non jam discrepant, posito illo *tamen*, cujus sensus est *etsi pergebat navigare protinus, tamen...* Peloponnesus intellegi debet omnis ora Peloponnesi quæ C. Livio præterlegenda erat usque ad Maleam h. e. Elidis (quæ partium Ætolorum erat; cf. XXXVI, xxxi, 2) et Laconiæ. Nec est quod in memoranda Peloponneso Zacynthoque inversus ordo requiratur : prior enim Elis occurrere C. Livio debuit, Corcyra venienti. Retinendam hanc codicum lectionem jam ante suasit Doujatius, cui, ne audiretur, nocuisse verisimile est spectatam hominis inscitiam solitamque Drakenborchii malevolentiam.

Cap. XLIV, 6. — (Quum duabus Romanæ classis navibus tres regiæ naves obviæ fuissent) **Madv.** : « Duæ regiæ unam circum» sistunt et... capiunt; una, quæ compari Marte concurrerat, » postquam captam alteram navem vidit, ...retro ad classem » refugit. » Vox *quæ* abest a codice **B** et ab decem Drakenborchianis. De **Mog.** nihil aliud docuit Gelenius, nisi eum exhibere *compari* pro vetusta lectione *pari* (**B** *cum pari*). Nisi fallor, recte dici nequit *ex duabus navibus una capitur, una refugit*, ita ut inter se respondeant utræque voces *una... una*, tanquam *una... altera*. Eas separari debuisse puto, narratione in duas partes divisa, hoc modo : « Duæ regiæ unam circumsistunt et... capiunt. Una compari Marte » concurrerat; postquam captam alteram navem vidit,... retro ad » classem refugit. » Ibi intellegendum *Una tantum ex duabus compari Marte concurrerat*. Vel si nulla offensio esset in vulgato, id juberent codices.

LIBER XXXVII

Cap. VI, 7. — **Vulg.** : « Perfecta videbatur res, quum aditus » consul idem illud responsum (Ætolis) retulit, quo fugati ab se» natu fuerant. » Haud dubie pro *retulit* reponendum *reddit*, etiam si non admonuisset Drak. ea verba sæpe a librariis commutata esse. Quare enim hoc uno in loco Livius ab omnium et ab suo ipsius usu desisceret? atque ita desisceret, ut notissimæ locutioni sensum non diversum modo, sed etiam plane contrarium adderet? Id ipsum repugnat, contraria iisdem verbis dici posse. Aliena prætendit Dukerus, præterquam poetica. Nam in Vergilianis illis exemplis *pauca refert*, *talia refert*, nusquam alibi respondendi significatio inest nisi in verbo *refert*, quod per translationem pro *respondet* positum est; hic vero, ubi vox *responsum* suas ipsa partes defendit, nihil causæ est, cur verbum *referre* migret in alterius significationem suamque propriam amittat.

Cap. XIV, 2. — (De L. Æmilio prætore ab Athenis in Asiam ad classem suam navigante.) **Vulg.** : « Audita clade Rhodiorum, » quum ipse duas tantum quinqueremes haberet, Epicratem cum » quattuor navibus in Asiam secum reduxit; prosecutæ etiam » apertæ Atheniensium naves sunt. Ægæo mari trajecit Chium. » Eodem... » Recte quidem, auctore Dukero, suppleta est vox *Chium*, in codicibus omissa; proxima enim (§ 4) ostendunt illuc trajecisse Æmilium. Sed illuc trajecisse Ægæo mari, perquam otiosum est, ne dicam subridiculum : quasi alia via ab Athenis ire Chium potuerit. Sic distinguenda fuit oratio : « ..prosecutæ etiam » apertæ Atheniensium naves sunt Ægæo mari. Trajecit Chium. » Quum enim metus esset ne regiis navibus occurreret Æmilius,

præsidii causa eum prosecutæ sunt Atheniensium naves, donec ad classem suam veniret, id est, toto Ægæo mari.

Cap. XVII, 6. — (Urbem Iasum, quam tenebat regium præsidium, quum Romani aggredi pararent, orant Iasensium exsules, ut oppugnatione abstineatur.) **Codd., Drak., Weiss.** : « Sibi exsilii » nullam aliam causam esse, quam fidem erga Romanos. Eadem vi » regiorum, qua ipsi pulsi sint, teneri eos, qui in urbe maneant. » Omnium Iasensium unam mentem esse, ut servitutem regiam » effugerent. » Illud *effugerent* Gronovius perplexe et obscure, ut in deteriore causa, tueri aggressus est; patet requiri saltem *effugiant*. Quare Madvigius, quum credatur in **Mog.** fuisse *effugere vellent* (dubia quidem ea ipsa res, auctore nec Carbachio nec Gelenio, sed Aldo), emendando reposuit *effugere velint*. Ibi quoque offendunt duæ res : deest enim pronomen, quod trahat particulam *ut*, et dici debebat *unam illam mentem esse, ut*; deinde supervacuum est verbum *velint*, et incommode iterat eundem sensum, quem jam attulit vox *mentem*; satis erat dici *effugiant*. Ceterum in assequenda sententia erratum esse opinor; neque enim in postremis verbis declarari Iasensium voluntatem, ut quæ in præcedentibus jam satis declarata sit, sed eam voluntatem dici manifestam fore, simul ac vi regiorum teneri Iasus desierit. Itaque, vix mutata una littera, legi censeo : « Omnium Iasensium unam mentem esse, ut servitutem » regiam effugerint. » h. e. fac modo effugerint. Quippe obstabat servitus, quominus eorum studia erumperent.

Cap. XXV, 5. — (Verba Antiochi regis de Romanis.) **Vulg.** : « Venire eos ad omnia regna tollenda, ut nullum usquam orbis » terrarum nisi Romanum imperium esset. » Ad hæc Madvigius : » Fortasse scribendum *usquam in orbe terrarum*. Volebat Antio- » chus alia præter Romanum relinqui in orbe terrarum imperia, » non alia orbis terrarum imperia. » Miror doctissimum virum non vidisse se rem actam agere, et verba *orbis terrarum* pendere ex adverbio *usquam*. Usitatior locutio est *usquam terrarum, usquam gentium*, quam ut allatis exemplis opus sit.

Cap. XXX, 3-4. — **Vulg.** : « Maxime tamen terrori hostibus » fuere (Rhodiæ naves), quæ ignes præ se portabant... Nam metu » ignis adversi regiæ naves, ne prora concurrerent, quum decli- » nassent, neque ipsæ ferire rostro hostem poterant et obliquas se » ipsæ ad ictus præbebant, et, si qua concurrerat, obruebatur in- » fuso igni... » Non apparet, cur timuerint regiæ naves, ne prora sua potissimum concurrerent, quum proræ non magis quam alii cuilibet navium parti timendum fuerit incendium. Rectius fuisset simpliciter dici *ne concurrerent*, sicut paulo post dictum est *si qua concurrerat*. Sed Rhodiarum navium prora terrori erat. Videndum igitur, ne legendum sit *ne proræ occurrerent*, id est adversus proram (*proraeob* pro *proracon*). Huc facit, quod, excepto **Mog.**, unde hæc sumpta sunt, codices habent *prope* (lege *prore*, id est *proræ*). Idem inest vitium in Weissenbornii scriptura *ne proræ concurrerent*.

Cap. XXXI, 9. — (Ubi describitur urbs Phocæa, in sinu maris ita posita, ut dextra lævaque mare ea tangeret, quum ex adverso artissimus terræ angulus in altum promineret.) **Vulg.** : « Inde in al- » tum lingua mille passuum excurrens medium fere sinum velut nota » distinguit. Ubi cohæret faucibus angustis, duos in utramque re- » gionem versos portus tutissimos habet. » Itane lingua cohæret faucibus angustis, id est, linguæ ipsi? Lingua duos portus habet? Profecto ea non de lingua, sed de urbe memorantur. Id autem monent et ipsi codices, qui excepto **Mog.**, pro *ubi* habent *urbs* vel *urb*; idem fuit in veteribus quoque editionibus, donec Gelenius monuit codicem suum præferre *ubi*. Male altera scriptura alteram fugavit, quum adjuvare inter se debuerint. Vix enim dubium est, quin earum vocum similitudo omissionis utrinque causa fuerit, et, sicut *ubi* in ceteris, ita *urbs* in **Mog.** exciderit. Legendum igitur : « Ubi » urbs cohæret faucibus angustis.. » h. e. in eo loco, ubi urbs artissimum illum angulum contingit.

Cap. XXXIV, 6. — (De filio P. Africani capto.) **Vulg.** : « Alii » (tradunt), postquam transitum in Asiam est,.. cum duobus equi- » tibus oppressum, ita ad regem deductum esse. » Pro *est* Madvigius scribendum putat *sit*. Immo *ēet*, h. e. *esset*.

Cap. XLIII, 9. — **Codd., Drak., Weiss.** : « Ceterum fugien- » tibus major pestis, intermixtis quadrigis elephantisque et » camelis erat, et sua ipsorum turba, quum... » Madvigius, quum posteriorem vocem *et* monuisset nec pro *atque* nec pro *etiam* accipi posse, eam sustulit (..*camelis, erat sua*..). Malim ego : « Ceterum fugientibus major pestis... erat ex sua ipsorum » turba... »

Cap. XLIV, 2. — (In prœlio ad Magnesiam) « Romanorum ali- » quot vulnerati sunt; ceciderunt non plus trecenti pedites. » Mira res, aliquot tantum Romanorum vulneratos esse, quum trecenti

perierint, et quidem quum hostium cæsa sint plus quinquaginta millia. Ad hoc, verba *non plus trecenti* indicare videntur, numerum eorum, qui ceciderunt, minorem fuisse quam pro numero vulneratorum. Videndum ne post *aliquot* exciderit littera *m̄*, et legendum sit *Romanorum aliquot millia vulnerati sunt*.

Cap. LI, 9. — (Quum L. Scipionis litteræ Romam allatæ essent de rege Antiocho ad Magnesiam devicto.) **Weiss.** : « Quæ (litteræ) » non tantum gaudium ab recenti metu attulerunt (desierant enim » victum in Ætolia metuere), quam a vetere fama, quod ineunti» bus id bellum gravis hostis... visus fuerat. » Verba *a vetere fama* pro codicum verbis *averterunt famam*, auctore Rubenio, recepta sunt; qua sagacissima conjectura ait Madvigius hunc locum sanatum. Eam fateor speciosiorem mihi quam rectiorem videri, ejusque vitium apparitúrum fuisse, nisi arrisisset et fucum fecisset contrariorum relatio *ab recenti... a vetere*. Ut enim satis liqueat, quid sit *afferre gaudium a vetere fama*, et non mirum videatur, homines ideo recurrere ad veterem famam, ne nihil habeant, unde gaudeant, ne tum quidem sententia verbaque reprehensione carent. Sententia secum pugnat : qui dicitur gaudere minus ob recentem metum quam ob aliam rem, eum patet nuper metuisse ; tamen toto hoc bello Asiatico non metuisse statim post dicitur. Nec defendi potest, recentem metum ibi positum esse tanquam fictam rem, ne forte quis opinaretur ex tali causa ortum esse gaudium ; tunc enim dicendum fuisset, non *ab recenti metu*, sed *ab ullo recenti metu*. Deinde offendit *tantum quam* pro *tantum quantum*. Scio quidem aliquot exempla similia reperta esse ; sed, quæ fides iis habenda sit, vel ex eo apparet, quod in hoc ipso loco duo eorum attulit Drak., utraque, ut videtur, vana. Namque VI, IX, 9, ubi laudavit *non tanta spe quam*, nunc ab omnibus editur *non tam a spe quam* ; item XXVI, I, 3, ubi legitur *non ab ira tantum... quam quod*, verisimilius, ut docuimus, legendum est *non ab ira tantum... etiam quod*. Denique ad universam suspicionem accedit, quod nomen *gaudium* loco non suo positum est ; illum enim ordinem receptus sensus postulabat : *non tantum ab recenti metu gaudium attulerunt, quam a vetere fama*. Itaque legi censeo : « Quæ non tantum » gaudium, absenti metu, attulerunt (desierant enim victum in » Ætolia metuere), quantum verterunt famam, quod ineuntibus id » bellum gravis hostis... visus fuerat. » Hæc sicut omni repugnantia vacare, ita propius codices stare puto (*absenti* pro *ab'centi, quantū* pro *quama*). Prioris enim mendi illa videtur fuisse causa, quod, quum in vocem *absenti* male irrepsisset compendii signum aut signo similis aliqua macula, inde factum est *ab'centi*, tum *ab recenti*. Madvigius ceteram quidem Weissenbornii scripturam secutus est, sed in parenthesi post *Ætolia* addidit *regem*, perspicuitatis causa. In hac parte scrupulum Gelenius attulit, monens legendum esse *victam Ætoliam* ; quæ si vera codicis **Mog.** lectio fuit, conjici potest *desierant enim victa Ætolia metuere*, ut ea verba temporis potius, quam rei gestæ, significationem habeant, h. e. *post victam Ætoliam*.

Cap. LII, 5. — (Verba Eumenis regis ad Patres.) **Vulg.** : « Sua » deinde merita malle eos ex imperatoribus suis legatisque, quam » se commemorante, cognoscere dixit. » Omnes codices veteresque editiones *cognosci*. Minor igitur mutatio sit, si legatur *malle eis... cognosci dixit*. — Paulo post (§ 6), in verbis *si quo possit* hæreo, nec tale quicquam apud Livium memini me legere. Forte *si qua possit*.

Cap. LIII, 7. — **Vulg.** : « In aliis rebus cessisse intra finem » juris mei cuilibet videri malim, quam... » Rectius codex **Mog.** *mallem*. Is enim sensus est : si de aliis rebus ageretur, mallem...

Cap. LIV, 15-16. — (Ex oratione Rhodiorum ad senatum.) « **Vulg.**: Alia enim aliis et honesta est et probabilis causa armorum. » Illi agrum, hi vicos, hi oppida, hi portus oramque aliquam maris ut » possideant ; vos nec cupistis hæc, antequam haberetis, nec nunc... » cupere potestis. Pro dignitate et gloria apud omne humanum » genus... pugnastis. Quæ parare et quærere arduum fuit, nescio » an tueri difficilius sit. » Omnia hæc disjecta obscuraque sunt. Periodus *Illi agrum... ut possideant* verbo caret ; nec suppetit unde verbum ullum arcessatur, sive præcedentia, sive sequentia respicias. Deinde præteritum *pugnastis* universum loci tenorem abrumpit, oratione ex sententiis communibus ad rem singularem subito conversa. Postremo verba *Quæ parare... difficilius sit*, a præcedentibus separata, quid sibi velint, haud facile quis excogitaverit ; adeo ut editores quidam ab his verbis novam aliquam sententiam incipere crediderint. Id autem falso ; nihil enim ea cohærere cum sequentibus ostendit reliqua oratio, ubi una illa res agitur, Græciæ patrocinium a Romanis non deserendum esse : profecto non hoc patrocinium tanquam res ardua proponi Romanis debuit (*tueri difficilius*). Sed

opportune præsto est Polybius, unde doceamur, postrema ea verba a superioribus non disjungenda fuisse, neque usquam alio spectare, quam ad laudandum populum Romanum, hoc sensu : quas res, id est, dignitatem et gloriam, quanquam paratu arduas, parastis, et, quod fortasse difficilius est, tuemini. Hæc sunt Polybii verba : τίνος ἂν ἔτι δέοι πρόνοιαν ὑμᾶς ποιεῖσθαι τῆν ὀχυροτάτην; Δῆλον ὡς ἐπαίνου καὶ δόξης παρ' ἀνθρώποις, ἃ καὶ κτήσασθαι μέν ἐστι δυσχερὲς, δυσχερέστερον δὲ κτησαμένοις διαφυλάξαι (XXII, 6). Totus locus sic restituendus est : « ...Illi agrum, hi vicos, hi oppida, hi portus oramque aliquam » maris ut possideant; vos (nec cupistis hæc, antequam haberetis, » nec nunc... cupere potestis) pro dignitate et gloria apud omne » humanum genus... pugnatis, quæ parare et quærere arduum » fuit, nescio an tueri difficilius sit. » Initio verbum *pugnant* intellegi debere ex posteriore verbo *pugnatis,* nemo non videt. Universæ perturbationis auctor fuit Aldus, qui, pro verbo *pugnatis,* quod exhibent omnes nostri codices veteresque editiones, male reposuit *pugnastis,* codicem **Mog**., si Drakenborchio credideris, secutus.

Cap. LIV, 18. — (Ex eadem oratione.) **Codd., Drak., Weiss.** : « Non, quæ in solo modo antiquo sunt, Græcæ magis urbes sunt, » quam coloniæ earum. » Alienam vocem *modo,* a Creverio notatam, Madvigius uncis inclusit. Sed, sicut eam expungi oportet, ita aliam substitui; sensus enim requirit *quæ in solo suo antiquo sunt.* Immo id ipsum olim scriptum fuisse prope certum est : quippe aliquis scriba pro *suo* videre sibi visus est *m̄o,* usitatissimum vocis *modo* compendium, eamque ipsam vocem integram perscripsit.

Cap. LVI, 2. — (ubi ademptas Antiocho provincias senatus Eumeni regi Rhodiisque assignat.) **Vulg.** : « De summa rerum » senatus constituit : Lycaoniam omnem, et Phrygiam utramque, » et Mysiam, regias silvas, et Lydiæ Ioniæque, extra ea oppida, » quæ libera fuissent, quo die cum rege Antiocho pugnatum est, » et nominatim Magnesiam ad Sipylum, et Cariam, quæ Hydrela » appellatur... : hæc omnia, quæ supra scripta sunt, regi Eumeni » jussa dari. Rhodiis Lycia data... » Bene Madvigius, quod has primus notavit *regias silvas,* nulli non incognitas, praveque hic inter nomina regionum positas, tanquam non in aliqua regione, sed regio aliqua ipsæ fuerint. Et hinc æstimandum, quæ fides habenda sit interpretum silentio : patet omnes, quem locum non intellexerint, de eo tacuisse. Et sic etiam nunc nimio plures. Quanto

melius olim bonus ille Glareanus, cujus hæc usitatissima erat adnotatio : « non intelligo » ! Et merito id quidem fere semper ; itaque plus de Livio meruit ingenue monendo, quam multi alii per longos sermones. Ceterum hactenus laudandus Madvigius : ejus enim conjectura *Mysiam regiam et Milyas* haudquaquam probabilis est. Primum senatus, quum de summa tantum constitueret, de illo Asiæ angulo Milyade curare non debuit. Deinde dici oportuit, non Milyas (quod nomen incolarum esse monet Madvigius), sed Milyada, quoniam ceteræ omnes regiones nomine suo, non incolarum, appellantur. Postremo Milyas incommodo loco inter Mysiam Lydiamque ponitur, quum sita fuerit inter Lycaoniam Lydiamque (et sic Livius XXXVIII, xxxix, 16, non, id quod ait Madvigius, eodem loco). Omitto quod ex earum regiarum silvarum interitu nata est *Mysia regia,* perplexa res et ipsa : nam et Antiochus et Prusia et Eumenes æque reges erant, et partem Mysiæ possederant. Id tamen qualecunque commentum Madvigius Livio confidenter adscripsit. Sed hujus loci alterum vitium animadvertere oportet, nullum verbum inveniri, ex quo pendeant omnes hi accusativi *Lycaoniam, Phrygiam,* etc. Scio quidem plerosque doctorum virorum id olim admodum indulgenter passos : ἀνακόλουθον enim esse; neque ultra inquirebatur. At ista ἀνακόλουθα adeo suspecta habeo (eorum enim multa jam expulere aut ipsi codices diligentius inspecti aut sagacior interpretatio), ut verbum latere sub his vocibus *regias silvas* statim non dubitaverim, legendumque censeam : « Lycaoniam omnem et » Phrygiam utramque et Mysiam regi assignat, et... » *Assignare* proprie dici de agris distribuendis omnes norunt, nec fere aliud Livius verbum usurpat in constituendis coloniis. Ibidem pro *Lydiæ Ioniæque,* quod non habet unde pendeat, Creverius monuit legendum esse *Lydiam Ioniamque.* Eam emendationem, et necessariam et levem (nihil enim sæpius occurrit quam *ae* et *am* confundi), sprevere adhuc vel audacissimi editores. Ex iis, quæ dixi, sequitur sic infra (§ 4) interpungendum esse : « ...fuisset. Hæc omnia, quæ » supra scripta sunt, regi Eumeni jussa dari; Rhodiis Lycia » data... »

Cap. LX, 1-2. — **Vulg.** (ex **Mog.**) : « Eodem fere tempore et Cn. » Manlius consul in Asiam et Q. Fabius Labeo prætor ad classem » venit. Ceterum consuli non deerat cum Gallis belli materia; mare » pacatum erat devicto Antiocho. Cogitanti Q. Fabio, cui rei » potissimum insisteret, ne otiosam provinciam habuisse videri

» posset, optimum visum est in Cretam insulam trajicere. » Olim edebatur : ...*mare pacatum erat devicto Antiocho, cogitantique Fabio*..., quæ lectio, a codice **B** ceterisque confirmata, et cui ne **Mog.** quidem obstat, unice vera est et restitui debet. Postquam enim consuli belli cum Gallis, Fabio belli maritimi cura evenerat, apparet, sicut in priore parte nomina *consuli* et *Gallis* conjuncta sint, ita in posteriore nomina *mare* et *Fabio* disjungi non posse. Illa enim est sententiæ summa : consuli quidem materia belli cum Gallis suppetebat; sed Fabius, mari pacato, cogitabat quid ageret.

LIBER XXXVIII

Cap. I, 3-5. — **Madv.** : « Exsulanti tum Amynandro in Ætolia » litteris suorum... spes recuperandi regni facta est; remissique » nuntii ab eo ad principes Argitheam (id enim caput Athamaniæ » erat),si popularium animos satis perspectos haberet, impetrato » ab Ætolis auxilio, in Athamaniam se venturum. Agit deinde cum » delectis Ætolorum, quod consilium est gentis, et Nicandro præ- » tore; quos ubi ad omnia paratos esse vidit, certiores subinde » facit, quo die cum exercitu Athamaniam ingressurus esset. » Quattuor primo fuerunt conjurati... » Hæc Madvigius ex codice **Mog.**, auctore Modio, sumpsit, nisi quod ipse supplevit duas voces *Agit deinde,* et paulo infra scripsit *consilium est* pro *consilium esset.* Ex ea scriptura, hi homines, quos Amynander ad omnia paratos videt et de adventu suo certiores facit, hi sunt Ætoli. Scilicet nuntiat Ætolis, quo die cum exercitu Ætolorum in Athamaniam venturus sit? quum interim Athamanibus ipsis nihil nuntiat? nec jam curat eorum animos, id quod velle se dixerat, perspectos habere? Quid? illi ipsi conjurati, quorum consilia factaque deinde memorantur, hi quoque sunt Ætoli? Luce clarius est, jam inde a verbis *Quos ubi ad omnia paratos vidit,* de Athamanibus agi, iisque ipsis verbis illud declarari, quod ante rogaverat Amynander, nempe quinam forent popularium animi. Legendum : « ...remissique nuntii (h. e. renun- » tiavitque Amynander)..si popularium animos satis perspectos ha- » beret, impetrato ab Ætolis auxilio, in Athamaniam se venturum; » sic constitutum cum delectis, quod consilium esset gentis, et Ni- » candro prætore. Quos ubi ad omnia paratos vidit... » Ita de delectis Nicandroque (ut indicio est conjunctivus *esset*) non agitur, nisi in

ipsis Amynandri litteris nuntiisve; ideoque verba *quos paratos* ad Athamanes jam pertinent. In forma *id constitutum*, aliave qua simili (nam verba ipsa nec definio, nec definiri possunt), facile apparet omissionis causam fuisse ultimam syllabam præcedentis verbi *venturum*.

CAP. X, 3. — **Vulg.** : « (Philippus) Dolopas Amphilochosque et » Athamaniam ereptas sibi querens... » Docere debuerunt, qui ita edidere, qua arte rem expedire ipsi sibi visi sint. Ego Creverio assentior, scribendum esse *erepta* vel *ereptam*.

CAP. XI, 2. — **Codd.** : « Diu jactati Ætoli tandem, ut ad condi- » ciones pacis convenirent, effecerunt. » Hæc retinebant veteres editiones, quum Gelenius : « Lege, inquit, *ut condiciones*, non *ut ad* « *condiciones* » ; nec plura. Ibi vero difficile contendatur Gelenium codicis sui lectionem attulisse : duos enim in eadem brevi adnotatione locos complectitur, quorum in altero id, quod suadet, ex codice promptum monet, huic alteri nihil aliud præponit, nisi *Lege*. Manifesta ea est emendatio, neque aliter Drakenborchio visum est. Tamen eam recepere omnes editores, etsi Weissenbornius, in tanto codicum superstitum consensu, aliquid latere suspicatus est. Nihil arbitror ego latere, sed recte se habere codicum scripturam, vulgatam vero ab rebus ante dictis plane abhorrere. Ætoli enim, bello fracti nec jam spei quicquam in armis habentes, legatos consuli miserant, qui pacem, non disceptarent, sed implorarent acciperentque (XXXVIII, IX, 12). Inde rejecti ad senatum quum Romam venissent, eos senatus ne admittere quidem dignatus erat, sed Rhodios tantum Atheniensesque deprecatores audierat. Quid igitur efficere ipsi potuerunt Ætoli, cum quibus nullum adhuc fuerat colloquium? circumire quidem senatorum domos, ut ad pacem inclinarentur singulorum animi; ut autem de condicionibus conveniret, opus fuit adito senatu. Ad hoc, de condicionibus nequaquam agi poterat, quum in ea fortuna essent Ætoli, ut ne iniquissimas quidem detrectarent; de pace ipsa agebatur, aut concedenda ab senatu, aut neganda. Quare is sensus esse debet : ut venirent ad audiendas pacis condiciones. Forsitan offendat *convenirent* pro simplici *venirent* dictum. Sed meminisse oportet *convenire* proprie dici de iis qui ad conventum veniunt, sive ad eum magistratum, qui conventum indixit et jus dicturus est, sive in id forum atque ad eam jurisdictionem, ex qua quisque pendet. Quam locutionem ex usu forensi ideo sumpsisse videtur Livius, quo magis appareret, Ætolos non

tanquam fœderis pactores, sed tanquam belli reos, neque ad pacis disceptatores, sed arbitros, venisse. De quo qui dubitaverit, eum respicere velim ad illud ipsius fœderis exordium : « Im- » perium majestatemque populi Romani gens Ætolorum con- » servato sine dolo malo. » Utrum ea formula est populorum societatem ultro ineuntium, an hinc domini jubentis, illinc subjecti et in dicionem concedentis? Itaque codicum verbis, præsertim aptiorem sensum præferentibus, standum est. Mirum vero est, quibus adeo displicuit verbum *convenirent,* ut aliquid recidere vellent, eos non potius primam hujus verbi syllabam, quam vocem *ad,* recidisse; nisi si vera eos sententia fefellit.

CAP. XV, 2. — **Drak.** : « Postero die est præter Caralitin palu- » dem agmen ductum. » In ea codicis **Mog.**, certe Gelenii, lectione, verbum *est,* improbabili loco positum, Madvigius uncis inclusit. **B** ceterique habent *et*, quod receptum Weissenbornius eodem modo damnavit. Uncis liberandam eam vocem *et* arbitror. Is enim sensus esse videtur : transierunt Caralitin quoque paludem, sicut pridie Caularem amnem transierant.

CAP. XVIII, 12. — **Drak.**, **Weiss.**: « (Urbs Gordium) tria » maria pari ferme distantia intervallo habet, Hellespontum, ad » Sinopen, et alterius oræ littora, qua Cilices maritimi colunt. » Non recte verba *ad Sinopen* ponuntur tanquam maris alicujus nomen. His offensus Freinshemius legi jussit *Hellespontum, Pontum ad Sinopen, et...,* quam lectionem recepit Madvigius, addito tamen *et* ante *Pontum*. Ea autem prioribus vix meliora sunt. Quis enim tria marium nomina agnoscat in his *Hellespontum et Pontum et littora Cilicum*? Utique dicendum erat *mare Cilicum*. Præterea, quid sibi volunt verba *ad Sinopen*, quum nihil ejusmodi ad duo cetera maria adjectum sit? An hæc utraque pluribus locis adiri potuerunt, Pontus uno? Haud dubie editores fefellit Livii sententia, etsi partem ejus sensit indicavitque Gronovius. Primum animadverti oportet, Sinopen non ea mente ibi memorari, tanquam quæ Ponticarum urbium proxima Gordio fuerit; a Gordio enim duplo longiore itinere distat Sinope quam Heraclea Pontica. Deinde non ea Livio tribuenda est regionum ignorantia, ut putaverit pari intervallo a Gordio distare Ponticum et Ægæum et Cilicium mare. Id enim nequaquam de maribus ipsis, sed de iis tantum locis, quos memorat, verum est. Itaque non maria ipsa, sed frequentissima eorum marium emporia voluit, neque in Hellesponto mare intuitus est, sed regionem,

ut si, verbi gratia, dixisset Abydum. His ita intellectis, redeundum est, ut suasit Gronovius, ad veterem illam lectionem, quæ ante Gelenium obtinuerat, atque in uno recentiorum codicum reperta est : « Tria maria pari ferme distantia intervallo habet, ad Hellespontum, » ad Sinopen, et alterius oræ littora, qua Cilices maritimi colunt. » Non diserte nominantur tria hæc maria, nec absolute a Gordio pariter distare dicuntur, sed si respexeris qua potissimum adiri ea solita fuerint.

Cap. XXVII, 6. — **Vulg.** : « Consul... eos, qui in cornibus » fuerant, protinus ad sequendos hostes misit. Per aliquantum » spatium secuti non plus tamen octo millia hominum in fuga » (nam pugna nulla fuit) ceciderunt; reliqui flumen Halyn traje» cerunt. » Hoc perinde valet, ac si dicatur : qui Gallos fugientes secuti sunt, eos in fuga ceciderunt; quasi fugientes aliter quam in fuga cædi potuerint. Male in unam periodum duæ coaluerunt. Earum posterior nulla alia medicina eget, nisi puncto post *secuti* posito : « ..secuti. Non plus tamen octo millia hominum in fuga... ceci» derunt (ex *cado*, non *cædo*). » Id aptius multo cum sequenti sermone congruit; nam utrinque Galli intelleguntur. Quod ad priorem partem attinet, ibi valde suspectum est *aliquantum spatium,* quod dicendi genus neque apud Ciceronem usquam occurrit, neque satis certis apud Livium confirmatur exemplis. Certe alterius generis (*aliquantum spatii*) plurima exempla Drakenborchius ad XXI, xxviii, 11 attulit, hujus duo tantum, inter quæ hoc ipsum, de quo nunc agitur. Legendum videtur (nam desideratur verbum) *spatiisūt* pro *spatium* : « Per aliquantum spatii sunt secuti. » Forma *sunt secuti* pro *secuti sunt* perfamiliaris Livio fuit.

Cap. XXVIII, 6. — (De quattuor Cephalleniæ civitatibus, obsides populo Romano dantibus.) **Drak.** : « Obsides inde imperatos pro » viribus inopis populi, vicenos Nesiotæ, Cranii, Palenses et Samæi » dederunt. » Hæc Gelenius ex **Mog.** edidit, integrane an ab ipso emendata, incertum. **B** ceterique codices habent *populi vicenos autem grannoni palenses*; præterea **B** *inopes.* Quum hi *Nesiotæ* prorsus incogniti sint, constet autem in Cephallenia fuisse quartum populum, quem Thucydides (II, 10) vocat Προνναίους, Strabo (X, ii, 13) Πρώνησον, Madvigius, revocato illo nomine, edidit : « ...inopes » populi quadraginta Pronnæi, vicenos autem Cranii... » Weiss., omissis seu Nesiotis seu Pronnæis, lacunæ signum ibi apposuit. In Madvigii lectione, vocis *inopes* nullus alius sensus esse potest, nisi Romanos ideo hoc obsidum numero fuisse contentos, quia ii quattuor populi inopes fuerint, plus petituros, si opulenti fuissent; quod ferri nequit, si meminerimus, Antiocho, tam opulento regi, viginti tantum obsides imperatos fuisse (XXXVII, xlv, 16). Inde colligendum est, eam vocem non ad omnes hos populos, sed ad unum tantummodo, tribus ceteris inopiorem, referri debere, et propius vero futurum fuisse, si scripsisset Madvigius *decem Pronnæi.* Ceterum, præter unam litteram X, integra omnia ex vestigiis codicis **Mog.** erui possunt, ita ut legatur : « Obsides inde, imperatos pro » viribus, inopes Pronesii decem, vicenos autem Cranii, Palenses » et Samæi dederunt. » Etenim verisimile est eam scripturam, quam attulit Gelenius, in codice **Mog.** aut in archetypo fuisse *inopis p' XX nesiotæ,* quod ipsum, male posito numero, ortum videtur ex *inopis p'nesi XX otæ.* Illud *otæ* nihil aliud esse quam *autem,* ceteri omnes codices demonstrant. Ita in hac lectione nihil deficit, nisi una littera X, quam addidi. Animadvertendum denique est, illam trajectionem, quam codici imputavi, fortasse ipsi Gelenio, perperam emendanti, imputandam esse.

Cap. XXVIII, 8.— (De Samæis rebellantibus, metu ne demigrare cogerentur ab Romanis.) **Weiss.** : « Ceterum ipsine sibi eum » finxerint metum et timore vano quietum excitaverint malum, an » jactata sermonis res apud Romanos perlata ad eos sit, nihil » comperti est. » Hæc est lectio non modo codicis **B** ceterorumque, sed etiam veterum editionum ipsiusque Moguntinæ, nisi quod in plerisque scriptum est *excitaverunt*, mendose. Ad ea Gelenius : « Legendum *timore vano quietem exuerunt,* non *timore vano quietum* » *excitaverunt malum.* » Ne minimum quidem indicium est, ex ullo codice ea Gelenium attulisse; immo, si reputaverimus quoties laudatis aliis lectionibus auctoritatem codicum suorum diserte prætenderit (cf. apud nos XXXVI, xxiv, 6), prope certum est meram eam emendationem esse. Tamen et Modius ibi indignatus est in Moguntinos, quasi quicquam de eorum fraude compertum habuerit, et Drakenborchius Madvigiusque Gelenianam scripturam recipere non dubitaverunt. At ea, præterquam ob incertam originem, etiam per se in suspicionem venit. Quid enim opus est post *finxerint metum* adjici *timore vano*, quum nihil deinde occurrat, quod hujus redundantiæ rationem aut excusationem afferat? Par quidem in altera lectione vitium est; sed ibi facile corrigi potest, collatis aliis Livii locis (ut XLI, xxiii, 17 : *vanusne hic timor noster an verus fuerit*).

Legendum videtur : « Ceterum ipsine sibi eum finxerint metum et » timore vano verum excitaverint malum.. », ita ut vox *sibi* pariter ad *finxerint* et ad *excitaverint* referatur. Ibi redundantiam levat contrariorum relatio *vano verum*. Vox *verum* prope incorrupta inest in voce *quietum*; sed superest littera *q*, sub qua fortasse aliud quid etiamnum latet.

CAP. XXIX, 3. — **Vulg.** : « Una ad coercendos inventa haud » magna memoratu res est. Centum funditores ab Ægio et Patris » et Dymis acciti. » Melius decursuram orationem reor, si post *res est* comma, non punctum, ponatur, ut reliqua pro appositione sint. Nec præterea pronomen *eos* post *coercendos* videtur omitti posse.

CAP. XXIX, 10. — **Madv.** : « Romani nocte per arcem, quam » Cyneatidem vocant (nam urbs, in mare devexa, in occidentem » vergit), muro superato, in forum pervenerunt. » Vocem *Cyneatidem*, ex codice **Mog.** sumptam, Madvigius signo notavit. Ceteri edidere *Cyatidem*; codices enim ibi mire variant. Sed ex Livii enarratione patet, id nomen, quodcunque fuit, cognationem aliquam habuisse cum situ ipsius urbis, mare ad occidentem spectantis. Quare legi censeo *Cyanitidem*, id est, cæruleam, ex Græca voce κυανῖτις-ιδος.

CAP. XXXIII, 2. — Ibi restituenda est codicum lectio *pollicentes* pro vulgata *pollicens*. Frustra contendit Drak., si recipiatur *pollicentes*, non posse infra retineri *depoposcerat* singulari numero : quidni retineatur, quum prior periodus tota pendeat ex verbo *misit*?

CAP. XLVI, 15. — (De consulibus in provinciam Liguriam nuperrime profectis.) **Vulg.** : « Merito ergo a vobis, prospere bello gesto, » triumphum petent, quibus auctoribus gesserunt. » Id bellum non modo gestum, sed ne inceptum quidem erat : de futuro tempore necesse est dici *quibus auctoribus gesserint*, quod præfert unus recentiorum codicum.

CAP. LIII, 9. — (De P. Africano.) **Codd., Drak.** : « Vir memo» rabilis : bellicis tamen quam pacis artibus memorabilior prima » pars vitæ quam postrema fuit, quia... » Ferri hæc non posse quum viderent, Weiss. lacunæ signum posuit post *memorabilior*, Madvigius duabus suppletis vocibus scripsit *memorabilior, et illustrior prima pars...* Non facile crediderim Livium dixisse *bellicis quam pacis* pro *belli quam pacis*. Ideo *bellicis* ortum videtur ex depravatione duarum vocum in unam coalescentium, quum olim scriptum fuisset : « Vir memorabilis, belli magis tamen quam pacis » artibus. Memorabilior prima pars vitæ quam postrema fuit, » quia... »

CAP. LVI, 3. — (De statua P. Africani.) **Vulg.** : « ...quam tem» pestate disjectam nuper vidimus ipsi. » Non contra codices modo, sed etiam deteriore sensu Madvigius scripsit *dejectam*. Nihil enim causæ est, cur stratam humi relicturi fuerint eam statuam homines, si dejecta tantum, non disjecta, fuisset.

CAP. LVI, 9. — **Madv.** : « Legatum in Etruria fuisse Africanum » tradunt, quo post famam de fratris casu allatam, relicta lega» tione, cucurrisse eum Romam. » Durissime dictum Madvigio videtur *quo post famam allatam* pro *et post famam eo allatam*; ideoque suspicatur aliquid hujusmodi fuisse : *tradunt adduntque post famam*. Minore conatu sic corrigendum : « ...tradunt, qua, » post famam de fratris casu allatam, relicta legatione..., » h. e. et ea legatione relicta.

CAP. LIX, 3. — **Codd.** : « ..an præter omnium oculos tantum » auri argentique in triumpho L. Scipionis, quantum non decem » aliis triumphis, si omne in unum conferatur, sit latum? » In primaria sententia nec deesse verbum, nec subaudiri *latum esse* potest. Quare Madvigius in fine delevit *sit*, ita ut ad *latum* intellegatur *esse*. Nihil delendum opinor, sed pro *tantum* (*tãtum*) scribi debere *latum*; sæpe enim eæ voces commutatæ reperiuntur.

LIBER XXXIX

CAP. IV, 4. — (Quum M. Fulvius proconsul triumphum, absentibus consulibus, a senatu peteret) **Vulg.**: « M. Aburius, tribunus » plebis, si quid de ea re ante M. Æmilii consulis adventum decer» neretur, intercessurum se ostendit; eum contradicere velle, » proficiscentemque in provinciam ita sibi mandasse, uti ea » disceptatio integra in adventum suum servaretur; Fulvium » temporis jacturam facere; senatum, etiam consule præsente, quod » vellet, decreturum. Tum Fulvius, si aut simultas M. Æmilii » secum ignota esset, aut... » Voces *Tum Fulvius* a codicibus absunt; et pro voce *Fulvium* **Mog.** habet *Fulvii*, ceteri *Fulvius*. Supplemento *Tum Fulvius*, ex conjectura Mureti recepto, non modo non opus erat, sed etiam perversa est sententia. Præcedentis sententiæ illa quidem affertur interpretatio, Fulvium unius temporis jacturam facere. Illud autem *unius,* in quo totus vertitur sensus, poni debuerat; non ejusmodi verba omitti licet, quæ si omiseris, in contrariam partem abiturus sit sermo. Qui verbis ipsis stat, nec de suo quicquam addit, ei nihil ultra ibi intellegere licet, quam Fulvium vere temporis jacturam facere, quod quam inutile, quam parum congruens cum sequenti sermone sit, nemo non videt. Erraverunt qui, dum volunt ea verba Aburii esse, non Fulvii, codicum scripturam mutavere. Restituenda ea est : « M. Aburius... inter» cessurum se ostendit; eum contradicere velle, proficiscentemque » in provinciam ita sibi mandasse, uti ea disceptatio in adventum » suum servaretur. Fulvius temporis jacturam facere senatum; » etiam consule præsente, quod vellet, decreturum. Si aut simul» tas... » h. e. Fulvius respondit senatum frustra, si consulem

exspectet, temporis jacturam facturum esse, quippe qui, vel præsente consule, nihilominus decreturus sit, quod ipse velit. Neque mirum videri debet, induci Fulvii responsum per unum nomen *Fulvius*, nullo præposito adverbio (ut *tum, deinde*), quod ad alterum oratorem transiri ostendat : etenim ad similitudinem præcedentis periodi, exorsæ per *M. Aburius*, altera hæc periodus conformata est, ut nomina utraque inter se responderent. Nunc quod codex **Mog.** ab ceteris discrepat, præferendo *Fulvii* pro *Fulvius*, ea vero magis specie, quam re, discrepantia est; verisimile est scriptum fuisse antea *Fulvi'* (id est *Fulvius*), et compendii signum per incuriam abiisse in alterum *i*; quod ipsa confirmat consuetudo codicis **Mog.** aliorumque antiquorum, ubi non fere inveniias hujusmodi genitivos *Fulvii, ingenii,* sed *Fulvi*, *ingeni.*

CAP. IV, 11. — (Ubi queritur idem M. Fulvius, inimicum suum M. Æmilium consulem senatui auctorem fuisse, ut de capta Ambracia controversia fieret, utque de spoliatis Ambraciæ templis ad pontifices referretur.) **Vulg.** : « Jam de deorum immortalium » templis spoliatis in capta urbe qualem calumniam ad pontifices » attulerit? » Cur hæc Madvigio adeo displicuerint, ut lacunam suspicaretur, non assequor. Sed ex iis, quæ ibi videt, vitiis, unum certe manifestum est, insolenter in tali interrogatione usurpari conjunctivum modum, id est, dici *attulerit* pro *attulisse.* Quod opinor ortum esse ex mala distinctione, eumque sermonem cum superiore cohærere debuisse in hunc modum : « Quid ab eo » quemquam posse æqui exspectare, qui per infrequentiam furtim » senatus consultum factum ad ærarium detulerit, Ambraciam non » videri vi captam?... jam, de deorum immortalium templis spo» liatis in capta urbe, qui talem calumniam ad pontifices attulerit? » Verba *detulerit* et *attulerit* ex eadem interrogatione pendent, ideoque tantummodo inter se distant, quia crimini utrique sua statim adjecta est confutatio : nam, sicut calumniam de Ambracia capta sequitur oppugnationis periculorumque descriptio, ita calumniam de Ambraciæ templis sequitur Syracusanæ prædæ commemoratio. Quod autem scripsi *qui talem* pro *qualem,* eam ipse emendationem haud magni facio, nec dubito quin melior aliqua excogitetur; universam modo sententiæ formam restituisse satis sit.

CAP. VIII, 6. — (De Bacchanalium libidinibus flagitiisque.) **Codd., Weiss.** : « Quum vinum animos**, et nox et mixti feminis » mares, ætatis teneræ majoribus, discrimen omne pudoris

» exstinxissent, corruptelæ primum omnis generis fieri cœptæ. » Madvigius post *animos* supplevit *incendisset*. Primus Dukerus aliquid excidisse suspicatus erat, apte allato duplici Ovidii exemplo *Vina parant animos* (Art. am. 237 et Rem. am. 805). Si idem, quod Ovidius, ut verisimile est, voluit Livius, ad supplementum confugere fortasse non necesse est. Nam *animos parare* idem est quod *animare* (Tac. Germ. 29), et sub vocibus *animos et* latere potest *animasset*.

Cap. XXII, 1. — **Codd., Weiss.** : « [Decem] apparatos deinde » ludos M. Fulvius... fecit. » Vocem *decem* Madvigius prorsus delevit, lacunam præterea suspicatus. Verum ea ipsa, quæ relicta sunt, manca videntur. Nam dici solet *facere ludos apparatissimos* aut *magnifice apparatos*, non *facere ludos apparatos,* nisi vero fieri possint ludi non apparati; aliquid adjici opus est, quod definiat, quomodo ludi apparati sint. Atque ibi certum habeo fuisse, non *decem*, sed *decent'*, et legi debere *Decenter apparatos*. Et hic et multis aliis in locis non sine admiratione animadverti, editores vulgo ad emendandam codicum scripturam ea opinione accessisse, tanquam librarii nusquam notis compendiisque usi sint. — Statim infra, ubi editur *Athletarum quoque certamen tum primo Romanis spectaculo fuit,* non videtur recte dici *tum primo* pro *tum primum* (neque enim puto illud cuiquam in mentem venisse, ut *primo* jungatur cum *spectaculo*); nihil attinet afferri ex X, xv, 7 *quum primo vocatæ centuriæ*, ubi *quum* et *primo* nullam cognationem habent.

Cap. XXV, 4. — Ibi sic legendum : « In controversiam autem » veniebant Philippopolis, Tricca..., utrum Thessalorum juris, tum » vi ademptæ possessæque ab Ætolis, forent (nam Philippum » Ætolis ademisse eas constabat), an Ætolica antiquitus ea oppida » fuissent. » ita ut vox *tum* (codices *cum*) eundem sensum habeat, quem in locutione *quid tum?* Hoc est : utrum Thessalorum juris forent, injuria igitur ademptæ possessæque ab Ætolis, an...

Cap. XXXI, 6-7. — (Quum C. Calpurnius et L. Quinctius prætores ad Tagum flumen cum Hispanis dimicarent.) **Vulg.** : « Ipse » (Calpurnius) cum equitibus duarum legionum... ab latere incur» rit. Quinctius cum suis equitibus alterum hostium latus invadit. » Hæc falsa esse ex cetera narratione patet. Etenim duæ tantum legiones in ea pugna fuere, quinta Calpurnii et octava Quinctii (cap. xxx, 12). Postquam igitur duarum legionum equites ceperat Calpurnius, Quinctius non suos equites habere potuit, sed eos tantum, qui legionum non erant, id est, auxiliares. Eadem hic occurrit commutatio vocum *suis* et *aliis,* quam in quattuor aliis locis factam vidimus (cf. XXII, xv, 1; XXIV, xxvii, 8; XXX, xxxiii, 12; XL, li, 8). Legendum : « Quinctius cum aliis equitibus... » h. e. cum reliquis equitibus.

Cap. XXXIV, 8. — (Verba Philippi ad legatos Romanos, quum ii Romam mitti juberent Onomastum Casandrumque, cædis Maronitarum auctores.) **Vulg.** : « Casandrum, qui Maroneæ fuisset, si » utique vellent, se missurum dixit; ad Onomastum quidem quid » eam rem pertinere, qui non modo Maroneæ, sed ne in regione » quidem propinqua fuisset? » Hæc unde profecta sint, incertum est; namque omnes codices habent *quid ea pertinerent qui,* et ex **Mog.** illud unum traditum est : *quem utique si vellent se missurum.* Quidquid est, corrigenda videtur prava vox *quidem*, male post *Onomastum* ex sequenti versu attracta; atque, habita ibidem codicum ratione, legendum : « ..ad Onomastum autem quid ea perti» nere, ut qui non modo Maroneæ... » Si vera est, quæ codici **Mog.** tribuitur, lectio, conjici potest eum habuisse : « Casandrum quidem » Maroneæ fuisse; quem utique, si vellent, se missurum dixit : ad » Onomastum autem... » Sed hæc, ut in re incerta, verbo tenus.

Cap. XXXV, 7. — Madvigio assentior, Aldum ibi non sine causa asteriscum posuisse. Ante verba *ubi Areus* aliquid excidisse verisimile est hujusmodi : *Nec mirum esse*.

Cap. XXXVIII, 11. — (Facto senatus consulto, ut novi Hispaniæ prætores quattuor millia peditum Romanorum in Hispaniam scriberent.) **Codd., Drak.** : « Quum eas legiones quattuor descripsis» sent... » Miratus Gronovius quomodo ex tantulo numero fieri possent quattuor legiones (et addere poterat alia vitia, quæ reprehendit Madvigius, pronomen *eas* alienum esse, nullis ante commemoratis legionibus, tum legiones non describi, sed scribi), sensit ibi agi de militibus per legiones distribuendis, et legi jussit *Quum eos in legiones quattuor descripsissent*. Id receptum est, atque etiam nunc obtinet, etsi pravissimum. Non modo enim pronomen *eos* inepte refertur ad sociorum non minus quam Romanorum pedites, ut qui proxime dicti sint, sed etiam duæ tantum, non quattuor, legiones in Hispania tunc erant, quæ supplerentur. Ridicule vero, inter alias, illa suspicio jacta est, potuisse ibi Livium in scribendo numero dormitare. Misellum Livium, cui nullam insulsitatem non delegaverint ipsi sui editores! Sapiit Livius; immo ab ipsis librariis nihil

fere erratum est, nisi quod scripserunt *s* pro ī, omissa deinde una lineola. Fuerat olim : *cum ea ī legiones IV descripsissent,* id est, quum ea quattuor millia peditum Romanorum in legiones descripsissent.

Cap. XL, 7-8. — (De M. Porcio Catone.) **Vulg.** : « ...eloquen- » tissimus, nec is tantum cujus lingua vivo eo viguerit, monu- » mentum eloquentiæ nullum exstet; vivit immo vigetque eloquen- » tia ejus sacrata scriptis omnis generis. Orationes et pro se multæ » et pro aliis et in alios. » Postrema periodus *Orationes... in alios* et per se, nullo comparente verbo, nimis abrupta est, et, si sententiam respexeris, male a præcedente separata : nam eæ quoque orationes exstabant scriptæ, et inter monumenta eloquentiæ Catonis erant. Nec fingi potest, ea monumenta primum universa poni, deinde ad singula enumeranda transiri : nulla enim sequitur enumeratio. Una littera ibi erratum esse reor (*et* pro *st*), et legi debere : « ..vivit immo vigetque eloquentia ejus sacrata scriptis omnis ge- » neris, orationes sunt pro se multæ et pro aliis et in alios », ita ut, continuato sermonis tenore, intellegatur *sunt immo orationes ejus..* — Paulo supra (§ 5), pro *versatile*, ex codicum auctoritate *versabile* reponendum videtur; accedit quod vocis *versabilis* translate usurpatæ satis multa exempla sunt, vocis *versatilis* eo sensu nullum in lexicis reperitur, nisi hoc ipsum, Livio temere imputatum. — In hoc capite duobusque sequentibus, iterum ac tertium admirandi locus est, quam libere cum recepta scriptura a Madvigio actum sit. Nam § 12 in his : *qui sextum et octogesimum annum agens causam dixerit, ipse pro se oraverit scripseritque*, vocem *dixerit* uncis inclusit, nihil aliud causatus nisi illud, quia accusatus sit Cato, nihil in eo vivacis ingenii apparere. Quasi vero hominis cujuslibet sit, ea ætate in re publica adhuc versari et accusari. Aliter certe senserat Valerius Max., VIII, vii, 1 : « Cato sextum et octogesimum » annum agens, dum in re publica juvenili animo perstat, ab ini- » micis capitali crimine accusatus. » Tria verba *dixerit.. oraverit.. scripserit*, si nihil aliud, gradatio ipsa tueri debuit. Deinde cap. XLI, 1, ubi codices alii habent *coierant*, aptissimum sententiæ verbum, alii *coegerant* aut *venerant*, Madvigius edidit *consenserant*, quod nusquam exstat, idque verbum codici **Mog.** adscripsit, nullo teste : nam quid valeret sollemne Gelenii « legendum », hoc ipso in loco docuerunt Glareanus et Sigonius et Lipsius et Modius et Gronovius; uni Madvigio Gelenius pro codice **Mog.** habitus est.

Denique cap. XLII, ix, ubi, ex auctoritate omnium, de quibus constat, codicum et ipsius editionis Moguntinæ, vulgo scribitur *ut obsequium amatori venditaret*, Madvigius, pro *venditaret*, reposuit *jactaret*, atque eam Aldinam lectionem, tanquam haud dubia res sit Aldum codice **Mog.** usum esse, æque confidenter codici **Mog.** tribuit, addita deinde illa adnotatione : « Venditat rem, qui emptorem » ei quærit; hic obsequium jactabat ei, cui se jam tradiderat. » Erravit igitur Cicero, qui, vel emptione facta, venditationi adhuc locum esse putavit; cf. De Arusp. 1 : *quum ei se, cui totus venierat, etiam vobis inspectantibus, venditaret.*

Cap. XLIII, 1. — (Narrato L. Quinctii atroci quodam facinore.) **Vulg.** : « Valerius Antias... aliud argumentum, simile tamen et » libidine et crudelitate peragit. » Diserte monuerunt Moguntini, in codice suo fuisse *et libidini et crudelitati*, quod ipsi quum edidissent, Aldus postea mutavit. Forte scribendum *simile tamen ei libidini et crudelitati*, h. e. simile ei argumento, quod de libidine et crudelitate L. Quinctii memoratum erat. Sic apud Cic. Nat. D. II, 61 : *vita beata par ac similis Deorum*, pro *vitæ deorum*. Item Verg. Æn. I, 193 : *numerum cum navibus æquat*, pro *cum numero navium*; aliaque multa.

Cap. XLVIII, 2. — Quum Lacedæmonii renuntiassent Achæis societatem, Achæi (XXXVIII, xxxiii), infesto exercitu Laconiam ingressi, primum auctores defectionis depoposcerunt; qui ubi in castra venerunt, alii, exorto tumultu, statim trucidati sunt, alii postridie damnati necatique. Deinde Lacedæmonii manere in Achaïco concilio coacti sunt, multique eorum exsilio multati. Hæc questuri legati Lacedæmoniorum in senatum introducuntur. **Madv.** : « Multæ et parvulæ disceptationes jactabantur ; sed quæ » maxime rem continerent, duæ erant : utrum restituerentur, » quos Achæi damnaverant, necne, inique an jure occidissent, quos » occiderant, certabatur, et utrum manerent in Achaïco concilio » Lacedæmonii, an, ut ante fuerat, secretum ejus unius in Pelopon- » neso civitatis jus esset. Restitui judiciaque facta tolli placuit, » Lacedæmonios manere in Achaïco concilio. » Codices ignorant vocem *duæ* ; tum, pro *certabatur*, habent *vertebatur*, quod Drak. et Weiss. retinuerunt, nullo sensu. Illud autem *certabatur* redundat; immo, sublato eo, commodius decurrit oratio. Multo vitiosior est vox addita *duæ*, quum tres ibi memorari disceptationes manifestum sit. Nam, etsi secundæ non præposita est vox *utrum* (quæ, opinor,

causa fuit, cur cum prima perperam confunderetur), tamen aliud est restitui exsules, aliud puniri interfectores. Inest et aliud vitium, cum cetero sermone non cohærere hujus secundæ interrogationis formam *inique an jure*. Invecta sunt ea vitia ; nam, præter unam litteram, recta erat codicum lectio, in hunc modum distincta : « quæ maxime rem continerent, erant, utrum restituerentur, quos » Achæi damnaverant, necne (inique an jure occidissent, quos occi- » derant, avertebatur), et utrum manerent in Achaïco concilio » Lacedæmonii, an... » Ita apparet, cur duæ tantum superfuerint disceptationes : tertia remota erat. Sed ne sic quidem voce *duæ* opus est : satis est bis poni *utrum*. Hanc lectionem confirmat ipsum, quod sequitur, senatus decretum, in quo de interfectis tacetur : nam verba *restitui judiciaque facta tolli* ad exsules solos pertinent; de interfectis nulla erant judicia, quæ tolli possent; ratam eis haberi mortem necesse fuit.

Cap. LII, 6. — (Quo tempore verisimile sit decessisse Africanum.) **Vulg.** : « Ita et vixisse in tribunatu Nævii videtur, diesque ei dici » ab eo potuisse, decessisse autem ante L. Valerii et M. Porcii cen- » suram. » Vocem *et* initio Madvigius delevit, Gelenio ibi quoque confisus, etsi is non diserte docuit, cujus codicis lectionem afferret, neque eam præcipue vocem in adnotatione sua intuitus est. Quum vero ea in ceteris codicibus exstet, pro legitima habenda videtur. Ceterum vitiosa est : recte enim ea respondere sequenti voci *autem*, ita ut intellegatur *et... et*, non potest. Præterea sententiæ aliquid deest : quippe id agitur, Africanus in tribunatu Nævii adhucne vixerit, non simpliciter vixeritne. Quapropter legendum puto : « Ita etiam » vixisse in tribunatu Nævii videtur... » Sæpe *et* pro *etiam* per compendium scripsere librarii.

Cap. LVI, 6. — **Vulg.** : « ..nuntiatumque erat, haud procul » Sicilia insulam, quæ non ante fuerat, novam editam e mari esse. » Inepte redundat *novam* post *quæ non ante fuerat*; alterutrum ex glossemate ortum videtur et tollendum. Alioquin conjici potest *quæ non ante fuerat nota, editam..*

LIBER XL

Cap. IV, 10. — **Codd., Drak.** : « Ibi die per sollemnes epulas » consumpto, navem... de tertia vigilia conscendunt, tanquam » redituri in Thessalonicam. » Vocem *in*, a Gronovio notatam, sustulerunt recentiores. Non video quid obstiterit quominus reponeretur *inde*, quod omnes sciunt per compendium scribi solere *in*.

Cap. V, 5. — (De eis, quos Perseus, quum perniciem Demetrio fratri machinaretur, tentaverat.) **Vulg.** : « Prospicientes animo » exitum incauti a fraterna fraude juvenis, adjuvandum, quod » futurum erat, rati, fovendamque spem potentioris, Perseo se » adjungunt. » Durius ibi asyndeton una littera corrupta effecit. Legendum : « Prospicientes animo exitum... juvenis, ac juvandum, » quod futurum erat, rati... »

Cap. V, 7. — **Codd.** : Simul, ut Demetrius in dies suspectior » esset, ex composito sermones ad spem Romanorum trahebant. » Drak. *ad spretionem*; Weiss. *ad rem*. Madvigius retinuit *spem*, sed apposito signo, monuitque scribendum videri *mentionem*. Nonne *opem*? Nam ope Romanorum adjuvari Demetrium constabat, neque ipse dissimulabat.

Cap. V, 13. — **Vulg.** : « Nec regem se alium rentur habituros, » nisi quem Romani dedissent. » Madvigius, ex Gelenii codicibus : » ... se alium habituros aiunt, nisi quem... » Idem pro verbo *dedissent*, ubi jam offenderant Gronovius Creveriusque, monet scribendum fuisse *dederint* aut *daturi sint*. Quum in priore parte codices aliquot habeant verbum *rentur*, quidam *aiunt*, plerique autem nullum, ibi potius suspicandum est vitium, quam in verbo *dedis-*

sent, quod in omnibus exstat. Verisimile est igitur, pro *rentur* sive *aiunt*, fuisse verbum præteriti temporis.

Cap. VIII, 11. — (Verba Philippi ad filios.) **Codd.**, **Drak.**, **Weiss.** : « Quoties ego audientibus vobis, detestatus exempla dis- » cordiarum fraternarum, horrendos eventus eorum retuli, quibus se » stirpemque suam, domos, regna, funditus evertissent? » Interpretari jubemur *horrendos eventus eorum exemplorum retuli, quibus eventibus ea exempla se evertissent*. Jure id Madvigio intolerabile visum est; ipse, Fabro auctore, scripsit *earum*, melius quidem, nec tamen expedite, quia ad verbum *evertissent* etiam audiendum est subjectum *exempla*. Forte pro *quibus* legendum *qui iis*, id est, *eventus eorum hominum*, *qui iis discordiis*.. Jam eidem Fabro Creverioque placuit *qui*.

Cap. X, 1. — (Ex oratione Persei ad Philippum patrem.) **Vulg.** : « Exsecrare nunc cupiditatem regni, et furias fraternas concita; » sed ne sint cæcæ, pater, exsecrationes tuæ. Discerne, dispice » insidiatorem et petitum insidiis; noxium incesse caput. Qui oc- » cisurus fratrem fuit, habeat etiam iratos paternos deos; qui » periturus fraterno scelere fuit, perfugium in patris misericordia » et justitia habeat. » Prava sunt verba *noxium incesse caput*. Quippe et quæ ea præcedit et quæ sequitur periodus, quemadmodum eadem forma prodeunt, ut bina membra sint utrique, ita eandem continuant sententiam, nempe noxium innocentemque non eodem loco habendos esse. Quorsum igitur ista interjecta verba, abrupta et conclusionis speciem præbentia? Saltem in fine poni debuerunt. Sed illud *incesse* invectum est ex conjectura Rubenii : codices habent *huic esse*. Ego sic legendum puto : « ... dispice insidiatorem » et petitum insidiis, noxium innocensque caput... » (*ĩnocẽsq*). Ex litteris HVICESSE si duas primas ita jungas ut cohæreant, fit IN; et relinquitur ICESSE, quod pro OCESQ scriptum fuisse non est mirabile.

Cap. X, 4. — Sequuntur hæc : « Quo enim alio confugiam, cui » non sollemne lustrale exercitus tui, non decursus militum, non » domus, non epulæ, non nox... tuta est? Si iero ad fratrem invi- » tatus, moriendum est; si recepero intra januam comissatum » fratrem, moriendum est. Nec eundo nec manendo insidias evito; » quo me conferam? » Facile videre est ibi Perseum, quæ supra copiose ac composite argumentatus erat, ea breviter vivideque colligere velle. Frigide igitur, postquam per interrogationem exorsus est (*Quo enim... tuta est?*), deinde ad argumentationis formam relabitur (*Si iero... evito*), quasi eadem illa non fusius jam ante disseruerit. Item frigide in fine resumit interrogationem *quo me conferam?* quæ, a priore interrogatione distracta remotaque, inanis repetitionis speciem præbet. In hunc modum distingui oportuit : « Quo enim alio confugiam, cui non... tuta est? si iero ad fratrem » invitatus, moriendum est, si recepero intra januam comissatum » fratrem, moriendum est? nec eundo nec manendo insidias evito? » Quo me conferam? » Ad verbum *moriendum est* audiendum esse pronomen *cui* ex superiore periodo liquet. Post autem ad verbum *evito* audiendum est *qui* nominativo casu; de qua casus mutatione cf. Madv. Gr. Lat. § 323, ejusdemque Em. Liv. XXXVI, VII, 4.

Cap. X, 10. — (Ex eadem oratione.) **Vulg.** : « Pro isto Ro- » mani stant,... pro isto Macedones, qui pace Romana gaudent : » mihi, præter te, pater, quid usquam aut spei aut præsidii est? » Hæc dicitur Aldus ex codice **Mog.** sanasse; namque omnes codices et vetustæ editiones exhibent *gaudebant*. Eos tamen non sine causa inter se consensisse opinor, sed in archetypo fuisse *gaudebãt*, errore pro *gaudẽtat* scriptum; inde legi debere *gaudent : at mihi...*

Cap. XI, 6. — (Ex eadem oratione.) **Vulg.** : « Superstes (et ita » sim, si merebor, ut ipse me esse velit), hereditatem regni, si » pater tradet, accipiam. » Hic non, ut sæpe alias, dubia, sed certissima allata est codicis **Mog.** scriptura *ut ipse me vult esse* : eam enim quum, una voce trajecta, prompsisset Modius, rursus rectiore ordine protulit Drakenborchius. Itaque ideo tantum neglecta jacuit, quia credita est minus sententiæ apta. Quod mihi quidem contra videtur. Vulgata, etsi elegantiam quandam olet, tamen verbosior est; neque apparet, quid ad sententiam conferant verba *ut ipse me esse velit*, quum rem jam confecerit ipsum verbum *merebor*. At altera aliquid novi affert, et quod cautum oratorem, in lubrico loco versantem, deceat. Jam enim salva aurium paternarum reverentia, et citra reprehensionem improbæ cupiditatis, Perseus mortem patris attingit, postquam hæc præfatur : *quoniam patres id optare solent, ut filios superstites habeant*, qui sensus est Moguntinæ lectionis. Itaque legi maluerim : « Superstes (et ita sim, si merebor), » ut ipse me vult esse, hereditatem... »

Cap. XI, 8. — (Ex eadem oratione.) **Vulg.** : « Obstat frater » major, ad quem jure, voluntate etiam patris regnum pertinet :

« tollatur ! non primus regnum fraterna cæde petiero; pater senex, » et filio solus orbatus, de se magis timebit, quam ut filii mortem » ulciscatur. » **Madv.** : « ..pater senex et [filio] solus [orbatus] » de se.. » Voces *filio orbatus* in contextum male irrepsisse, ut voluit Madvigius, haud incredibile est; præstat tamen corruptas tantum existimare, quia in ea certe parte codices Drakenborchii consentiunt cum Gelenii codicibus (plurium enim suorum codicum ille ibi fidem testatus est). Ceterum, præter id vitium, duæ aliæ res notandæ videntur. Primum, cur timeat Philippus? Num patrem, duos filios habentem, timere de se necesse est, postquam alter eorum obiit? Saltem aliquam periculi opinionem ex ea morte ortam indicari oportuit, ut, puta, fraterno scelere periisse filium, et alteri parricidio se patere. Præcedunt quidem verba *tollatur* et *cæde*; sed hominis secum scelus reputantis ea verba sunt; neque inde colligendum est tam apertum fore scelus, ut statim pateat auctor. Deinde quid sibi vult ingrata repetitio vocis *filii*? Nihil enim in sententia inest, propter quod repetatur. Dici debebat *ejus*, nisi si non de eodem filio, qui prius dictus est, agatur. Hinc maxime animum subiit, altero nomine Demetrium, altero Persea significari, et legi posse : « ..pater senex, et filii per scelus orbatus, de se magis » timebit, quam ut filii necem ulciscatur. » Animadvertendum est, non plus duas litteras depravatas fortasse fuisse, si putes archetypum habuisse *filipscelus* (altera littera *o* in apographis pro *p* posita, altera pro *ce*).

Cap. XII, 17. — (Ex Demetrii oratione.) **Codd., Drak., Weiss.** : « ... nisi T. Quinctium credis, cujus virtute et consiliis me nunc » arguis regi,... mihi fraternæ cædis fuisse auctorem. » Non injuria Creverius reprehendit vocem *virtute* : ea enim a verbo *arguis* abhorret, nec præterea de virtute Quinctii Perseus, ejus inimicus, quicquam dixit aut dicere debuit. Itaque reponi voluit *auctoritate*. Quæ vox quum longius discedere Madvigio videretur, ipse scripsit *nutu*, nec multo propius codices stans, et gradationis oblitus. Prætulerim ego *tu mente* (*tumēte*).

Cap. XIV, 1. — (Ex eadem oratione.) **Vulg.** : « Non est res, » qua erubescam, pater, si die festo inter æquales largiore vino » sum usus. Tu quoque velim inquiras, qua lætitia, quo lusu apud » me celebratum hesternum convivium sit. » Hærere me fateor in verbis *Tu quoque velim*, ubi una succurrit illa enarratio : quemadmodum prior Perseus eadem per speculatores suos inquisivit. Alienus est conjunctivus *velim*, pro quo dici oportuit *volo*, id est, *non recuso quin*. Ea enim quæstio, quæ per verbum *velim* postulari videtur, non modo jam certa erat, sed etiam incepta. Non jam id postulandum habebat Demetrius, ut quæstionem pater exerceret (eam ille tunc ipsum exercebat), sed illud, ut in ea quæstione aliquid inter cetera quæreretur, quod secum facere existimabat. Itaque in voce *tu* erratum esse opinor, legendumque : « Id quoque » velim inquiras, qua lætitia... », id est, non ea tantum velim inquiras, quæ inquiri jussit Perseus, sed etiam qua lætitia....

Cap. XV, 14. — (Ex eadem oratione.) **Codd., Drak.** : « Ego autem, pater, quemadmodum nec nunc sperare regnum, nec ambi» gere unquam de eo forsitan debeam..., sic illud nec debui facere » nec debeo, ut indignus te patre, indignus omnibus videar. » Alterum *indignus*, si nihil aliud, redundat; ideo Madvigius, auctore Bauero, uncis monuit tollendum. Nihilominus tamen, sublato eo, claudicat sententia, cujus hæc haud dubie summa est : ut regnum sperare, ita regno indignus fieri non debeo. Quum in priore membro de uno regno agatur, mirum est in posteriore abesse hujus regni mentionem, sententiamque ad unum patrem deerrare. Sensit rem Perizonius, quum conjiceret *ut indignus eo patri*, *indignus omnibus videar*. Eum autem plus aliquanto mutasse, quam necesse fuit, puto ; satis est sic emendare : « ..ut indignus eo, patre indignus » omnibus videar. » Nimirum qui sensus jam inerat in verbis *indignus eo*, eundem iterant verba *patre indignus*, augendi causa.

Cap. XVI, 6. — (Consulibus adversus Ligures, quæ provincia ambobus decreta erat, bellum gerentibus, Ligurum duo millia ad Marcellum proconsulem Galliæ provinciæ præsidentem, venere, orantes, ut reciperentur.) **Vulg.** : « Marcellus... senatum per » litteras consuluit. Senatus rescribere M. Ogulnium prætorem » Marcello jussit, verius fuisse consules, quorum provincia esset, » quam se, quid e re publica esset, decernere ; tum quoque non » placere.... » Verba *quid e re publica esset decernere* docet Drak. a codicibus abesse. Merum glossema id existimo esse, præsertim quum ad sententiam nihil conferat. Legendum : « Senatus rescribere » M. Ogulnium prætorem Marcello jussit, verius fuisse consuli, » quorum provincia esset, quam se ; tum quoque non placere... » h. e. melius futurum fuisse consultari eos (id est consules), quorum Liguria provincia esset, quam senatum. Verisimile est verbum *consuli* ideo mutatum esse in nomen *consules*, ut esset nomen, ad

quod referretur relativum *quorum*, quum non vidisset librarius pendere id relativum ex subaudito pronomine *eos*; quæ quidem mutatio eo magis inconsulta fuit, quod proxime obversatum erat verbum *consuluit*, unde lux fieret.

Cap. XXI, 7. — (Quum Philippus, in Mædicam profectus, Demetrium filium in Macedoniam remitteret.) **Codd.**, **Weiss.** : « Non » fallebat Demetrium, ablegari se..; sed non solum parendum » patri [tutum], sed etiam assentiendum erat, ne invitum parere » suspicionem faceret. » *Tutum* Madvigius delevit. Legendum : « ..sed non solum parendum patri actutum, sed etiam assentien- » dum erat.. » Ne dubitetur, fueritne Liviani sermonis vox *actutum*, cf. XXIX, xiv, 5.

Cap. XXVII, 3.—**Drak.**, **Madv.**: « (Æmilius) ad quattuor portas » exercitum instruxit, ut, signo dato, simul ex omnibus partibus » eruptionem facerent. Quattuor extraordinariis cohortibus duas » adjunxit, præposito M. Valerio legato; erumpere extraordinaria » porta jussit. » **Weiss.** : « ..erumpere prætoria porta jussit. » Novem Drakenborchii codices habent *extraordinarios a porta*; tres alii *extraordinariis a porta*. De **Mog.** tacetur; nam Gelenius hæc tantum adnotavit : « Legendum est *erumpere extraordinaria porta* » *jussit*; sic enim constabit quattuor portarum numerus. » Haud dubie emendatio ea est; alioquin dixisset *constat*, non *constabit*. Madvigius tamen, more suo, Gelenianam hanc lectionem codici **Mog.** adscribere non dubitavit. Quicquid est, ea porta vocari solebat *prætoria*. De qua Lipsius hæc subjunxit : « Eam Livius vocat » *extraordinariam* ab ipsis iis turmis et cohortibus, quæ illic » tendunt. » Ex hoc ipso Livii loco, qui nunc agitur, id collegit Lipsius; quod quidem exemplum, utpote unicum, jam suspectum esset, etiam si addicerent codices. Sed in nullo codice esse constat. Quare legi præstat : « ..erumpere extraordinarios sua porta jussit. » h. e. ea porta, quæ ipsis proxima erat. Hujusmodi designatio ceteris quidem portis non apta esset, ut apud quas non tetenderit peculiare aliquod militum genus, cujus proprie dici possent; sed prætoriæ portæ apta est.

Cap. XXXVII, 9. — **Drak.**, **Weiss.** : « Veris principio hujus, dum » consules novos dilectus Romæ tenet, mors deinde alterius, et » creandi comitia consulis in locum ejus, omnia tardiora fecerunt; » interim P. Cornelius et M. Bæbius... in Apuanos Ligures exerci- » tum induxerunt. » Vidit Madvigius *dum* et *interim* inter se

respondere; itaque ante *interim* comma tantum posuit. Sed pro *fecerunt*, quæ vis est adverbii *dum*, scribi oportet *faciunt*. Id et jam suadet prius verbum *tenet*, et jubet alter ille Livii locus, verbis et sententiæ conformatione huic simillimus (XLI, xvi, 7) : *Dum consules primum religiones, deinde alterum alterius mors et comitia et Latinarum instaurationes impediunt, interim C. Claudius exercitum ad Mutinam... admovit.*

Cap. XL, 3.—(De cuneo.) **Drak.** : « ..quo tantum valent genere » pugnæ (Celtiberi), ut, quacunque parte perculere impetu suo, » sustineri nequeant. » Weiss. Madvigiusque, Creverio obsecuti, ediderunt *pertulere impetus suos*. Sed sine causa pluralem numerum posuerunt, triaque verba mutaverunt, quum satis sit legi *quācunque partē* (*quamcunque partem*). Nam quod ait Madvigius, postquam hostem Celtiberi perculerint, ridicule deinde addi, eos sustineri non posse, ibi vero vim verbi *percellere* mirum in modum auget; cui verbo sicut sæpe graviter feriendi sternendique sensus inest, ita nonnunquam simpliciter feriendi. Nisi forte ridiculus et ipse fuit Livius, qui, quum dixisset (IX, x, 10) *fetiali Postumius genu femur, quanta maxima poterat vi, perculit*, non addiderit, fetialis femur eo ictu fractum esse.

Cap. XL, 12. — (Quum saltum, per quem transiturus cum exercitu erat Q. Fulvius Flaccus, obsedissent Celtiberi, atque ab eo fusi essent.) **Vulg.** : « Nullis castris eo die victor exercitus » mansit. » Vox *nullis* ex conjectura scripta est, pro *in illis*, quæ lectio Moguntinæ editionis erat, et ferri nequibat, quippe nullis ante memoratis castris, ad quæ referretur pronomen *illis*. Sed a more Romano abhorret, exercitum sine ulla necessitate aperto campo noctem egisse; atque id Madvigius melius vidit, quam correxit vitium reposita voce *Celtibericis*. Immo scribendum videtur *in suis*. Flaccus enim, quum ex Celtiberia Tarraconem raptim exercitum duceret, eum saltum, quem barbari insederant, intraverat prima luce, id est, vixdum castris suis egressus. Quum ibi maximam diei partem prœlium absumpsisset, neque inceptum iter pergere, fessis militibus, liceret, expeditius ei videri debuit castra sua, quæ in manibus erant, repetere, quam nova communire. Celtiberos autem in eo saltu castra habuisse vix fingi potest, ut qui in insidiis steterint.

Cap. XLI, 7. — A. Postumio et C. Calpurnio consulibus novum omnem exercitum in Ligures senatus decreverat, et uti vetus ne dimitteretur, antequam hi consules venissent (cf. cap. xxxvi, 7).

Narratur ibi impudens factum M. Fulvii, tribuni militum, qui, non exspectatis consulibus, legionem suam ausus est injussus dimittere. Cujus narrationis initio grave relictum est vitium; nam sic incipit : « Priusquam hi consules venirent ad exercitum, qui Pisas indictus » erat... » Exercitus aliquo indictus, sive cui dies ad conveniendum est indicta, is est manifesto novus exercitus. Scilicet credendum est, M. Fulvium non modo id deliquisse, ut juris sui fines excederet graviterque disciplinam læderet, sed etiam ad id furoris venisse, ut milites vixdum scriptos, quique ducem suum nondum vidissent, exauctoraret. Ea insulsitas ex mala correctione, et quidem duplici, orta est. Nam in editione Moguntina fuit *ductus,* pro quo Frobenius reposuit *inductus,* tum Sigonius *indictus.* Redeundum est ad Moguntinam lectionem *qui Pisas ductus erat,* ita ut de vetere exercitu id accipiatur. Is exercitus in Ligures quidem priore anno profectus erat, sed, otiosam provinciam consulibus habentibus, aut Pisis mansisse, aut eo ad ultimum ductus esse videtur, donec dimitteretur.

Cap. XLII, 6-7. — **Vulg.** : « Sacerdotes quoque aliquot mortui » sunt. L. Valerius Flaccus pontifex mortuus est; in ejus locum » suffectus est Q. Fabius Labeo. P. Manlius, qui nuper ex ulteriore » Hispania redierat, triumvir epulo; Q. Fulvius M. filius in locum » ejus cooptatus. » Qui attendet quam disjecta hæc sint, quam ingrate redundet *mortuus est* post *mortui sunt,* quam incommode deinde nomen *P. Manlius* solum sine verbo relinquatur, ei apparebit verbum *mortuus est* ex glossemate illuc irrepsisse, fortasse inter versus olim adscriptum, ut moneretur lector id verbum ibi ex priore verbo *mortui sunt* audiendum esse. Quo sublato, sermonem ita distingui oportet : « Sacerdotes quoque aliquot mortui sunt : » L. Valerius Flaccus pontifex; in ejus locum suffectus est Q. Fabius » Labeo : P. Manlius... triumvir epulo; Q. Fulvius M. filius in » locum ejus cooptatus. »

Cap. XLII, 11. — (Quum L. Cornelium Dolabellam pontifex maximus nollet inaugurare sacerdotio regis sacrifici, et, ne id fieret, vitium quoque de cælo intervenisset.) **Vulg.** : « Religio inde fuit » pontificibus inaugurandi Dolabellæ; P. Clœlium Siculum inaugu» rarunt, qui secundo loco inauguratus erat. » Etsi multa de hoc loco disputaverunt viri docti, quæ copiose a Drakenborchio relata sunt, nondum tamen inita est interpretatio verbi *inauguratus*, neque ii quicquam aliud profecerunt, nisi quod alii aliorum sententias confutaverunt. Weissenbornius ex conjectura scripsit *qui secundo loco nominatus erat,* vitiose, quasi iisdem comitiis duo nomina, pro uno, renuntiata sint; postquam enim magistratus aliquis vitio creatus est, et insequenti comitiorum die alter creatur, hic Latine dici nequit *secundo loco creatus.* Madvigius, deleta perplexa voce, legi vult *qui secundo loco erat*, id quod non magis dilucidum videtur, quam ipsius enarratio « qui secundum locum nominationis tenebat. » Ego legendum puto : « ..qui secundo loco in auguratu erat. » h. e. qui in augurum collegio secundum locum tenebat, primus post magistrum collegii. In eo autem collegio, ut quisque ætate antecederet, ita superiorem locum tenuisse docet Cicero (De Sen. 18).

Cap. XLIV, 10. — **Vulg.**: « Ludi decreti, et ut duumviri ad ædem » locandam crearentur. De pecunia finitur, ne major causa ludorum » consumeretur, quam quanta... decreta esset. » Præsens tempus *finitur* male se habet; scribendum est *finitum*, quod congruat cum superiore verbo *decreti.* Verisimile est scriptum olim fuisse *finitū*, et compendii signum abiisse in litteram *r*.

Cap. XLV, 1. — **Vulg.** : « Hiems eo anno nive sæva et omni » tempestatum genere fuit... Itaque Latinas mox subito coorta et » intolerabilis tempestas in monte turbavit. » *Mox* alienum est; pro quo Creverius suasit *nox*, Madvigius scripsit *nix* : sed neque nox neque nix cooritur. Malim *atrox*, ita ut ad nomen *tempestas* duo referantur adjectiva.

Cap. XLVI, 6. — (Duo censores inter se inimici quum creati essent, eos Metellus obtestatur ut in gratiam invicem redeant, ne ea simultas rei publicæ damno sit. **Ed. Mog.** : « De quibus causis » hoc timeamus, multa succurrunt, quæ dicerentur, nisi forte im» placabiles fueritis implicaverint animos vestros. » Hæc, etsi multæ olim allatæ erant conjecturæ, recentiores editores reliquerunt qualiacunque, lacunæ signo, alius post *forte,* alius post *fueritis*, apposito. Ac ne pauca quidem excidisse Madvigius opinatur, sed in hunc certe modum, nisi his verbis, explendam censet sententiam : *...quæ dicerentur, nisi præstaret ea commemorare, quæ mitigare vos possint; nisi forte implacabiles furores implicaverunt animos vestros*. Quid attinet omnia hæc fingi, quæ nec sententiam nec sermonem adjuvent? siquidem nec ad sententiæ perspicuitatem quicquam confert supplementum ipsum, nec verba codicis, etiam recepto eo, stare integra possunt. Lenius illud erit remedium : « ...quæ dicerentur, nisi quod » forte implacabiles fueritis, si implicaverint animos vestros. » h. e.

nisi vos fortasse implacabiles factura esset offensionum vestrarum memoria, in animos vestros incautius revocata. Cujus locutionis *nisi quod fueritis* (pro *nisi futuri essetis*), ne quis insolentiorem eam putet, afferenda videntur illa exempla. Plin. Paneg. LXXXVI, 5 : *et fecisset, nisi quod pæne ipso contubernio principis felicius jucundiusque est, desiderare principem desiderantem* (pro *nisi felicius esset*). Flor. I, xxii, 3 : *Nec minus ille* (*Coriolanus*) *ferociter injuriam armis vindicasset, nisi quod jam inferentem signa filium mater Veturia lacrimis suis exarmavit* (pro *nisi exarmasset*). Ovid. Her. XVIII, 11 : *Ascensurus eram, nisi quod... in speculis omnis Abydos erat* (pro *nisi Abydos fuisset*).

Cap. XLVIII, 3. — **Vulg.** : « Ubi, quod petebatur, sensit » effectum... » **Ed. Mog.** : *petebat is sensit*. Forte *Ubi, quod petebat, id sensit effectum.*

Cap. L, 6-7. — **Vulg.** : « Eadem æstate et L. Postumium in » Hispania ulteriore bis cum Vaccæis egregie pugnasse scribunt... » Propius vero est, serius in provinciam pervenisse, quam ut ea » æstate potuerit res gerere. » Statim ante commemoratæ erant multæ res in Celtiberia ab altero proprætore Ti. Graccho gestæ, consilio fere communi : namque ambo inter se comparaverant (cap. xlvii, 1), quam quisque Hispaniæ partem aggrederetur, bellumque eodem tempore exorsi erant. Itaque jure Glareanus Dukerusque mirati sunt, cur Graccho tempus ad agendum non defuerit, Postumio defuerit. Opinor postrema verba ad utrosque pertinere, et scribi debere *potuerint*. Etenim animadverti oportet, ipsius Gracchi rerum gestarum posteriorem certe partem non tanquam compertam afferri, sed earum fidem penes auctores relinqui. Quod prior pars tanquam certior posita est, id non utique obstat, quin ad ultimum ambigatur, eone an sequenti anno universa res acta sit, quum sequenti anno Gracchum in Hispania egregias res gessisse constet.

Cap. LI, 8. — « Complura sacella publicaque sua, occupata a » privatis, publica sacraque ut essent paterentque populo, cura- » runt (censores). » Hæc fuit codicis **Mog.** veterumque editionum scriptura. Pro corrupta voce *sua* Madvigius reposuit *loca*; Gronovius aliique deinceps ediderant *publica, quæ fuerant occupata*. Sæpius nos deprehendimus (cf. XXII, xv, 1; XXIV, xxvii, 8; XXX, xxxiii, 12; XXXIX, xxxi, 7) cum qua potissimum voce vox *sua* a librariis commutari solita sit, quam ut ulla ibi dubitatio esse queat; legendum : « Complura sacella publicaque alia, occupata a » privatis... »

Cap. LII, 5. — (Titulus tabulæ fixæ supra valvas ædis, quam voverat ædificaveratque M. Æmilius Regillus, navali prœlio ad Ephesum victor.) **Editio Mog.** : « Duello magno regibus diri- » mendo caput subigendis patrandæ pacis hæc pugna exeunti L. » Æmilio M. Æmilii filio... » Hæc non modo sensu carere, sed etiam mire turbata disjectaque esse quum viderent editores, mutila existimaverunt, pluresque lacunæ notas posuerunt. Sed opportune accidit, quod primus hujusce tituli versus etiam apud veterem quendam grammaticum exstet, sic conceptus : *Duello magno dirimendo regibus subigendis*; unde colligi potest, trajectione præcipue verborum hæc laborare, nec fortasse alio vitio. Certe in fine hujus quadragesimi libri pluribus locis videtur librarius quasi per libidinem verborum ordinem pervertisse; cujus rei insigne exemplum paulo supra (cap. l, 3) jam occurrerat. Adducor igitur ut putem Moguntinam hanc scripturam, quod ad verba ipsa attineat, integram esse, ita tamen ut, pro *caput,* legatur *cafuit*, id est *causa fuit*; proinde sic digeri eam posse : « Duello magno dirimendo, regibus » subigendis exeunti L. Æmilio M. Æmilii filio, causa fuit patrandæ » pacis hæc pugna... » Verba *duello magno dirimendo regibus subigendis* accipienda videntur dativo casu, *exeunti* ablativo (*ad duellum magnum dirimendum et reges subigendos exeunte L. Æmilio*). Meminisse oportet, ad Livianum sermonem non exigi debere pervetustum hoc dicendi genus. — Sequuntur paulo post ex eodem titulo illa : « Classis regis Antiochi, antea invicta, fusa, contusa » fugataque est. » Sic recentiores certe editiones; nam Moguntina exhibet *antea sic victa*. Miror recipi retinerique potuisse tam vanam emendationem, postquam constabat Antiochi classem, non modo non fuisse antea invictam, sed etiam superiore ipso anno ad Corycum a Livio prætore superatam esse (cf. XXXVI, 45). *Anteasic* (*āteasic*) corruptum puto pro *atqasie*. Legerim igitur : » Classis regis Antiochi atque Asiæ victa, fusa, contusa fuga- » taque est. »

Cap. LIV, 2. — **Vulg.** : « (Philippus) Demetriade hibernabat, » quum desiderio anxius filii, tum pœnitentia crudelitatis suæ. » Stimulabat animum et alter filius... » **Ed. Mog.** : *crudelitatis suæ, quæ stimulabat animum : et alter...* Primus Sigonius, auctore Florebello, interpunctionem in melius mutavit, deleta voce *quæ*.

Legendum videtur : « ... crudelitatis suæ. Æque stimulabat ani- » mum et alter filius.. » Cf. XLI, vi, 8.

Cap. LIV, 8. — (De Antigono, quum Persei perfidiam Philippo manifestam fieri vellet.) **Vulg.** : « Sæpe querenti querens et ipse » aderat; et, quum multa adsoleat veritas præbere vestigia sui, omni » ope adjuvabat, quo maturius omnia emanarent. » **Ed. Mog.** *adsolet.* **Madv.** : « *..et quum multa, ut assolet, veritas præberet..* », sicut fortasse commodius, ita duabus, pro una, mutatis vocibus. Satis est scribi *ut* pro *cum* (*cū*) : « ... et, ut multa assolet veritas » præbere vestigia sui... »

Cap. LIV, 9. — **Vulg.** : « Suspecti ut ministri facinoris Apelles » maxime et Philocles erant, qui Romam legati fuerant, litteras- » que exitiales Demetrio sub nomine Flaminini attulerant. Falsas » esse et a scriba vitiatas, signumque adulterinum, vulgo in regia » fremebant. » Vox *vitiatas* inepta est; veræ quidem litteræ vitiari possunt, falsæ non item : quid enim vities in eo, quod totum falsum est? Nec est quod de voce *falsas* dubitetur, quum jam ante (cap. xxiii, 8) Livius dixerit : *falsas etiam litteras signo adulterino T. Quinctii signatas.* Ceterum in hoc loco grave aliud vitium residet, jam olim animadversum. Paucis enim post versibus locuturus est Livius de quodam Xycho, tanquam cujus mentio ante facta sit, etsi id nomen nusquam ante occurrit; Xychum autem eum scribam esse, de quo nunc agitur, posteriora demonstrant (vide infra, § 5). Hoc nomen, quum comparere debuerit atque hic primum comparere potuerit, verisimile est sub corrupta voce *vitiatas* latere. Legendum opinor : « Falsas esse et a scriba Xycho » eas, signumque adulterinum, vulgo in regia fremebant. » Pronomen *eas* ibi vix abesse posse ipsi senserant editores Gronovio antiquiores, qui scripserant *Eas falsas esse*, vel invito codice. *Litteras ab aliquo*, nullo adjecto participio, dici solere pro *litteras alicujus*, nisi nota res esset, conferri juberem II, iii, 7. Jam suspicatus erat Heusingerus nomen *Xycho* excidisse ante vocem *scriba.*

Cap. LV, 4. — (Verba Antigoni, quum Philippo nuntiaret Xychum, sibi forte obvium, comprehensum esse.) **Ed. Mog., Drak.** : « In potestate tua est Xychus. Forte vocatum perductumque in » regiam vocari juberet. Adductus primo ita negare inconstanter, » ut... » Jamdudum animadversum est, ferri non posse *vocatum vocari*, præsertim quum *forte vocatum* falsum sit; ad hoc, in oratione directa requiri *jube*, non *juberet.* Ideo recentiores edidere

Forte oblatum, alteramque emendationem Madvigius, Gronovio plenius obsecutus, et ipsam recepit. Haud scio an propius codicem stari potuerit. Sollemnis enim locutio fuit in testibus citandis *evocare*, neque ulla jam, quum in sententia, tum in ipsis verbis, redundantia esset, si diceretur is testis a Philippo vocari jussus, quem fors ipsa evocasse, id est adduxisse, videretur. Hunc igitur locum sic correctum velim : « Forte evocatum perductumque in regiam » vocari jube. Et adductus... » Illud *et*, sententiæ aptissimum, jam Kreissigio placuit.

Cap. LV, 8. — **Ed. Mog., Drak.**: « (Philippus) infelicitatem » suam in liberis graviorem, quod alter perisset, censebat. » Hæc a vera sententia abhorrere omnes viderunt; perspicuum est, illud Livium voluisse, Philippo minus mæroris allaturam fuisse duplicem orbitatem, quam simplex attulisset. Non inepte Muretus suasit scribi *quod alter superesset*, id quod recepit Weissenbornius. At id Madvigius ait satis fortiter correctum, deinde inter alia objectat comparativum non aptum esse. Vide nunc quam non fortiter ipse correxerit, quam aptum comparativum effecerit : « Infelicitatem suam » in liberis graviorem, quod alter superesset, quam quod alter peris- » set, censebat. » Horum verborum, nisi fallor, una illa significatio est : magis doluisse Philippum superstite Perseo quam mortuo Demetrio, vel, plus apud eum valuisse Persei odium quam Demetrii caritatem. Scilicet Philippum Livius ostenderat dies noctesque errori suo ingemiscentem, totum se lacrimis dedentem luctuque perditum, ut ad ultimum doceremur majore alia cura eum interim affectum fuisse, et ex comparatione colligeremus, quam infensus Perseo fuerit. Profecto melius Muretus. Plus tamen, quam opus fuit, correxisse eum opinor, et satis ad remedium fuisse unam suppletam litteram *n̄* (*non*), hoc modo : « Infelicitatem suam in liberis » graviorem, quod alter non perisset, censebat. »

Cap. LVII, 3. — De duobus legatis, adventum Bastarnarum sociorum Philippo regi nuntiaturis). **Madv.** : « Inde prægressi, qui » nuntiarent regi, Antigonus et Cotto; Cotto nobilis erat Bastar- » nes, Antigonus † sæpe invitus cum ipso Cottone legatus ad » concitandos Bastarnas missus. » **Weiss.** : « ...erat Bastarna » [ea res], Antigonus sæpius cum ipso... » Media utcunque expressa sunt ex illa editionis Mog. scriptura : *Antigonus et Cotto nobilis erat Bastarna ea res Antigonus sæpe junius cum ipso...* In priore editione sua Weiss. pro *ea res* scripserat *a rege*, quam emenda-

tionem haud scio an retinere debuerit, etsi incertam, tamen sententiæ aptissimam : legatorum enim, sicut alter a Bastarnis fuisse dicitur, ita alter a rege, id quod erat, fuisse dicendus est. In ea quidem parte nihil verisimilius reperi, sed perplexam vocem *junius* illustrare posse videor, collato hoc altero Livii loco (XLIV, XXIII, 10) : *Is princeps junctæ cum Illyriis legationis datus est.* Legendum : « Inde prægressi, qui nuntiarent regi, Antigonus et » Cotto (nobilis is erat Bastarna; a rege Antigonus, sæpe, junctus » cum ipso Cottone legatus, ad concitandos Bastarnas missus). » Intellege : at Antigonus regius erat, et sæpe, comite eodem Cottone, missus erat ad concitandos Bastarnas.

CAP. LVIII, 1. — (De Bastarnis per agrum Thracum transeuntibus.) **Drak.** : « Neque Thraces commercio faciles erant, neque » Bastarnæ emto contenti esse poterant aut in agmine contineri, » ne decederent via. » **Ed. Mog.** : *...faciles erant Bastarnæ euito contentio esse poterant aut in...* Recte sensit Madvigius non posse nisi pravo sensu verbum *poterant* jungi cum verbis *contenti esse,* nec minus recte suspectam habuit suam ipse conjecturam, quum scripsisset : « ...neque Bastarnæ empto contenti, nec poterant in » agmine contineri... » Mihi vetus scriptura, nisi quod, post *erant,* excidit *aut* propter litterarum similitudinem, fere integra videtur : id modo erratum est, quod, pro ultima littera vocis *contentio*, scribi a librario debuit *q,* compendium vocis *qui* : « Neque Thraces com» mercio faciles erant, aut Bastarnæ empto contenti quiesse pote» rant aut in agmine contineri... » Locutionem *neque... aut*, pro *neque... neque*, non minus Livio quam ceteris in usu fuisse apparet ex XXI, XVII, 8. Ceterum vide Madv. gr. lat. § 450.

CAP. LVIII, 8. — (Quum Bastarnarum pars in Dardaniam profecti essent.) **Ed. Mog.** : « Cetera multitudo, qua venerat, » Apolloniam meridianam regionem repetiit. » Pro *meridianam,* quod falsum est, Drak. reposuit *transdanubianam,* Weiss. *mediterraneam.* Madvigius incommodam vocem expunxit, neque eo contentus, pro *Apolloniam,* poetico spiritu edidit *aquiloniam*, enarrans, Bastarnas ab Aquilone venisse, sed docere oblitus, ubinam apud Livium probabilemve alium prosæ orationis auctorem repererit has aquilonias regiones. Videntur omnes non satis ad sententiam attendisse, et credidisse de ipsa Bastarnarum patria hic agi; quod quidem si voluisset Livius, profecto dixisset *unde venerat,* non *qua venerat.* Illud voluit, eandem eos viam repetiisse, quam

venientes secuti essent. Ex ipso autem hoc loco colligendum est, quoniam de priore itinere Bastarnarum nihil memoratum est, eos Histrum transisse haud longe a mari, deinde præter littus descendisse usque ad Apolloniam, quæ urbs (si qua certe Kieperto fides) in ipso Ponti littore sita fuit, paulo infra Hæmum montem. Cur ea venerint Bastarnæ, ad dicendum non suppetit, ut in nulla re comperta; sed ne illud quidem, cur non ea; utique conjici potest, tutius iis visum esse iter per maritima loca, ubi nulli montes saltusque fraudem tegerent, simul certius, littore ipso viam ostendente. Legendum : « Cetera multitudo, qua venerat, Apollo» niam, maritimam regionem, repetiit. » Forte etiam *Apolloniam ac maritimam regionem.*

LIBER XLI

CAP. VIII, 10. — **Vulg.** : « Lex sociis ac nominis Latini, qui » stirpem ex sese domi relinquerent, dabat, ut cives Romani fierent. » Ea lege male utendo alii sociis, alii populo Romano injuriam fa» ciebant. Nam et, ne stirpem domi relinquerent, liberos suos qui» busquibus Romanis in eam condicionem, ut manumitterentur, » mancipio dabant, libertinique cives essent, et, quibus stirpes » deesset, quam relinquerent, ut cives Romani fiebant. » Ex hoc loco, quoniam apud unum Livium hujus legis mentio reperta est, colligendum videtur, iis quidem sociorum, qui stirpem non haberent, sine condicione permissum esse jus civitatis, iis autem, qui haberent, ita tantum, si eam domi relinquerent; proinde alterum fraudis genus fuisse, quod sociis juventutem subtraherent, alterum, quod populum Romanum orbitatis simulatione ludificarentur. Sed eosdem homines utriusque simul fraudis auctores fuisse apparet, nempe eos patres, qui primum in filiis suis, deinde in se ipsis legem eludebant; certe hic nulli alii reperiuntur, quorum fraus aliqua arguatur, neque expediri possunt pronomina *alii... alii*. Itaque legendum crediderim : « Ea lege male utendo aliam sociis, aliam » populo Romano injuriam faciebant... » In fine, ubi propter alienam vocem *ut* lacunam quidam suspicati sunt, opinor eam vocem nihil aliud quam trajectam esse, et scribi debere : « ..et, ut quibus » stirpes deesset, quam relinquerent, cives Romani fiebant. » h. e. et tunc ipsi, eo nomine quod stirpem non haberent, cives Romani fiebant.

CAP. XI, 4. — (Quum Histrorum oppidum Nesactium Claudius obsideret, amnemque mœnia præterfluentem avertisset.) **Vulg.** :

« Ea res barbaros miraculo terruit abscisæ aquæ; et ne tum quidem » memores pacis, in cædem conjugum ac liberorum versi, etiam » ut spectaculo hostibus tam fædum facinus esset, palam in muris » trucidatos præcipitabant. » Ut omittam copulam *et*, minus certe ibi aptam quam *sed*, vix credo ulli unquam scriptori in mentem venisse, ut aquam abscideret; etsi memini apud Vergilium cæsa esse vina securibus, apud Ovidium data esse frusta meri haurienda ; sed ea gelu concreta erant. Codici ipsi haud scio an fides abroganda fuerit, si hoc dixisset ; at is habet *abscisaquæ et ne*. Voculam intercidisse puto, et legi debere : « Ea res barbaros miraculo terruit, » abscisaque spe, et ne tum quidem memores pacis... » Infra, quum idem codex exhibeat, non *facinus esset*, sed *facinoresse*, præstat scribi : « ..ut spectaculo hostibus tam fædo in facinore » essent. »

CAP. XIII, 8. — (De sociis triumphum C. Claudii sequentibus.) **Vulg.** : « Sociis dimidio minus quam civibus datum; itaque taciti, » ut iratos esse sentires, secuti sunt currum. Cum is triumphus de » Liguribus ageretur... » **Codex** *secuti sunt currus triumphus de*. Ita vox *currus* correcta est, tum voces *cum is* suppletæ. Non est quod codici duo menda, pro uno, imputentur; nihil enim omisit librarius; scripturam tantum ita depravavit, ut *cumis* abierit in *currus*. Quare legendum : « ..itaque taciti, ut iratos esse sentires, » secuti sunt. Cum is... »

CAP. XVI. 3. — (Postquam id religioni fuerat, quod Latinæ non recte factæ essent.) **Vulg.** : « Accesserat ad religionem, quod Cn. » Cornelius consul ex monte Albano rediens, concidit, et, parte » membrorum captus, ad aquas Cumanas profectus, ingravescente » morbo, Cumis decessit. Sed inde mortuus Romam adlatus est, » et funere magnifico elatus sepultusque est. » Vitiosa est verborum consecutio *accesserat quod concidit*. Non melius se habet sententia : nam neque id inter religiosa haberi poterat, quod Cumis consul decessisset, sed id tantum, quod ex Albano monte, id est ex ipso Latinarum sacrificio, rediens concidisset; neque membrorum resolutio secuta erat casum consulis, sed ipsa casus causa fuerat. Cf. XXXII, II, 2, ubi memoratur item rex Attalus, quum verba ad Bœotos faceret, repente obmutuisse et concidisse, parte membrorum captus. Pervagatissimo errore librarius, pro *concidisset*, scripsit *concidit et*. Legendum : « Accesserat ad religionem, quod Cn. » Cornelius consul, ex monte Albano rediens, concidisset parte

» membrorum captus. Ad aquas Cumanas profectus, ingravescente » morbo, Cumis decessit; sed inde... »

In cap. XVII, 6, ubi de Petilio consule proficiscente scribitur *Ipse jam diu cupidus provinciæ*, quum codex, pro *ipse*, exhibeat *iiset*, ibi placeret *ilicet*, nisi ea vox in prosa oratione paulo insolentior videretur. Aptissima enim est, quum quis aliquid perfecit, eique abire tandem licet.

Cap. XVIII, 3. — (Postquam dictum est Ligures, adventante C. Claudio consule, in montes refugisse.) **Vulg.** : « Tardius ex agris » demigrantes oppressi ad mille et quingenti perierunt. Ceteri mon- » tibus se tenebant, et, ne in metu quidem feritatis ingenitæ obliti, » sæviunt in prædam, quæ Mutinæ parta erat. Captivos cum fæda » laceratione interficiunt; pecora... trucidant. » Bene pro *quingentos*, quod ante obtinuerat, repositum est *quingenti* (Codex *ad M et D*); nam subjectum nec abesse potest, nec repeti ex superiore periodo, ubi universe Ligures dicti erant. In sequentibus vero (*se tenebant et sæviunt*) inconvenientia verba, inconvenientes sententiæ junctæ sunt, quia una litterula fraudi fuit. Sic legendum et interpungendum: « Tardius ex agris demigrantes oppressi ad mille et quingenti » perierunt; ceteri montibus se tenebant. Ei, ne in metu quidem » feritatis ingenitæ obliti, sæviunt in prædam, quæ Mutinæ parta » erat, captivos cum fæda laceratione interficiunt, pecora... »

Cap. XVIII, 8. — (De consulibus sortitis, quas adversus hostes regiones peterent.) **Codex, Weiss.** : « Valerium auspicato sor- » titum constabat, quod in templo fuisset; in Petilio id vitio factum » postea augures responderunt, quod extra templum sortem in » sitellam in templum latam foris ipse** oporteret. » Mutilam et inextricabilem esse postremam partem apparet. Ibi Madvigius: « ..in » Petilio id vitii factum postea augures responderunt, quod [extra » templum] sorte in sitella in templum lata, foris ipse** oporteret. » Vox *vitio* nihil aliud quam per libidinem mutata est: nam, ut consulem vitio creatum esse dicitur, cur non item aliquid vitio factum esse? Sed in reliquis maxime quæri potest, cur adeo intemperanter correctioni indulserit, qui rem ad ultimum pendentem et in medio reliquit. Ceterum, sicut certa emendatio in corruptissimo loco vix speranda est, ita sententia multo minore conatu probabiliter restitui potest, in hunc modum: « ..in Petilio id vitio factum postea » augures responderunt, quod extra templum sortem in sitellam » dejecisset, et in templum latam foris ipse exspectasset. »

Cap. XX, 3. — **Vulg.** : « ..sese aliosque ludificari; quibusdam » honoratis... munera dare. » Abest a codice *dam*. Opinor excidisse *ali* propter præcedentes syllabas *ari*, et scribendum esse *aliquibus*, ut XXII, xiii, 4. — Paulo infra, § 7, in his : « ..omnis generis, ut » quæque usus eorum postulaverunt, dona dedit », scribendum videtur *ut quæque usus eorum utique postulaverunt*; nam codex habet *eorum ut qua postulaverunt*. Nec me fallit præcessisse *ut quaquæ* (sic codex), unde succurrat suspicio temerariæ inanisque repetitionis. Sed multa exempla in his quinque postremis libris animadversa alio ducunt, atque hujus librarii consuetudinem qui spectatam habuerit, ei manifestum fiet, sæpissime posterius vocabulum per incuriam in similitudinem prioris alicujus vocabuli depravatum esse, proinde imagines tantum repetitionum has esse, re vera sub eis latere aliquid. Cf. XLII, xvii, 3; XLII, xxiii, 7; XLII, xxvi, 7; XLIII, iv, 13; XLIII, vii, 10; XLIII, xix, 14; XLV, xii, 6; XLV, xiii, 3.

Cap. XX, 10. — **Vulg.** : « (Antiochus) spectaculorum omnis » generis magnificentia superiores reges vicit; reliquorum sui » moris et copia Græcorum artificum; gladiatorium munus, » Romanæ consuetudinis, primo majore cum terrore hominum... » quam voluptate dedit. » In his omnes hæserunt, quidam lacunam suspicati. Creverius, non pro solito judicio suo, ut videtur, monuit : « vox *reliquorum* pendet a præcedenti nomine *spectaculorum* », nec præterea quicquam de constructione verborum addidit, quasi cetera per se decurrerent, aut, ipsum *reliquorum* quo artificio penderet, omnibus appareret. Recepit hanc interpretationem Madvigius, illustravitque ita : « reliqua spectacula sui moris et copia Græcorum » artificum dedit. » Intellegant alii; fateor me has præstigias assequi non posse, nec minus in enarratione rei quam in ipsa re cæcutire. Sed jamdiu, opinor, tolerabilis aliqua emendatio allata esset, nisi fucum faceret religionemque injiceret conjunctio verborum *moris* et *consuetudinis*, quam ego fortuitam et ex librarii sive incuria sive etiam pravo judicio (constat enim hominem fuisse mire indoctum) natam existimaverim. Quid autem dixerit Livius, id ex aliis Livii partibus conjicere par est, sicubi de eadem re locutus est. Occurrunt autem hæc XLV, xxxii, 9 : *Artificum omnis generis, qui ludicram artem faciebant, ex toto orbe terrarum multitudo et athletarum et nobilium equorum convenit.* His fretus, hic quoque adducor ut legam : « Spectaculorum omnis generis magnificentia supe-

» riores reges vicit, et equorum numeris et copia Græcorum » artificum... »

Cap. XXIII, 7. — (Quum Achæis suam inconstantiam exprobraret Callicrates, quod Persei regis litteras in concilio suo recitari paterentur.) **Vulg.** : « Nam qui regibus Macedonum Macedonibusque ipsis finibus interdixissemus, manereque id decretum » scilicet, ne legatos, ne nuntios admitteremus regum, per quos » aliquorum ex nobis animi sollicitarentur, ii contionantem quodam » modo absentem audimus regem, et, si diis placet, orationem ejus » probamus. » Pravum est *manereque id decretum*, ubi accedit ad cetera depravationis indicia id mendi, de quo dixi II, xxxiii, 7. Pro his reposuit Madvigius *caventes per id decretum*, aptissime quidem ad sententiam, sed a codice longius paulo discedens. Verius videtur in archetypo fuisse *haberem'que* (h. e. *haberemusque*), inde factum esse *haberēque*, denique *manereque*. Itaque malim *haberemusque id decretum*, ita ut *decretum* participium sit, non substantivum; cujus locutionis exempla apud Ciceronem permulta occurrunt, apud Livium nonnulla, ut XL, viii, 15 : *quæ aut visa aut audita habebam.*

Cap. XXIII, 13. — **Vulg.** : « (Perseus) Dolopiam armis subegit, » nec provocantes de controversiis ad disceptationem populi » Romani audivit. » Plurale verbum *provocantes* non habet, quo referatur; nam ex voce *Dolopiam* intellegi *Dolopas*, durius est. Neque autem codex habet *provocantes*, sed *provinciis*. Qua ex voce, si eam putes antea scriptam fuisse *provīciis*, facile est elicere *provìius*. Inde legerim : « ..nec pro vi jus de controversiis ac disceptatio» nem populi Romani audivit », h. e. jus et disceptationem aspernatus est vimque maluit.

Cap. XXIV, 7-10. — (Adversus Callicratem, Romanorum fautorem, contendit Archo commercia cum Macedonibus, salva societate Romana, ab Achæis renovari posse.) : « Cur quidem nos » inexpiabile omnium soli bellum adversus regnum Macedonum » geramus, non video. Opportuni propinquitate ipsa Macedoniæ » sumus? an infirmissimi omnium tanquam, quos nuper subegit, » Dolopes? Immo contra ea vel viribus nostris, deum benignitate, » vel regionis intervallo tuti. Sed simus æque subjecti ac Thessali » Ætolique; nihilo plus fidei auctoritatisque habemus adversus » Romanos, qui semper socii atque amici fuimus, quam Ætoli, qui » paulo ante hostes fuerunt? Quod Ætolis, quod Thessalis, quod » Epirotis, omni denique Græciæ cum Macedonibus juris est, idem

» et nobis sit. » Sic recentiores. Non liquet, quo sensu vocem *subjecti* accipiendam censuerint, utrum *subjecti Romanis* an *Macedonibus*. Sed, utrumcunque maluerint, perversa ea omnia sunt. In priore enim interpretatione, hæc est sententiæ summa : nullum periculum a Macedonibus est, quod nos cogat ab eorum commercio abstinere; sed etiam si ab eis idem periculum nobis, quod Ætolis, immineret, tamen eorum commercio uti non minus nobis, quam Ætolis, per Romanos liceret. In posteriore : nullum periculum a Macedonibus est...; sed etiamsi Romanis nos æque, atque Ætoli, subjecti essemus, tamen Macedonum commercio uti non minus nobis, quam Ætolis, per Romanos liceret. Hæc utraque proponi satis est, refelli non attinet, quippe ubi cohærentis sententiæ argumentationisque ne vestigium quidem deprehendatur. Eam perversitatem attulit inconsulta Walchii emendatio *simus*, confidentius recepta. Restituenda est sincera codicis lectio *sumus*, partesque sic in dialogi modum distribuendæ (nam contradictorem inducit Archo): » Opportuni propinquitate ipsa Macedoniæ sumus ? an infir» missimi... tanquam... Dolopes? — Immo contra ea... tuti; sed » sumus æque subjecti ac Thessali Ætolique... qui paulo ante » hostes fuerunt. — Quod Ætolis... juris est, idem et nobis sit. » Quorum universa sententia hæc est : Num periculi aliquid nobis a Macedonibus est? Immo, inquit aliquis, nequaquam illi nobis metuendi sunt; sed Romanis, quorum offensio periculosa est, subjecti sumus, nec minus subjecti suspectique, etsi eis semper amici fuimus, quam Ætoli ipsi. Idem igitur, inquit Archo, nobis liceat, quod Ætolis ipsis licet. Per se quidem vox *subjecti* non significat *subjecti Romanis*, et ambigua esset, nisi statim illustraretur sequentibus verbis *adversus Romanos* (h. e. apud Romanos).

Sequuntur hæc : « Cur execrabilis ista nobis solis velut desertio » juris humani est? » Sic Grynæus ac deinde Drak.; codex *dissertio.* Vocem *desertio* Madvigius recte improbavit, ut parum sententiæ aptam, lenioremque quam pro adjectivo *exsecrabilis*. Illa autem, quam substituit, vox *discerptio*, præterquam quod nusquam reperta est et ab ipso ficta est, non aptior videtur. Non enim jus humanum ille discerpit, id est distrahit, dilacerat, in multas diversasque partes carpit, qui duorum populorum commercia prohibet (tunc fortasse ferendum id esset, si de omnibus populis et de jure humano multifariam interrupto ageretur), sed disjungit tantummodo. Hic

nihil ultra audiendum est, quam « Cur impie disjungimus vincula » societatis humanæ? » Itaque requiritur vox, quæ idem valeat, quod *disjunctio*. Quum autem verborum *conserere* et *conjungere* sensus idem sit, atque immo vox *consertio* reperiatur eodem sensu usurpata, quo *conjunctio*, quæ offensio est, si dicitur *dissertio* eodem sensu quo *disjunctio*? Insolens quidem id vocabulum fuisse Livius ipse ostendit, præposita voce *velut*, quæ, quum ad sententiam non spectet (quid enim in sententia ipsa audaciæ inest?), ad vocabulum spectet necesse est. Voci *discerptio*, si nihil aliud, certe eo præstat vox *dissertio*, quod in aliquo codice est. Eam tueri olim aggressus Kreissigius, confusione facta cum aliena voce *dissortio*, bonam causam corrupit. Weissenbornius codicis scripturam bene retinuit.

Cap. XXIV, 12. — Ponenda videtur ibi Madvigii lectio, qui, quum duas eadem lacuna laborare sententias vidisset, uno remedio duplex vulnus sanavit : « Quanquam et illud dicere poteram, tanta » priorum Macedoniæ regum merita erga nos fuisse, ut Philippi » unius injurias, si quæ forte fuerunt, utique post mortem, obscu- » rent. Meministis, quum classis Romana Cenchræis staret, consul » cum exercitu Elatiæ esset, triduum nos in concilio fuisse, consul- » tantes utrum Romanos an Philippum sequeremur. » **Codex** : *post mortem cum classis*; apte igitur a Madvigio (etsi jam ab aliis prior lacunæ pars perspecta erat nec male expleta) suppleta sunt verba *obscurent. Meministis*. Id modo objectari potest, quod, quum jam inde a verbo *Meministis* orator memorare incipiat, quanta nuper Achæis visa fuerint ea regum Macedonum merita, idque celeri et vivida oratione, languidius paulo videtur illud *meministis*, nec satis vehementiæ ceteri sermonis accommodatum. Aliud in eandem sententiàm reponendum habere videor concitatius, et quod præterea indicet, cur librarius a voce *mortem* aberraverit : « ...utique post » mortem, obscurent. Non venit in mentem, quum classis Romana » Cenchræis staret, consul cum exercitu Elatiæ esset, triduum nos » in concilio fuisse, consultantes utrum Romanos an Philippum » sequeremur? » Ad hoc, ne quid reticeam, post *staret* excidisse reor copulam *et*.

Sequuntur hæc : « Nihil metus præsens ab Romanis sententias » nostras inclinarit, fuit certe tamen aliquid, quod tam longam » deliberationem faceret, id quod erat vetusta conjunctio cum » Macedonibus, vetera et magna in nos regum merita. » Proponenda videtur interpretatio, quo magis perspicuum fiat sententiæ vitium :

Ut studia nostra sola, non metus, ad societatem Romanam nos impulerint, aliqua tamen res fuit, propter quam tam diu consultaremus; ea autem res erat vetusta conjunctio cum Macedonibus. Ibi dicas oratorem adversus negantes dubitantesve contendere, aliquam vere fuisse deliberationis materiam : quasi vero Achæi docendi sint non per libidinem ac voluptatis causa se triduum in concilio fuisse, aut eis res gravissima paucisque ante annis acta in memoriam revocanda sit, tanquam parva aliqua et vetustate obsoleta. Inest et in verbis aliud vitium, quod Madvigius ita coarguit : « Pravissime cum infinita affirmatione (*aliquid*) per *id quod* » (ipsum vitiose positum, quoniam non ad prædicatum totamve » sententiam refertur) conjungitur certæ rei demonstratio (*aliquid*, » *id quod*). » Ipse sic correxit : « ..deliberationem faceret. Id quid » erat? vetusta.. » Minuta secutus, verum vitium non vidit. Nihil aliud opus est, quam reponi sinceram codicis scripturam *fecerat*, pro *faceret*. Jam inde antiquitus mutatum est id verbum, quia interpretes a sententia aberraverant, nec viderant *aliquid* significare rem alicujus momenti, rem non contemnendam. Reposito *fecerat*, ceteris intactis, sic intellegendum : Ut societatem Romanam sola voluntate nostra amplexi simus, fuit certe alicujus momenti illa res, quæ tam longam deliberationem fecerat, id est, vetusta conjunctio... Quæ sententia quam conveniens orationi sit, magis apparebit, si summam sic contraxeris : Mementote quanti feceritis olim Macedonicam societatem, siquidem, etiam oblato fœdere Romano, ne dicam instante terrore Romano, eam desereretis necne, dubitavistis, dubitandoque deliberationem in tertium diem extraxistis. Ceterum initio supplendam reor vocem *ut*, haustam præcedente verbo *sequeremur* : « Ut nihil metus.. » — Statim post **Codex** : « Valeant ac nunc eadem illa... » Pro voce *ac* veteres scripserant *et*; eam recentiores omnino sustulerunt. Scribendum : « Valeant » itaque nunc eadem illa... » Quæ copula adeo apta est, ut, dempta ea, non satis cohæreat sermo. Nec vero ulla codici violentior vis infertur; fac enim postremæ parti præcedentis vocis adhæreat *ac*, fit *itac* (pro *itaq*). — Paulo infra, in his : « ..ne interdictione finium nos- » trorum nostros quoque et nos regno arceamus », ubi codex ignorat *nostrorum* et pro *regno* habet *segni*, opinor ETNOS scriptum esse pro FINIB, et legi debere : « ..ne interdictione finium nostrorum » nostros quoque finibus regni arceamus. »

Cap. XXV, 6. — (De Ætolis apud legatos Romanos agentibus,

quum bellis intestinis laborarent.) **Vulg.** : « Apud eos cum Delphis » utriusque partis legati magno certamine agerent, Proxenus » maxime, cum causa, tum eloquentia præstare visus est. » **Codex** *egerunt*. Ætolos apud Romanos egisse satis digna memoratu res erat, quæ per se poneretur, ac non quasi in transcursu attingeretur tantum; plus certe id interest, quam Proxeni eloquentia. Itaque, ut jubet codex, scribendum est : « Apud eos tum Delphis utriusque » partis legati magno certamine egerunt; Proxenus... » Vox *tum* spectat ad novum illum Ætoliæ statum, qui proxime descriptus erat, quum gravius de integro bellum ibi exarsisset.

Cap. XXV, 8. — **Codex** : « ...res a populo Romano gestas res » scribere. » Posteriorem vocem *res* editores expunxere. Legendum ibi *perscribere*. Vide quæ de repetitis vocibus dixi ad XLI, xx, 3, in fine. De verbo *perscribere*, cf. XXXI, I, 2.

De cap. XXVI, 3, ubi Madvigius delevit *ac*, vide XXV, xiv, 8.

Cap. XXVI, 4. — (De exercitu Romano castris erumpente, quum ad exitum hostes obsisterent.) **Madv.** : « Urgentes deinde alii » alios ubi evaserunt extra vallum, ut pandere aciem et exæquari » cornibus hostium, quibus circumibantur, possent, ita repente » eruperunt, ut sustinere impetum eorum Celtiberi nequirent. » **Codex**: *ali alios secuti evaserunt*... Admodum commune est nec satis proprie ad rem dictum, alios ab aliis urgeri; in omni turba id fit, nec tum demum fieri debuit, postquam evaserunt extra vallum, sed etiam antea, quum portis exirent. Aliud voluisse putandus est Livius, nimirum milites, ubi evasissent, urgere cœpisse aliter, ac prius, nec jam recta ante se, sed ita ut aciem panderent et in cornua extenderent; atque eo ducunt codicis vestigia. Legendum : « Urgen- » tes deinde alia alios, sicuti evaserant extra vallum... » h. e. urgentes deinde alii dextra, alii sinistra, prout a parte dextra sinistrave evaserant extra vallum.

Cap. XXVII, 3. — **Vulg.** : « Consules, votis etiam in Capitolio » nuncupatis, in provincias profecti sunt. Ex iis M. Æmilio senatus » negotium dedit, ut Patavinorum in Venetia seditionem compri- » meret. » Ineptam vocem *etiam* (a librario per errorem bis scriptam, in fine versus et initio sequentis, ne omnino supervacuam eam putes) recentiores sustulerunt. Sub ea latere opinor *statim*. Mendose deinde scriptum M. Æmilii nomen ait Sigonius : Æmilium enim non hoc anno, sed priore, consulem fuisse. Id ille ex aliis certe nescio quibus scriptoribus, non ex Livio, sumptum affert; nam apud Livium neque hujus neque prioris anni consulum nomina (excepto uno P. Mucio, cap. xix, 1) usquam invenias; perierunt capita hujusce libri, in quibus consulum nomina relata erant. Continuo Madvigius Livium levitatis et inconstantiæ insimulat, quippe qui alios annales in ceteris hujus partis rebus, alios hic secutus sit. Enimvero non Livius argui potest sibi discrepare, qui nihildum de ea re usquam dixit, sed ipse Madvigius repugnantia edidisse, qui in margine editionis suæ (cap. xix) anno 579 M. Æmilium, quasi auctore Livio, consulem adscripsit, quum posteriore demum anno Æmilii nomen apud Livium compareat; immo qui item in margine (cap. xxi) anno 580 consules adscripsit Sp. Postumium et Q. Mucium, quum ex consulibus hujus anni unum M. Æmilium Livius memoraverit.

Cap. XXVII, 11. — (De operibus a Fulvio Flacco censore locatis.) **Madv.** : « Et alter ex iis Fulvius Flaccus (nam Postumius nihil » nisi senatus Romani populive jussu se locaturum edixit) » ipsorum pecunia Jovis ædem Pisauri, et Fundis et Poten- » tiæ etiam aquam adducendam, et... » Integriorem tantum partem proposui loci corrupti misereque mutili, cujus verbum ipsum infra desideratur; sed id apparet fuisse *locavit*. In hac ipsa parte suppletum est verbum *edixit*. Nullum autem neque ibi neque supra occurrit nomen, quo referri possit pronomen *ipsorum*; videturque hoc nomen eadem lacuna haustum esse, qua verbum *edixit*. Quare, quum omnia illa opera, de quibus agitur, in coloniis locata sint (cf. § 13), et codex habeat *ipsarum*, non *ipsorum*, legendum est : « Et alter ex iis Fulvius Flaccus (nam Postumius nihil... se » locaturum edixit) coloniarum ipsarum pecunia Jovis ædem » Pisauri... » Aberravit librarius a voce *locaturum* ad vocem *coloniarum*.

LIBER XLII

Cap. I, 12.—In his : « Injuria consulis, etiam si justa, non tamen in » magistratu exercenda », pro aliena voce *injuria* nuper repositum est *ira*. Propius codicem est *iracŭdia*. Cf. Cic. ad Brut. I, 2 : *in superatos iracundiam exercendam.*

Cap. III, 4. — (De Q. Fulvio Flacco censore, qui ad tegendam ædem, quam ipse voverat faciebatque, marmoreas tegulas ædi Junonis in Bruttiis detraxerat Romamque advexerat.) **Vulg.** : « Postquam censor rediit, tegulæ expositæ de navibus ad templum » portabantur. Quanquam, unde essent, silebatur, non tamen » celari potuit. » Vitiosum est imperfectum *portabantur*; quod ut aptum esset, dici debebat aliquid factum esse aut accidisse per idem illud tempus, quo portabantur tegulæ. Ne ipsam quidem eam portationem per se memorari quicquam attinebat, nec docendus utique erat lector tegulas ad templum portatas esse, qui sciret eas ob id unum Romam venisse. Legendum : « Postquam censor rediit, et » tegulæ expositæ de navibus ad templum portabantur, quanquam, » unde essent, silebatur, non tamen celari potuit. »

Cap. III, 7. — (Verba Patrum, censoris facinus vituperantium) **Vulg.** : « Detractum culmen templo; nudatum tectum patere » imbribus putrefaciendum. Censorem moribus regendis creatum, » cui sarta tecta exigere sacris publicis et locare tuenda more » majorum traditum esset, eum per sociorum urbes diruentem » templa nudantemque tecta ædium sacrarum vagari... » **Codex** : *putrefaciendum id censorem.* Etsi ibi nihil est, quod primo aspectu magnopere offendat, tamen diligentius intuenti et sententia et verba claudicant. Primum enim, quum sententia vertatur in contrariorum

comparatione, et hinc *sarta tecta exigere*, illinc *diruentem templa* inter se respondeant, non apparet cur in eadem periodo intextum sit *moribus regendis creatum*, quod, cui rei et ipsum opponatur, non habet. Deinde redundat vox *eum*; non quod sine orationis detrimento deleri posse eam putem, quum apto posita sit loco, et vox *censorem* jam aliquanto longius distare videatur; sed simplicius elegantiusque decurreret periodus, si inciperet ab verbis *cui sarta tecta,* ita ut vox *cui* non ad *censorem*, sed ad *eum* tantummodo referretur. Itaque male a codice descitum esse, ejusque scripturam integram restituendam esse arbitror, hoc modo : « ...putrefa- » ciendum. Id censorem moribus regendis creatum? Cui sarta tecta » exigere... traditum esset, eum per sociorum urbes diruentem tem- » pla... vagari? » h. e. Idne facere censorem? Ea vero ellipsis in vehementi interrogatione multo magis Latinæ consuetudinis est, quam si positum esset verbum *facere.* —— Sequuntur illa : « ..et quod, » si in privatis sociorum ædificiis faceret, indignum videri posset, id » deum immortalium templa demolientem facere. » Abest a codice vox *templa*. Spurca ibi tautologia inest : quid enim significat *id facere,* nisi demoliri? Ita demoliens demolitur censor. Adde quod disconvenit sermo; nam in hujusmodi periodis oportet prioris membri formam fere ad verbum reddat posterius membrum. Qua sola concinnitatis cura ductus, citra codicis respectum, quem nosse non poterat, Creverius monuit sibi magis placiturum fuisse *id in deum immortalium templis facere*. Id ipsum ego ex vestigiis codicis eruere videor, eo verisimilius, quod supplemento nihil jam opus est. Jam primum, quum sententia ipsa arguat et redundare verbum *demolientem* et requiri nomen *templis*, desideratam rem sub supervacua latere putandum est, nec difficile est sub litteris *demolie* agnosci *templis*. Quid deinde fiat reliquis litteris *ntem,* sive *tem* (nam potest fuisse olim *demoliētem*), ibi magis hæreo; sed subesse *eum* haud incredibile est. Itaque libenter legerim : « ..id deum immortalium in » templis eum facere? » Præpositionem *in* propter præcedentem litteram *m* excidisse vix est quod moneam.

Cap. III, 11. — (Quum jussisset senatus tegulas in templum Junonis reportari, deæque piacularia fieri.) **Vulg.** : « Quæ ad » religionem pertinent, cum cura facta; tegulas relictas in area » templi, quia reponendarum nemo artifex inire rationem potuerit, » redemptores nuntiarunt. » Necesse erat scribi *pertinebant,* si quidem post *facta* auditum est *sunt*. Sed lenius erit remedium.

Quoniam enim ad ipsum templum Junonis in Bruttiis facienda erant piacula, manifestum est per eosdem redemptores, qui eo missi erant, relatum esse senatui nuntium et de piaculis et de tegulis. Igitur in obliqua oratione audiendum fuit *esse* post *facta*, supraque scribendum *pertinerent*. Nullus ibi error est in codice, sed usitatissimum compendium *pertin͂ent*. Cf., exempli gratia, XLII, xxiii, 4, ubi pro *pellent* jamdiu repositum est *pellerent*; sed plurima afferri possunt.

Cap. V, 4. — **Madv.** : « [Persea fama erat post patris mortem » uxorem manu sua occidisse, Apellem, ministrum quondam » fraudis in fratre tollendo atque ob id [et] quæsitum a Philippo » ad supplicium, exsulantem, arcessitum post patris mortem... » clam interfecisse. » Hæc dissoluta sunt durioraque. Sic legendum : « ...occidisse, Apellemque, ministrum quondam fraudis in fratre » tollendo atque ob id quæsitum a Philippo ad supplicium et exsu- » lantem, arcessitum... clam interfecisse. » Nam codex habet *apellemme ministrum*; ac paulo post vox *et*, quam uncis Madvigius inclusit, non supervacua videri debet, sed suo loco mota, et post *supplicium* trajicienda.

Cap. V, 10. — (De Appio legato, in Thessaliam ad res componendas misso, et inde in Perrhæbiam transeunte.) **Vulg.** : « Per » eundem Appium eodemque modo compositæ in Perrhæbia res. » **Codex** *appium in eodemque*. Legendum : « Per eundem Appium » inde eodemque modo... » — Sequuntur hæc : « Ætolorum causas » Marcellus Delphis per idem tempus hostilibus actas animis, quos » intestino gesserant bello, cognovit. » Ea sic reprehendit Madvigius : « Vitiosissime abundat *hostilibus*, id jam præcipiens, quod » deinde integra declaratur sententia; debuit dici *iisdem animis quos*. » Tum ipse scribit : *..per idem tempus non minus hostilibus actas animis quam quos*...Mirandi locus est, cur priore emendatione *iisdem* non contentus fuerit, et pro una duas lacunas fuisse voluerit : cui autem persuadebit, librarium quasi de industria hinc *non minus*, illinc *quam* omisisse? Duæ tantum litteræ post *tempus* geminandæ exciderunt. Legendum : « ..per idem tempus iis hostilibus actas » animis, quos... »

Cap. VI, 2-3. — (Marcellus in concilio Achæorum oratione sua) « insigne adversus Persea odium Romanorum fecit; quod ut » maturius erumperet, Eumenes rex... Romam venit. » Sic omnes. **Codex** : *quo ut*. Quoniam earum vocum alterutra mutanda fuit, non majore negotio reponi potuit *id* pro *ut*, quam *quod* pro *quo*; insolenter autem dicitur *ut maturius*. Præterea, quum inter Marcelli contionem Eumenisque iter non ea cognatio sit, ut alteram rem ex altera sequi oportuerit, eadem periodo hæc comprehendi non debuerunt. Legendum : « ..insigne adversus Persea odium Romanorum » fecit. Quo id maturius erumperet... » Cf. XL, lix, 8.

Cap. VI, 9. — (Antiochus rex, qui Romæ olim obses fuerat, per legatos fidem voluntatemque suam populo Romano pollicetur.) **Vulg.** : « Se nullo unquam cessaturum officio. Ea merita in se » senatus fuisse, quum Romæ esset, eam comitatem juventutis, » ut pro rege, non pro obside, omnibus ordinibus fuerit. Legatis » benigne responsum... » Vereor, ne sententia in perversum abierit. Neque enim putandus est Antiochus merita in se senatus civiumque ideo commemorasse, ut inde appareret se pro rege omnibus fuisse; præterea adeo non differunt hæ duæ res, Antiochum comiter habitum esse et Antiochum pro rege habitum esse, ut alteram ex altera colligi futile sit. Patet autem afferri ea merita tanquam causam, cur nullo postea cessaturus sit officio. Igitur pronomina *ea...eam* absolute accipienda videntur, id est, non jungenda cum sequenti voce *ut*. Voculam excidisse reor, veraque illa esse : « ..officio : ea merita in se senatus fuisse, quum Romæ esset, eam » comitatem juventutis, ut qui pro rege, non pro obside, omnibus » ordinibus fuerit. » h. e. maxima enim civium Romanorum merita in me fuerunt, utpote qui pro rege apud eos fuerim. Forte etiam (nam abesse potest vox *ut*) nulla ibi omissio fuit, sed depravatio tantum vocis *qui*.

Cap. XI, 5. — **Vulg.** : « Itaque Persea hereditarium a patre » relictum bellum et simul cum imperio traditum jamjam primum » alere et fovere omnibus consiliis. » Pro alienis vocibus *jamjam primum* alii alia suasere, Kochius *jampridem*, Vahlen *jam septimum annum*, Madvigius, præeunte Gronovio, *tanquam primum*. Miror hæsisse doctos viros in eo mendo, quod toties ipsi viderint in aliis locis occurrisse et correctum esse; nullæ enim voces sæpius confusæ reperiuntur, quam *primum* et *pximum*. Lege *jamjam proximum*.

Cap. XI, 7. — **Vulg.** : « (Persea) jam inde a puero patris contu- » bernio, Romanis quoque bellis, non finitimis tantum, assue- » tum... » **Codex** : *non in finitimis*. Finitima bella non aliud sunt quam bella in finibus aut in vicinia gesta. Quæ autem cum Romanis in Epiro Thessaliaque bella gesserat Philippus, non minus

finitima erant, quam quæ cum aliis populis in Dardania Thraciaque. Proinde Romana bella finitimis bellis opponi nequeunt. Legendum : « ...Romanis quoque bellis, non in finitimos tantum... » h. e. non in finitimos tantum gestis bellis.

Cap. XIV, 9. — (De oratione Rhodii legati, adversus Eumenem regem in senatu habita.) **Vulg.** : « Popularem quidem ac gratam » populis Asiæ (nam eo quoque jam favor Persei venerat) oratio» nem habuit, ceterum invisam senatui... » **Codex** : *popularem quidem quidem ingratam populis nam...* Hic quoque, ubi aliquid deesse visum est, ideoque suppleta est vox *Asiæ*, sub geminata voce latere id reor, quod desideratur, et alterum *quidem* scriptum esse pro *suisqñ* : « Popularem quidem suisque non ingratam populis » (nam... » Rhodius enim, quum Eumenem insectaretur, etsi unius civitatis suæ nomine, tamen omnium Asiæ liberarum civitatium causam agebat, idque ex vetere suorum instituto ; cf. XXXVII, liv, ubi iidem Rhodii, eidem Eumeni adversantes, professi erant sibi liberis etiam libertatis aliorum causam agendam esse adversus reges, qui serva omnia subjectaque imperio suo esse vellent. Quod negat Madvigius popularem appellari posse orationem, quæ a Rhodio homine in senatu Romano habita sit adversus regem externum, et quæ optimatum populique partium dissensum non attingat, ea mihi popularis utique oratio videtur existimanda, quæ partes populi populorumve contra partes populo populisve adversas defendat ; nihil interesse, ubi, a quo, contra quem habeatur, neque optimatesne an reges ex adversa parte sint.

Cap. XIV, 10. — **Vulg.** : « Ita omnes ei honores habiti donaque » quam amplissima data. » Quum in codice, pro *quam,* exstet *cuiquam,* inde Madvigius effecit *donaque, quæ cuiquam amplissima, data.* Temeraria res est, per emendationem talia invehi, qualia si ab ipso Livio profecta esse constaret, tamen admiratione et explicatione digna viderentur. Multo malim *donaque sunt quam amplissima data.* Cf. XLV, xxxix, 10, ubi idem codex exhibet *cut* pro *sunt* (*sūt*).

Cap. XV, 8. — **Vulg.** : « Ubi ad eum locum ventum est, qua » singulis eundum erat, primus semitam ingressus Pantaleon, » Ætoliæ princeps, cum quo institutus regi sermo erat. Tum insi» diatores exorti... » In ea lectione vox *tum* spectat ad verba *ingressus Pantaleon*, præcipuumque locum obtinere videtur Pantaleon, quasi secuturæ sint insidiæ Pantaleoni ipsi, non

Eumeni regi, paratæ. Præstat respondere inter se voces *ubi* et *tum*, hoc modo : « Ubi ad eum locum ventum est, qua singulis » eundum erat (primus semitam... regi erat), tum insidiatores » exorti... » — Infra, § 9 : « ..sopitusque ex semita proclivi ruit in » declive. » Hæc non ita pridem recepta sunt ex conjectura Kreissigii, exhibente codice *proclivit in declive.* Odiosa est ea proclivitas ad declivitatem addita ; legendum : « ..sopitusque ex semita pro» cumbit in declive (*procūbit*). »

Cap. XVI, 6. — **Vulg.** : « Compotem jam sui regem amici » postero die deferunt ad navem ; inde Corinthum, ab Corintho, » per Isthmi jugum navibus traductis, Æginam trajiciunt. » Offendit asyndeton *inde Corinthum, ab Corintho.* **Codex** : *ad corinthio.* Pro corrupta littera *d* litteram *q* fuisse opinor, non *b*, et legi debere : « ..inde Corinthum, aque Corintho.. Æginam trajiciunt. » Cf. Verg. G. IV, 347 : *aque Chao.* — In sequentibus « ..ut fama mortuum in » Asiam perferret », *eum* post *mortuum* excidisse crediderim.

Cap. XVII, 3. — **Weiss., Madv.** : « Princeps Brundisii Ram» mius fuit, hospitioque et duces Romanos omnes et legatos, » exterarum quoque gentium insignes, præcipue regios, accipiebat. » Cogit sententia, ut adjectivum *insignes* accipiamus tanquam *insignes viros* ; verum id Latini sermonis usus non patitur, ponique debebat nomen *viros*. **Codex** : *exterarum quoque gentium insignes quoque præcipue.* Male sublatum est alterum *quoque*, quod corruptum potius quam inutile fuisse conjectari poterat ex orationis vitio. Legendum : « ...duces Romanos omnes et legatos, » exterarum quoque gentium insignes quosque, præcipue regios, » accipiebat. » Nota res est, pronomen *quisque* non cum superlativis modo conjungi solere, sed etiam cum iis adjectivis, in quibus inest vis superlativi.

Cap. XVIII, 6. — Ibi necessaria Creverii emendatio, quoniam adhuc neglecta jacuit, videtur revocanda. **Vulg.** : « (Prætores) » fatigantes sæpe idem petendo senatum, tandem pervicerunt ut » supplementum sibi ad exercitum daretur tria millia peditum, » centum et quinquaginta equites in Romanas legiones ; in socia» lem exercitum quinque millia peditum et trecentos equites » imperare sociis jussi. » Vitium est in sermone : non enim voces *tria millia*, sed vox *supplementum* pro appositione est, ut scribi debuerit *darentur*. Item in sententia : nam ex hac lectione in legiones tantummodo supplementum petiisse dicuntur prætores, idque diu non

impetrasse, sed repente, mire scilicet mutata senatus voluntate, multo plus, quam quod petierant, accepisse. Vidit Creverius intercidisse verbum *scribere*. Legendum : «...pervicerunt ut supplementum » sibi ad exercitum daretur : tria millia... in Romanas legiones scri» bere, in socialem exercitum quinque millia... imperare sociis » jussi. »

CAP. XIX, 5. — (Verba legatorum Ariarathis, Patres orantium ut regis filium puerum in tutelam suam recipiant.) **Vulg.** : « Petere, » ut eum non sub hospitum modo privatorum custodia, sed publicæ » etiam curæ ac velut tutelæ vellent esse. Ea regis legatio grata se» natui fuit. » **Madv.** : « ..vellent esse. Egregie ea legatio.. » **Codex** : *vellent esse et regem et legatio*. Vox *regem* in codice scripta est pro *reg'ent*, id est *regerent*. Legendum : « ...sed publicæ etiam curæ » vellent esse et regerent. Ea legatio grata senatui fuit. » Cf. XLII, III, 11; XLII, XXV, 13.

CAP. XXIII, 7. — (Legati Carthaginienses apud senatum queruntur, agri sui partem a Massinissa per vim possideri.) **Vulg.** : « ..ad » extremum, si gratia plus quam veritas apud eos (Patres) valeret, » semel statuerent, quid donatum ex alieno Massinissæ vellent. » Modestius certe daturos eos, et scituros, quid dedissent; ipsum » nullum, præterquam suæ libidinis arbitrio, finem facturum. Horum » si nihil impetrarent... » **Codex** : *quid dedissent quid ipsum*. Ibi quoque videndum, utrum aliquid lateat sub altero *quid*, an, id quod voluere editores, ab oscitante librario male ex altero repetitum sit. Etsi verba *quid dedissent* per se reprehendi nequeunt, tamen is eorum sensus est (*quantum dedissent*), ut convenientius ab ipso Massinissa, quam a Carthaginiensibus dici potuerint : in hoc enim Romanorum dono, quemadmodum Massinissæ interest, quid datum sit, ita Carthaginiensium, quid non datum; aptius certe, pro *quid dedissent*, diceretur *quatenus dedissent*, aliudve quid, in quo termini distinctionisque aliqua significatio inesset. Quare tantum abest, ut alterum *quid* pro supervacuo habendum censeam, ut contra suspicer post illud excidisse litteram *n̄*, et scribi debere : « ...Modestius certe daturos eos, et scituros, quid dedis» sent, quid non; ipsum... » Cf. Hor. A. P. 308 : *quid deceat, quid non*. Id. Ep. I, II, 3 : *quid utile, quid non*. Præterea in fine, pro verbis vulgatis *arbitrio finem facturum. Horum*, legitur in codice *arbitrio futurum horum*. Ita una vox addita est, altera correcta. Opinor ego nullam vocem addendam fuisse, duas corrigendas, hoc

modo : « ...quid dedissent, quid non; ipsi nullum, præterquam suæ » libidinis arbitrio, futurum modum. Si nihil impetrarent... » Certe nec, si vocem *horum* de insequente periodo detraxeris, sententiæ quicquam detractum erit, et vox *modum*, opposita præcedenti voci *modestius*, aptior est quam commenticia vox *finem*.

CAP. XXIV, 7. — (Gulussæ, Massinissæ filio, cum legatis Carthaginiensibus de agri ambigui possessione certanti, respondent Patres) **Vulg.** : « Si aliquid possent Massinissæ honoris causa, et » fecisse et facturos esse; jus gratiæ non dare. » Hæc significare debent, Patres omnia pro Massinissa paratos esse facere, præterquam jus gratiæ dare. Videtur igitur dicendum fuisse *aliud quid*, non *aliquid*; nam vox *aliquid* omnia complectitur, neque excipi deinde quicquam sinit. Ad hoc, incommode abest pronomen *se*. Ibi codex, pro *si aliquid*, habet *si aliquem* vel *se aliquem*; nam utrumque perhibetur. Inde efficiendum fuit : « Se alia, » quæ possent Massinissæ honoris causa, et fecisse et facturos » esse; jus gratiæ non dare. » — Sequuntur illa : « Agrum, » qua cujusque sit, possideri velle. » Offendit *qua*; non enim quæritur, qua ex regione ager possidendus sit, sed quid agri. Postulat sententia *agri quod cujusque sit*, id quod peculiari formula Livius sic eloqui solet : *agrum, quod cujusque sit*. Cf. XXXI, IV, 2; XXXVIII, LIV, 4; XLII, VIII, 7, et passim.

CAP. XXV, 8. — **Madv.** : « Regem... avaritiam superbiamque » Romanis objicientem, querentemque quod alii super alios legati » venirent... » **Codex** : *obicientem frequentem quod*. Reponendum : « ..objicientem, frementem quod.. » Cf. Cic. Att. II, VII, 3.

CAP. XXV, 13. — (Verba legatorum Romanorum, referentium se a Perseo diu rejectos, tandem admissos regni finibus triduo decedere jussos esse.) **Madv.** : « Ita se profectos, nec sibi aut manen» tibus aut abeuntibus quidquam hospitaliter aut benigne factum. » **Codex** : *nec sibi aut manent ibi quidquam*. Lepida res, queri legatos, qui triduo abire jussi sint, nihil sibi abeuntibus hospitaliter factum. Hoc Madvigius de suo; aliquid suppleverant et ipsi priores, sanius quidem, sed æque inutile. Nihil enim in codice deest; sed vox *aut*, ut solet, fraudi fuit, suspicionemque attulit gravioris vitii, sola ipsa vitiata (cf. quæ dixi XXI, LIX, 7). Legendum : « Ita se profectos, » nec sibi, dum manerent ibi, quidquam hospitaliter aut benigne » factum. (*dū man'ent*). » Vide supra cap. III, 11, et XIX, 5.

CAP. XXVI, 5. — (Vocatis in senatum Illyriis speculatoribus, qui

specie legatorum Romæ erant.) **Vulg.** : « Quæsitum est, quid ita » non adissent magistratum, ut... sciretur denique, venisse eos, et » super qua re venissent. » **Codex** : *et super de re venisse*. Legendum : « ..et super ea re venisse. » Nam veniendi causam senatui indicaverant Illyrii. — Paulo infra, § 7, **Codex** : *Redierunt legati qui redierunt*. Pro altero *redierunt*, legendum est *retulerunt,* non, ut in vulgato, *renuntiarunt*. Cf. X, xxxiv, 10.

Cap. XXIX, 3. — **Vulg.** : « Prusias, Bithyniæ rex, statuerat » abstinere armis eventumque exspectare. » **Codex** : *armis equitum eventum expectaret* (sic certe in excerptis editionis Madvigianæ, etsi in Emend. Liv. scriptum est *exspectare*). Edidit Madvigius *abstinere armis et quietus eventum exspectare*; ex qua emendatione, quasi nihil manifestius esse posset, hæc collegit : « Accedat igitur hoc » exemplum corruptarum ab hoc librario vocum *quiesco* et *quietus* » ad ea... » Notandam hic putavi Madvigii consuetudinem, dubias conjecturas tanquam certissima ponentis exempla, quibus alia deinde confirmet. Nam ex codicis scriptura multo verisimilius efficitur : « ..statuerat abstinere armis, ut qui tum eventum exspectaret. » Vox *tum* aptissima est, nedum abundet : postea enim mediis consiliis adeo non stetit Prusias, ut nemo omnium regum ad deforme obsequium projectior fuerit. Cf. XLIV, xxiv, 3; XLV, xliv, 19.—In his deinde : « adversus fratrem uxoris se arma ferre », scribi *ferri* malim quam suppleri *se*.

Cap. XXIX, 4.— **Vulg.** : « Ariarathes, Cappadocum rex, præter- » quam quod Romanis suo nomine auxilia pollicitus erat, ex quo » est junctus Eumeni affinitate, in omnia belli pacisque se conso- » ciaverat consilia. » Cuinam se consociaverat? Eumenine an Romanis? Sane si sententiam excusseris, apparebit, et propter verba *suo nomine,* et quia de Romana societate jam satis dictum sit, nunc de societate Eumenis agi; sed has scrutandi moras lector non exspectat, et pronomen debuit poni. Excidit id inter *affinitate* et *in*, ob litterarum similitudinem. Legendum : « ..ex quo est junctus Eumeni » affinitate, ei in omnia... » Præterea audiendum fuisse reor Creverium, pro *est* suadentem *erat*. — Paulo post, § 6, legendum videtur : « Antiochus imminebat quidem Ægypti regno.., occupatis » Romanis in Macedonico bello; ad id bellum tamen omnia... » pollicitus erat. » **Codex** : *bello quod bellum*. Jam Vahlen voluit *ad quod bellum*, parum apte in ea periodi forma *quidem... tamen*.

Cap. XXX, 1. — **Drak.** : « In liberis gentibus populisque plebs » ubique omnis ferme, ut solet, deterioribus erat ob regem Mace- » donasque inclinata; principum diversa cerneres studia. » Sic codex, nisi quod habet *gens* pro *plebs*. Eam lectionem, cujus vitia persequi non operæ est, Madvigius ita correxit : « In liberis gentibus populis- » que egens ubique multitudo omnis ferme, ut solet, deteriorum erat, » ad regem Macedonasque inclinata; principum... » In his primarium id factum est, quod secundarium est; dici enim debuit plebs regi favisse, quia deteriores mallet, non deteriores maluisse, quia regi faveret. Ad hoc, vox *populis* abundat; nam quid intersit inter liberas gentes et liberos populos, frustra quæras. Voce *populis* correcta, tolli videntur et sententiæ vitium et redundantia et lacuna : « In liberis gentibus, plebis, quæ egens ubique omnis ferme, » ut solet, deteriorum erat, ad regem Macedonasque incli- » nata, principum diversa cerneres studia. » Junge *plebis studia cerneres inclinata ad...,* contrarie relatis vocibus *plebis* et *principum*.

Cap. XXX, 6. — (De Græcis quibusdam, nec Persea a Romanis, nec Romanos a Perseo vinci volentibus.) **Vulg.** : « Neutram par- » tem volebant potentiorem altera oppressa fieri, sed, illibatis po- » tius viribus utriusque partis, pacem ex æquo manere; ita inter » utrosque optimam condicionem civitatum fore, protegente altero » semper inopem ab alterius injuria. » Non recte per voces *altero... alterius* significantur hinc Romani, illinc Perseus. Neque codex habet *utrosque*, sed *utrasq*, id est, utrasque partes. Non igitur *utrosque* pro *utrasque*, sed *altera* pro *altero* reponendum fuit.

Cap. XXXII, 1. — **Vulg.** : « Inter consules... contentio de pro- » vincia fuit. Cassius sine sorte se Macedoniam optaturum dicebat, » nec posse collegam, salvo jurejurando, secum sortiri. Prætorem » eum, ne in provinciam iret, in contione jurasse, se stato loco » statisque diebus sacrificia habere, quæ absente se recte fieri non » possent. » Verba *se Macedoniam optaturum* parum apta videntur : quando enim optaturum, nisi tunc ipsum, quum de provinciis consulebatur? Dicendum erat *se optare* aut *sibi optionem deberi*. Sed *optaturum* ex conjectura Rubenii ortum est; codex habet *oppugnaturum*, unde eliciendum fuit *occupaturum* (*obcupaturum*), h. e. se Macedoniam provinciam usurpaturum, tanquam vacuam liberamque, et quam nemo alius vindicare poterat. In sequente periodo, ubi causam affert Cassius, cur id æquum censeat,

quum codex, pro *eum ne*, habeat *eumenien*, legendum videtur : « Prætorem enim eum, ne in provinciam... »

Cap. XXXII, 5. — **Vulg.** : « Legiones inde sortiti sunt, prima et » tertia in Macedoniam trajicerentur, secunda et quarta ut in Italia » remanerent. » Sensus est *sortiti sunt ita ut trajicerentur*. Vox *ut* neque abesse potest, neque ex posteriore membro intellegi. Ea aut propter vocem *in* excidit, aut nihil aliud quam errore transposita est. Legendum : « ..prima et tertia ut in Macedoniam... »

Cap. XXXVI, 7. — **Vulg.** : « Consuli mandatum, intra undeci» mum diem juberet eos Italia excedere. » **Codex** *ettra* (id est, ut videtur, *ẽ ĩtra*). Legendum : « Consuli mandatum est, intra... »

Cap. XXXVII, 2. — Quam emendationem in hoc loco repereram, ejus meliorem partem ab Hartelio præoccupatam (*secum*) nuper vidi. Id autem dissideo, quod in reliquis, quum ille duas voces mutet, ego, alia distinctione usus, a codice nihil discedendum censeo. Legendum : « Decimius missus est ad Gentium, regem Illyriorum, » quem, si aliquem respectum amicitiæ secum habere cerneret, » tentaret ; ut etiam ad belli societatem perliceret, jussus. » (Audiendum *est* post *jussus*, ex priore verbo *missus est*). Sic omnino codex, nisi quod vocis *secum* prior excidit syllaba. Ibi Hartelius, pro *quem... tentaret*, scripsit *eumque... tentare*.

Cap. XXXVII, 8. — In corruptissimo loco, ubi nihil habeo quod afferam, notandum tamen videtur grave mendum et in vulgata et in Madvigiana lectione relictum. Solœcum est *indignari se eodem loco esse, quo Messenii*; dicendum aut *quo Messenios* aut *quo Messenii sint*; nominativus carere verbo nequit. Miror Dukerum id ferendum putasse, nec vidisse illud ipsum exemplum, quod laudavit, contra se facere, quippe quod verbo non careat (*eandem tum fuisse, quæ nunc mihi est*. Cic. pro Cluentio, 36).

Cap. XXXVIII. 1. — **Vulg.** : « Marcius et Atilius ad Gitanas, » Epiri oppidum, decem millia a mari quum escenderent, concilio » Epirotarum habito, cum magno omnium assensu auditi sunt. » Quærit Madvigius, cur non dictum sit *escendissent*, et recte, in ea certe scriptura : neque enim tum habitum est concilium, quum escendebant ad Gitanas legati. At codex hæc tantum : *oppidum x mari*. Ubi una mutanda fuit littera, ibi duæ suppletæ sunt voces, eo licentius, quod in oppido incognito temere fictum est intervallum decem millium. Inde orta necessitas jungendi *escenderent ad Gitanas*, quum jungi debuisse videatur *concilio habito ad Gitanas*. Legendum opinor : « Marcius et Atilius ad Gitanas, Epiri oppidum, a » mari quum escenderent, concilio Epirotarum habito... » Verba *a mari quum escenderent* accipio tanquam *quum appellerent*, id est, vixdum appulsis iis concilium datum est ; namque a Corcyra veniebant. — Infra, § 2, de his : *paucos ibi morati dies... et Lycisco prætore facto*, ubi vocem *et* expunxit Madvigius, vide quæ dixi XXV, xiv, 8.

Cap. XXXVIII, 5. — (Quum Bœoti exsules in Thessaliam ad Marcium et Atilium legatos venissent.) **Vulg.** : « Bœotis exprobratum, » societatem eos cum Perseo junxisse. Quum culpam in Isme» niam, principem alterius partis, conferrent et quasdam civitates » dissentientes in causam deductas, appariturum id esse Marcius » respondit... » Ibi Madvigius, post *deductas*, supplevit *dicerent*, causatus, nisi id suppleretur, intellegendum fuisse, et in Ismeniam et in quasdam civitates culpam conferri. Intellegi vero id ipsum oportet, neque aliud Bœoti exsules dicendum habuerunt, nisi se, Romanorum fautores ideoque nunc exsules, in concilio Bœotorum victos esse, quia quædam civitates, olim secum sentientes, ad factionem adversam descissent. Quam sententiam recipi quid vetet, non video. Nec tamen omnis abest offensio : nescio enim quid sit *deduci in causam*, nisi adjiciatur in quam aut in cujus causam. Ea autem obscuritas in codice non fuit, ubi exstat *dissentientis*. Interpretandum, deductas in causam Ismeniæ dissentientis, id est, dissentientis ab iis exsulibus, qui verba faciunt.

Cap. XXXIX, 5. — Quum rex Perseus et legati Romani Marcius Atiliusque ad colloquium processissent, et, dirimente Peneo amne, paulisper cunctatio fuisset, utra pars transgrederetur, Marcius hoc joco cunctantem regem movit. **Vulg.** : « Minor, inquit, ad majo» rem, et (quod Philippo ipsi cognomen erat) filius ad patrem » transeat. » **Codex** *majores*; quæ vox, si nihil aliud, ideo jam non mutanda fuit, quod duo legati Romani erant, pari honore, pari ætate, nec, quoniam ætas pro argumento afferebatur, magis Atilii prætermittenda senectus erat, quam ipsius Marcii. Verum depravationem quoque sententiæ attulit ea mutatio. Frigidissimus enim jocus est, Marcium, ab ætate sua exorsum, statim et abrupte, propter unam nominis similitudinem, se Persei patrem dicere ; durius id videtur incredibiliusque, quam ut lepidum sit. Pone nunc *majores* : duæ fiunt joci facies, quarum ex altera ad alteram facillima deductione transitur. Quippe vox *majores* quum non tantum *ætate provec-*

tiores, sed etiam (id quod in voce *majorem* frustra quæras) *parentes* significet, ad hunc duplicem vocis sensum ita cavillatur Marcius, ut ex ambigua illa parentium significatione ad patris mentionem adduci eum nemo jam miraturus sit; quasi Persi dicat : « Majores tui nos » sumus, immo ego pater tuus. »

Cap. XL, 1. — **Vulg.** : « Quum paulisper silentium fuisset : » Exspectari nos, inquit Marcius, arbitror, ut respondeamus lit- » teris tuis, quas Corcyram misisti, in quibus quæris quid ita cum » militibus venerimus. » Perizonius delendum esse *nos* censuit ; Drakenborchius vulgatum tueri inepto interpunctionis artificio aggressus est, suadens *Exspectari*, *nos*, *inquit*, unde intellegeretur *Exspectari ut nos respondeamus*. Madvigius, postquam in Em. Liv. dubitavit tollendumne an mutandum esset *nos*, id ad ultimum uncis inclusit. Vereor ne ex mala interpretatione orta sit suspicio. Apparet enim omnes vocem *ut* eodem sensu, quo *donec*, accepisse (quem quidem sensum non ita paucis exemplis niti non infitiandum est), et voluisse *exspectari donec respondeamus*. Sed *exspectari* nihil necesse est cum voce *ut* jungi, et potest absolute accipi, ita ut Livii sententia fuerit *Ideo nos exspectamur*, *ut respondeamus*, aliter, ideo taces et verba nostra exspectas, quia litteras nobis misisti, quibus respondendum prius esse censes, quam ipse verba facias.

Cap. XL, 3. — **Vulg.** : « Orationis acerbitatem adversus hospi- » tem, utcunque est, subibo, sicut medici, quum salutis causa » tristiora remedia adhibent. » **Codex** : *medici cum... adhibens*. Ne quid fallat, meminisse oportet prioris partis illum esse sensum : adhibendæ acerbæ orationis necessitatem subibo. In posteriore perversa sententia est. Illud enim significatur : sicut medici orationis acerbitatem subeunt, quum... adhibent ; quasi tristia verba tristibus remediis addere soleant medici. Creverius recidi *quum* voluerat. Et detracta quidem ea voce sanari oratio potuit ; sed leniora tentanda videntur, præsertim quum codicis verbum *adhibens* alio ducat. Non satis attenditur, plurimis compendiis usum esse librarium qui hunc codicem, aut (id quod libentius crediderim) qui archetypum exaravit (1). Videtur ibi olim fuisse *medic'ī eum*, et legi

(1) Ea compendia in antiquiore exemplari fuisse, inde colligere licet, quod, quas notis exprimi mos fuit, eas potissimum syllabas, nullo posito signo, omittere solitus est noster (*commemorave* pro *commemoravere*, XLVI, vi, 5, et multis locis *ent* pro *erent* scriptum) ; rursus eadem sæpe temere addit, videlicet ubi, quum signi aliquid videre sibi visus esset, integra verba repræsentare ei collibuerat : hinc syllaba *ur* in fine verborum toties errore scripta, et syllaba *re* interdum mediis verbis male inserta (*pserecuius* pro *persecutus*, XLII, xlii, 12 ; *libererorum* pro *liberorum*, XLI, xvii, 7 ; *maxumere* pro *maxume*, XLII, lvii, 3).

debere : « Orationis acerbitatem adversus hospitem, utcunque est, » subibo, sicut medicus, in eum salutis causa tristiora remedia » adhibens. » Junge *adhibens sicut medicus*. Notum est *adhibere sævitiam in aliquem*.

Cap. XL, 10. — **Vulg.** : « Hæc ne dicerentur a me, uno modo » vitare potuisti, non quærendo quam ob causam exercitus in Ma- » cedoniam trajicerentur. » *Vitare ne*, h. e. præcavere ne, infrequens locutio est, et quæ usquamne reperiri apud Livium possit dubito. Quare, quum codex ibi habeat, non *vitare*, sed *videre*, legi præstat *pvidere*, id est *providere*, verbum Livio perfamiliare.

Cap. XLI, 9. — (Ex oratione Persei Marcio respondentis, postquam aliquot crimina, vix digna quæ privato homini objicerentur, refutavit.) **Vulg.** : « Et hæc quidem mihi tanquam causam dicenti » reo objecta sunt ; illa tanquam regi, et quæ de fœdere, quod mihi » est vobiscum, disceptationem habeant. Nam, si est in fœdere ita » scriptum, ut, ne si bellum quidem quis inferat, tueri me regnum- » que meum liceat... » Mutavit Madvigius, quia hæc sic interpretatur : *illa tanquam regi, et ejusmodi ut de fœdere disceptationem habeant*, et negat verba *tanquam regi et quæ* sic conjungi posse, ut *quæ* pro *ejusmodi quæ* accipiatur. Deinde, quum credat per particulam *nam* definiri pronomen *illa*, ita ut per eam particulam incipiat enumeratio rerum, quæ jam ante per pronomen *illa* infinite demonstratæ sunt, rursus negat talem verborum *illa... nam* usum apud Ciceronem aliosque reperiri posse. Ea, quæ vitiosa esse contendit, vitiosa quidem esse fatendum est, et, sicubi occurrant, corrigenda ; sed hic tela in ventum jecit. Quippe is vulgati sensus est : *illa tanquam regi et tanquam quæ de fœdere* (*quasi de fœdere*) *disceptationem habeant*. Contendit enim Perseus illa crimina nequaquam ad fœdus pertinere, et id ipsum explicat insequente sententia, quæ, si oratorio artificio exuitur, nihil aliud significat quam *Nam in fœdere non scriptum est ut...* Itaque codicis scriptura retinenda est.

Cap. XLI, 14. — (Defendit Perseus se jure suo Dolopas armis coercuisse, quum dicionis suæ essent) **Vulg.** : « Nec, si causa reddenda » sit, non vobis, nec fœderatis, sed iis, qui ne in servos quidem » sæva atque injusta imperia probant, plus æquo et bono sævisse » in eos videri possum. » Illud *fœderatis*, quod Grynæus codicis

lectioni *fœderi* substituit, rectene dici possit de omnibus seu populis seu regibus, inter quos pax convenit, non disputabo; apud Livium certe insolitum verbum est. Nusquam, post icta cum Romanis fœdera, nec Carthaginienses, nec Hispanos, nec Macedonas, nec Syros, vocari videas fœderatos, sed semper socios. Ceterum, ne si aptum quidem esset *fœderatis*, mutari oportuit vocem *fœderi*. Displicuisse eam verisimile est, quia non tanquam res, sed tanquam persona quædam, cui ratio reddatur, inducta sit et cum hominibus (*vobis*) conjuncta. Verum id dicendi genus non nunc primum apud Livium occurrit, et Pontium Samnitem (IX, I, 7) nemo non tulit ita loquentem : *Quid ultra tibi, Romane, quid fœderi, quid diis arbitris fœderis debeo?* Certe ibi vocem *fœderi*, præsertim hominibus diisque interpositam, non sine aliqua personæ significatione accipi posse, evincit ipsa sententia. Nam fœderi, si proprio sensu stes, id est pactæ societati, nihil debetur, nisi sola fœderis observantia, quam Samnites non præstiterant. Nunc, postquam ait Pontius fœderi per eam expiationem satisfactum esse, nonne voci *fœderi* personæ speciem induit? Probandum igitur fuit, sicut *fœderi expiationem debere*, ita *fœderi rationem reddere*.

CAP. XLII, 1. — **Madv.** : « At quum processissem inde ad visendas » Larisam et Antronas et Pteleon, quia in propinquo eram, sacri- » ficandi causa, ut multo ante debita vota persolverem, Delphos » escendi. » Codex non habet *quia in propinquo eram*, sed *qua in propinquo delphis*, quæ verba, una modo adjecta littera *t*, retinenda erant, hoc modo : *qua in propinquo Delphi sunt*, id est, a quibus locis Delphi parum distant. Nam *sunt* per compendium scribi solet *st*.

CAP. XLIII, 1. — **Vulg.** : « Hæc dicenti tum adsensus Marcius » auctor fuit mittendi Romam legati, quum experienda omnia ad » ultimum nec prætermittendam spem ullam censuisset. Reliqua » consultatio erat, quonam modo tutum iter legatis esset. » **Codex** *Et dicentem et cum adsensum... legati essent cum... censuissent.* Tacenda videtur Madvigii lectio, qui, emendandi licentia supra quam credibile est ibi usus, duos versus supplere non dubitavit, ac ne fingendis quidem rebus abstinuit, quasi Livii non editor, sed laboris socius et particeps fuerit. Tam insolito remedio hunc locum, etsi corruptissimum, tamen non egere opinor; perturbationem enim hinc maxime ortam esse, quod in codice vox *essent* (ab editoribus expuncta) loco suo mota sit, ac deinde vox *reliqua* præcedentem vocem *rex*, absorbuerit. Itaque legi censeo : « Hæc dicenti ei quum

» assensum esset, Marcius auctor fuit mittendi Romam legatos. » Quum experienda omnia ad ultimum nec prætermittendam spem » ullam censuisset rex, reliqua... »

CAP. XLIII, 4. — **Vulg.** : « Ab hoc colloquio... legati Romani » (Marcius et Atilius) in Bœotiam comparati sunt. » Comparati dici solent duo collegæ; sic duo consules X, XV, 12, et duo censores XL, XLVI, 4. Quattuor legatos in Græciam senatus ita miserat, ut bini irent, hac duo Lentuli, illac Marcius et Atilius (cf. XLII, XXXVII, 3). Sed vulgatum ferri nequit : non enim tum demum comparati sunt Marcius et Atilius, quum in Bœotiam ierunt, sed jam ante et priusquam Roma proficiscerentur comparati erant. Legendum : « ..in » Bœotiam comparati eunt. » Residet tamen scrupulus, quid opus fuerit eam comparationem ibi potissimum commemorari. — Sequuntur illa : « Ibi jam motus cœperat esse, discedentibus a societate » communis consilii Bœotorum quibusdam populis, ex quo renun- » tiatum erat, respondisse legatos, apparitorum, quibus populis » proprie societatem cum rege jungi displicuisset. » **Codex** : *esse descendentibus in societatem.* Vidimus (cap. XXXVIII, 5) duas fuisse in Bœotia factiones, alteram pervicisse ut fœdus cum Perseo fieret, alterius victæ principes exsulasse. Qui igitur populi pro Romanis steterant, ii discedere a societate communis consilii Bœotorum non potuerunt, ut in quam antea non descendissent; ad id tantum apud eos valuisse videtur recens Romanorum metus, ut majorem partem non sequerentur, sed firmius in vetere sententia sua perstarent. Quare retinenda censeo codicis verba, suppleta tamen littera $\bar{n}$ (*non*) : « Ibi jam motus cœ- » perat esse, non descendentibus in societatem communis consilii » Bœotorum quibusdam populis.. » — Infra, § 9, vix Latinum puto, nedum Livianum, illud dicendi genus : *causam cum Perseo societatis in Ismeniam contulerant.* Excidisse videtur *junctæ* post *causam*. Cf. cap. XXXVIII, 5, et XLIII, 5.

CAP. XLIV, 1. — (De Bœotis a Perseo rege ad Romanos deficientibus.) **Madv.** : « Aliarum civitatium principes, suo quique proprie » decreto regiam societatem aspernati, Romanis se adjungebant... » **Codex** : *suo quoque proprio decreto propriam societatem aspernata.* Haud facile decernas verbisne an sententiæ pejor vis illata sit. Vera sententia, si ex hoc loco perspici non potuit, ex duobus aliis liquere debuit. Proxime enim (§ 6), occurrunt hæc : *Ita, quod maxime volebant, discusso Bœotico concilio, in Peloponnesum profi-*

ciscuntur (*legati*). Deinde, cap. xlvii, 3, iidem legati in senatu gloriantur *Bœotorum quoque se concilium arte distraxisse, ne conjungi amplius ullo consensu Macedonibus possent.* Ex his apparet, id maxime a legatis quæsitum esse, ut dissolveretur Bœoticum concilium. Eo præcipue oratio verti debet, non ad id, quod et manifestum erat et in fine sententiæ satis declaratur, Romanosne an Persea Bœoti secuturi essent. Quid deinde profuit pro voce *propriam* scribi *regiam*, nisi ut ad pravitatem accederet redundantia? Ubi enim id agitur, utrum regis an Romanorum eligenda sit societas, ibi regiam societatem aspernari nihil aliud est quam Romanis se adjungere. Legendum : « Aliarum civitatium principes, suam quoque » proprio decreto propriam societatem aspernati, Romanis se » adjungebant. » Nimirum earum civitatium unaquæque, eo ipso quod, in amplectenda Romana societate, decretum proprium (id est, ad se unam pertinens, omissis aliis Bœotis) faciebat, tunc aspernabatur, non regiam modo, sed suam quoque propriam societatem (id est, ipsam Bœotorum inter se societatem). —— Infra, § 7, **Vulg.** : « Argis præbitum est iis concilium (Achæorum). » **Codex** : *argi*. Reponendum *Ægi* (*Ægii*), ut monuimus XXXI, xxv, 2, ubi vide.

Cap. XLV, 2. — **Vulg.** : « (Legati Romani) circumeuntes hortabantur socios ad suscipiendum adversus Persea pro Romanis » bellum, et, quo quæque opulentior civitas erat, eo accuratius » agebant, quia minores secuturæ majorum auctoritatem erant. » **Codex** : *agebant in qua minores*. Minores civitates ad majores se applicaturas, quemadmodum verisimillimum debuit dici, ita non certum ac necessarium. Accommodatior igitur et sententiæ et codici res erit, si legerimus *accuratius agebant, ut in quo minores..*, h. e. ut in quo bello. Excidisse *ut* post *agebant*, nihil mirum. —— Paulo post, § 4, ubi codex et vulgatum habent : *multis orationibus pervicerat Rhodios, ut...* (Madv. *perduxerat*), legendum est *pervicerat ad Rhodios*. Eo facilius omitti *ad* potuit, quod olim scribebatur *at*. De voce *ad* vide quæ congessit exempla Drak. VII, vii, 4.

Cap. XLVI, 8.— **Vulg.** : « Thebani nihil moti sunt, quanquam » nonnihil et damnatis principibus et restitutis exsulibus succense» bant Romanis. » Aptius diceretur succensuisse Thebanos propter quam post damnatos principes. Ideo præstat *nonnihil ex damnatis*. Sæpe in hoc codice *et* pro *ex* scriptum est (ut XLII, xlviii, 10, et XLIV, xxii, 7).

Cap. XLVII, 3. — (Verba legatorum senatui renuntiantium, quæ a se in Græcia facta sint.) **Vulg.** : « Bœotorum quoque se con» cilium arte distraxisse, ne conjungi amplius ullo consensu Mace» donibus possent. » **Cod.** *distraxissent ne*. Hæc significant distraxisse legatos Bœotorum concilium, metu ne postea consentire possent. At in ea sententia dici debuisset *aliquo consensu*, non *ullo consensu*. Præterea legatis magnas res se fecisse gloriantibus, multo potius memorandum fuit, quid consecuti essent, quam quid metuissent, et dicendum *ita ut ne possent*, quam *metu ne possent*. Atque id jubet codex, nisi quod corrupta est una littera. Legendum : « ..dis» traxisse, ut ne conjungi... »

Cap. XLIX, 2. — (De P. Licinio consule, paludato ab urbe in Macedoniam proficiscente.) **Vulg.** : « Semper quidem ea res cum » magna dignitate ac majestate geritur ; præcipue tamen convertit » oculos animosque, quum ad magnum... hostem euntem consu» lem prosequuntur. » **Codex** *quæritur*, non *geritur* ; deinde abest *tamen*. Adversativam particulam, quæ præcedenti voci *quidem* respondeat, apud Livium sæpe omitti docuimus XXX, xxix, 4, ubi vide. Suppleta igitur voce *tamen* nihil opus fuit. Non quod nihil excidisse putem. Sicut enim initio prioris membri posita est vox *semper*, ita initio posterioris opinor fuisse vocem *tunc*, eo magis quod ea sequenti quoque voci *quum* optime responsura fuit. Nec dubito, quin ea vox *tūc* lateat sub postrema syllaba verbi *quæritur*. Nam repositum verbum *geritur* minime aptum est : consulis profectio non earum rerum est, quæ geruntur, sed quæ aguntur. Ceterum, dempto *tur*, reliquæ litteræ *quaeri* quid occultent, haud facile dictu est ; forte *acta est*. Utcunque habet, forma certe orationis in hunc modum videtur describenda : « Semper quidem ea res cum magna » dignitate ac majestate acta est ; tunc præcipue convertit oculos » animosque, quum... » —— Infra, § 10, **Vulg.** : « Cum iis consul » Brundisium ad exercitum, atque inde, cum omnibus copiis trans» vectus, ad Nymphæum in Apolloniati agro posuit castra. » Patet expediri non posse accusativum *Brundisium*, deinde ineptam rem esse *ad exercitum posuit castra*, etsi fuerunt, quibus tale zeugma tentari placuerit. Excidisse *venit* vel *abiit* post *exercitum* censuit Drakenborchius. Opinor scriptum fuisse *exercituiit*, h. e. *exercitum iit*.

Cap. L, 7. — **Vulg.** : « Unum esse Macedoniæ regnum et regione » propinquum et quod, sicubi populo Romano sua fortuna labet,

» antiquos animos regibus suis videatur posse facere. » **Codex** : *et quod quia sictibi*. Forte *et quod quidem*, cum affirmandi vi, h. e. et quod certe.

CAP. LI, 3. — (Macedonici exercitus recensio.) **Vulg.** : « Summa » omnium quadraginta tria millia armata fuere, quorum pars » ferme dimidia phalangitæ erant. Hippias Berœæus præerat. » Ex hac interpunctione colligi necesse est toti exercitui præfuisse Hippiam, qui phalangitarum modo dux erat. Sic interpungendum : « Summa... fuere. Quorum... erant; Hippias... »

CAP. LII, 5. — **Vulg.** : « Ipse (Perseus) constitit in tribunali, » circa se habens filios duos, quorum major Philippus natura » frater, adoptione filius, minor, quem Alexandrum vocabant, natu- » ralis erat. » **Codex**: *filios duos cujus vel quorum pars Philippus*. Ex ea codicis scriptura Madvigius hæc eruit : « ..filios duos, cujus » paris Philippus... », metu videlicet, ne, post *duos*, remaneret aliqua dubitatio, quot fuerint filii. Mirum est, talia non excogitari tantum, sed etiam, ne subsimili quidem allato exemplo, Livio infulciri; idque adeo confidenter, ut, quum alias non semel ad emendationes suas Madvigius adscripserit, rem incertam esse, ibi, quasi reperta luce ipsa, tacuerit. Opinatus est, ex conjectura ortas esse voces *vel quorum*, ideoque eas sustulit. Quæ suspicio, quum extremi auxilii est, tum in hunc antiquum codicem indoctumque librarium cadere non debuit. Aliud quærendum est. Venit in mentem *cujus fuit equorum pars*, vel *cui data equorum pars*. Namque in ea, quæ præcessit, copiarum enumeratione, cum suo quæque duce ceteræ omnes exercitus partes commemoratæ sunt, unius equitatus Macedonici dux aut duces omissi sunt; in ea autem ætate tunc erat Philippus, ut parti certe equitum præfici posset. Neque obsunt quæ cap. LVIII, 7 leguntur. Supplendum præterea videtur *major* ante *cujus* : « ..duos : major, cujus fuit equorum pars, Philippus natura frater.. » —— Deinde § 6 : « ..in patrem seque commemoravit. » **Cod.** *se omnem oravit*. Quum littera *o* pro *q* scripta in codice videatur, legi præstat *seque memoravit*. — Infra, § 7, ubi queritur Perseus se a legatis Romanis per spem pacis deceptum esse : « ..ad se simul legatos... » missos. Fallaci deinde colloquio per speciem reconciliandæ pacis » extractam hiemem. » Quasi tota hiems colloquendo extracta sit. **Codex** : *deinde in colloquio*. Legendum : « Fallaci deinde ab col- » loquio.. » h. e. post. Cf. XLII, XLIII, 4.

CAP. LIII, 6. — (Persei iter in Thessaliam descendentis.) **Drak.** : « Descendit ad (Tripolim vocant) Azorum, Pythium et Dolichen incolentes. » Sic codex, nisi quod urbium nomina varie depravata erant. **Weiss.**, **Madv.** : « Descendit ad Azorum, Pythoum, Doli- » chen; Tripolim vocant incolentes. » Trajectis in hunc modum verbis, mire incedit Perseus; namque hæc tria oppida inter se vicina recto itinere sita sunt, sed Doliche in medio. Legendum : « Des- » cendit ad Tripolim, ut vocant Azorum, Pythoum et Dolichen » incolentes. » Nihil jam offendit : nunc enim id modo significatur, quibus urbibus constiterit Tripolis, non quo ordine obvias eas habuerit Perseus. — Paulo post, § 8, **Vulg.** : « Benigne his » appellatis, haud dubius, Perrhæbos quoque idem facturos,** » urbem, nihil cunctatis, qui incolebant, primo adventu recipit. » Cyretias oppugnare coactus... » Suppletum est verbum *facturos*. Vidit Creverius eadem lacuna haustum esse nomen ejus urbis, quæ recepta dicitur. Id autem nomen facile restitui potest. Nam inter Tripolim et Cyretias una tantum Perrhebiæ urbs fuit Mallœa, exiguo utrinque intervallo; atque eam urbem tunc in dicionem Persei venisse apparet ex capite LXVII, 7, ubi Romani eam recipiunt.

CAP. LIV, 1. — **Vulg.** : « ..oppidum ita munitum, ut inexsupe- » rabilis munimenti spes incolas ferociores faceret. » Non dici potest *spes munimenti* pro *spes posita in munimento* vel *fiducia munimenti*; nec magis Latini moris sit interpretari *spes inexsuperabile munimentum fore*. Vox *species* ibi aptissima videtur, et reponenda. Per compendium *species* scribi solebat *spēs*, ideoque hæ duæ voces sæpe confusæ reperiuntur, ut monet Drak., V, IX, 13. De hoc sensu vocis *species* cf. V, XL, 3; XXII, XLVI, 5; XXXI, XXXIV, 8.

CAP. LV, 9. — (Ubi memorantur auxilia, quæ Græciæ populi P. Licinio consuli in Thessaliam miserant.) **Codex** : *Ætolorum male unius instar quantum ad tota gente equitem erat venerant et tessalorum omnis equitatus partus erat non plus quam CCC erant adque in castris romanis*. Drakenborchii aliorumque emendationibus usus, sic edidit Madvigius : « Ætolorum alæ unius instar, quantum » ab tota gente equitum venerat, et Thessalorum, quorum omnis » equitatus speratus erat, non plus quam CCC erant equites in » castris Romanis. » Aliquid expeditius clariusque ibi exspectari potuit, ubi adeo licenter cum codice actum est, ut, præter castigationes necessarias, una vox sublata sit, altera addita, tertia (*equites* pro *adque*) prope ficta. Legendum : « Ætolorum alæ unius instar, » quantum ab tota gente equitum erat, venerant; et Thessalorum

» omnis equitatus sparsus erat; non plus quam trecenti erant » adhuc in castris Romanis. » Sparsi erant Thessali ad tuenda adversus Macedonas oppida sua, sicut Hippias cap. LIV, 7 ; et nonnulli eorum, ut cuique licuit, paulo post in castra convenerunt. Ideo cap. LVIII, 14 in acie dicuntur fuisse quadringenti, quum hic trecenti tantum sint. Male Madvigius alterutro in loco mutari numerum propter discrepantiam censuit.

CAP. LVI, 5. — (Quum M. Lucretius P. Lentulum legatum ab incepta oppugnatione Haliarti revocasset, ipse eam urbem oppugnaturus.) **Vulg.** : « Hæc soluta obsidio locum alteri novæ obsi- » dioni dedit. Namque extemplo M. Lucretius... Haliartum cir- » cumsedit. » **Codex** : *obsidio cuius locum*. Legendum : « Hæc » soluta obsidio ocius locum... » Vide ad XXIV, XLIII, 3. —— Infra, § 10, **Vulg.** : « Prædam quidem, præterquam hominum (pecora » autem maxime omnis generis fuere) divisit ad epulandum mili- » tibus. » Nusquam spectat vox *quidem*, ideoque Gronovius suaserat *prædæ quod erat*. Legendum in eandem sententiam : « Prædam » omnem, præterquam.. »

CAP. LIX, 3. — (De Thracibus in equites Italicos incurrentibus.) **Cod.** : *... gladis hastas pedites.......... mque nunc succidere crura.... is nunc ilia suffodere* (Puncta pro totidem fere litteris evanidis posita sunt). Scripturam Madvigius hanc fere fuisse opinatur : *Nunc gladiis hastas peditis petere ipsumque, nunc succidere crura equis, nunc ilia suffodere*. Immo agitur de Thrace pedite : intermixtos equitibus velites vix curare debuit in tali re Livius, et proprio eos nomine vocare solet. Malim : « ..gladiis hastas pedites « petere, equorumque nunc succidere crura, nunc ilia suffodere. » Post *crura* quid lateat, hæreo.

CAP. LIX, 7. — **Vulg.** : « Quum victor equestri prœlio rex parvo » momento si adjuvisset, debellatum esset, opportune adhortanti » supervenit phalanx. » **Codex** : *debellatum esse et opportune*. Suaserat Gronovius *debellaturus esset*, offensus, opinor, sermonis insolentia, ubi conjunctivus *debellatum esset* duplici rei inservit, simul particulæ *quum*, simul condicionali sententiæ. Madvigius sic correxit : *... si adjuvissent, debellatum esse clamaret, opportune...* In his non liquet, quem aut quid adjuturi fuerint milites ; præterea is Persei ardor ab eventu abhorret; nisi forte, qui fortunæ instandum cum parte tantum copiarum putaverit, eum credibile sit, quia reliquæ præter spem adductæ sint copiæ, repente incepto destitisse.

Profecto declaratur ibi ipsius Livii judicium, Persea culpantis, quod victis ne adducta quidem phalange institerit. Legendum : « Tum » victor equestri prœlio rex parvo momento si adjuvisset, debella- » tum esset. Et opportune adhortanti supervenit phalanx. » —— Sequuntur illa : « Fluctuante rege inter spem metumque tantæ rei » conandæ, Cretensis Evander, quo ministro Delphis ad insidias » Eumenis regis usus erat, postquam agmen peditum venientium sub » signis vidit, ad regem accurrit, ne... » **Madv.** : *Eumeni regi*. **Codex** : *fluctuanti regi... metumque ac tantæ... eumeni regis usus usus erat... agmen inpeditum*. Etsi correcto pluribus locis codice, multa etiamnum offendunt. Livium scripsisse *fluctuante rege ad regem accurrit Evander* nemo crediderit. Suspectum deinde est *insidias Eumenis* vel *Eumeni*, eo magis quod, spectata hujus librarii consuetudine, sub altera voce *usus* latere aliquid putandum est, fortasse *factas*. Denique dubitari potest, rectene dicatur *spem rei conandæ*; mos est verba *inter spem metumque* absolute poni, nullo adjecto genitivo; et aliquid post ea verba excidisse videtur, cujus vestigium *ac* in codice mansit. Asteriscum certe ibi poni satius fuit, quam spuria recipi, quæ in lexicis deinde Livii auctoritatem sibi vindicatura sint. Totius loci illam opinor fuisse formam : « Fluc- » tuanti regi inter spem metumque non auctor erat tantæ rei » conandæ Cretensis Evander, quo ministro Delphis ad insidias Eu- » meni regi factas usus erat. Postquam agmen id peditum venien- » tium sub signis vidit, ad regem accurrit... »

CAP. LX, 2. — (De Thracum alacritate, quum castra sua victores repeterent.) **Vulg.** : « Cum cantu enim superfixa capita » hostium portantes redierunt. » Sic codex. Madvigius, auctore Gronovio, *superfixa hastis capita*. Omissum potius putavit Drak. *rumpiis* vel *romphæis*, quod teli genus Thracum proprium fuit. Sed vocabulum *superfixa* nusquam alibi comparuisse videtur; Trebellii enim Pollionis vix habenda ratio est. Opinor librarium, pro voce minus nota *rūpis*, scripsisse *super*, ut legendum sit : « Cum cantu » enim rumpiis fixa capita... »

CAP. LXI, 1. — **Vulg.** : « Ad regem spolia cæsorum hostium » referebantur; dona ex his, aliis arma insignia, aliis equos, qui- » busdam captivos dono dabat. » Vox *dona* mutanda aut tollenda visa est; sustulit Madvigius. Puto pro ea fuisse *oīa*, quam certe vocem postulat prioris partis sententia : « Ad regem spolia cæsorum hos- » tium referebantur omnia ; ex his.. » — Deinde, § 3, **Vulg.** :

« Hæc per se ampla pleraque multiplicata (sunt) verbis regis... » **Madv.** : *ampla præclaraque*. **Codex** : *ampleraquæ*, aut (auctore Valh.) *ampletaque*. Legendum : « Hæc per se ampla lætaque... » — Infra, § 6, **Vulg.** : « (Legiones), nocturna fuga vobis subtractæ, » naufragorum trepidatione passim natantium flumen comple- » verunt. » Naufragi natantes mortui sunt, nec trepidare possunt. Legendum *naufragorum in trepidatione*, genitivo pendente ex verbo *compleverunt*. Genitivum Livius adjungit verbo *implere* aliquando (I, XLVI, 8 ; VII, VII, 5), adjectivo *plenus* fere semper. Emendationem comprobant subsequentia verba *illis trepidantibus*, quæ legionum illam trepidationem fuisse, non naufragorum, ostendunt. — Infra, § 9 (postquam Perseus in contione prædixit eundem belli eventum fore, qui recentis pugnæ fuisset) **Vulg.** : « Et qui vicerant ala- » cres, spolia cæsorum hostium humeris gerentes, facinora sua » audivere et ex eo, quod acciderat, spem futuri præcipientes, et » pedites... » **Codex** : *gerentes ante ora sua... futuri præponentes et...* Forte : « ...gerentes, ante ora sua audivere, et ex eo, quod acci- » derat, spem futuri proponentem, et pedites... » h. e. læti audivere regem sibi ante oculos spem futuri proponentem, etiam ex eo, quod acciderat. Necdum tamen satis expedite decurrit oratio ; nam vox *alacres* longius abesse videtur a verbo *audivere*.

Cap. LXII, 8. — **Madv.** : « Itaque plurium adsensu comprobata » sententia, legati ad consulem missi, adhibito frequenti consilio » auditi sunt. » **Codex** : *adsensum comprobata est sententia*. Nullus error in codice fuit, nisi quod vox *ut* abiit in litteram *m*. Sed manifestum est, quia a pluribus comprobata fuerit regis sententia, non ideo auditos esse a consule legatos, sed ideo ad consulem missos esse. Mutanda igitur distinctio, legendumque : « Itaque, plurium » assensu ut comprobata est sententia, legati ad consulem missi. » Adhibito... »

Cap. LXIII, 4. — **Codex, Madv.** : « Nam (obsessi) et erup- » tiones in opera crebro faciebant, et arietem admotum nunc** » libramento plumbi gravatum ad terram urgebant... » Vocem *nunc* sustulerat Grynæus ; Kreissigius voluerat *nunc saxis ingentibus, nunc libramento*. Confugiatur sane ad lacunæ suspicionem, nisi suspecta est illa ipsa vox, unde oritur suspicio. Sed deest aliquod nomen, cujus ex depravatione nasci potuit *nunc*. Non fere dicitur admotus aries, nisi addito, cui rei admotus sit. Quare venit in mentem : « ..arietem admotum muro, libramento plumbi grava- » tum... » — Infra, § 12, excidisse videtur *pr* (*prætor*) ante *tradidit* : hujus enim verbi sequentiumque nullum occurrit subjectum, nec ulla, jam inde a § 3, Lucretii mentio fuit.

Cap. LXIV, 2. — **Vulg.** : « Ubi quum audisset, raptim Romanos » circa ex agris demessum frumentum convehere, deinde ante sua » quemque tentoria spicas fascibus desecantem, quo purius fru- » mentum tereret, ingentes acervos per tota castra stramentorum » fecisse, ratus... » Negare ausim apud Livium reperiri posse hujuscemodi constructionem, ubi vox *quisque* præcedenti nomini plurali non sit apposita, sed ipsa in locum ejus succedat, ceteramque sententiam trahat. Atque hic ad insolentiam sermonis accedit ineptia : non enim per tota castra quisque acervos fecit, sed omnes fecere, ante sua quisque tentoria. Erroris indicium in ipso codice deprehenditur, ubi scriptum est *terereet*, non *tereret*. Itaque reponendum *desecantes... tererent*. — Infra, § 3-4, **Madv.** : « ...media » nocte profectus est, ut prima luce aggressus falleret. Nequicquam » primæ stationes oppressæ tumultu ac terrore suo ceteros excita- » verunt. » Vulgo editur *falleret. Nequidquam. Primæ...* Sicut hoc a Liviano more, ita illud a recta verborum structura abhorret, quæ vocem *nequicquam*, a voce *oppressæ* separatam, referri jubet ad verbum *excitaverunt*. Sic distingui oportere puto : « ...falleret. » Nequicquam primæ stationes oppressæ : tumultu... » Præterea verbum *est*, in codice omissum, mallem ante *profectus* poni, quam post, et propter frequentem Livii usum (cf. cap. LXVII, 3) et quia verisimilius excidit *ē* post *nocte*. — Deinde **Madv.**, codicem secutus : « ...simulque in vallo, ad portas miles instructus erat, » et † inconste oppugnationis castrorum. Perseus [et] extemplo » circumegit aciem... » Quoniam de barbara voce *inconste* intra conjecturas standum est, suspicor ibi fuisse *in conatu*, verbo prius omisso, ut, puta, *substitit in conatu*. Id enim vocabulum in simili re Livius usurpavit XXXIII, v, 3 : *urbis quidem amplius tentandæ in præsentia conatu absistit*. Formam certe orationis illam opinor fuisse : « ...instructus erat. Destitit conatu oppugnationis castrorum » Perseus, et extemplo circumegit aciem... » — Infra, § 9, ubi Romanos Perseus prima luce ad pugnam provocat, **Vulg.** : « Stetit » paulisper in tumulis, elici posse ratus ad equestre certamen » Romanos. Qui postquam nihil movebant, equitem mittit, qui » pedites referre ad Sycurium signa juberet. » **Codex** : *romanos quattuor postquam*. Excidisse videtur temporis significatio, et legi

debere : « ...Romanos. Quattuor horas postquam nihil movebant, » equitem mittit... »

Cap. LXV, 10. — (Describitur novum teli genus, quod funda mittebatur.) **Weiss., Madv.** : « Funda media duo scutalia imparia » habebat; cum majori nisu libratum funditor habena rotaret (id » telum), excussum velut glans emicabat. » **Codex** : *majoris sinu.* Multa sunt in hac lectione quæ offendant. Primum intellegi nequit fundam mediam duo scutalia imparia habuisse : id enim fundæ ipsius, id est universæ, proprium est, non fundæ mediæ. Deinde cur ea principue funda memoratur habuisse scutalia imparia, quum omnes habuerint? et quid ad rem, quum, si sequentia respicias, nihil interesse videatur, pariane an imparia fuerint? Hæc de verbis ipsius codicis : nam, quod attinet ad istud *majori nisu*, quod auctore Kreissigio invectum est, nihil frigidius excogitari potest. An admonendus quisquam est, telum duplo gravius, si duplo majore vi emittatur, eodem, quo cetera tela, impetu emitti? Et aliud subest æque ridiculum, funditores videlicet, quum glandes mitterent, parcere labori solitos fuisse, quippe qui in telo mittendo majorem nisum edere possent. Lucis aliquantum accessurum spero ex comparatione Polybii, quem Livius hic fere ad verbum secutus est. Hæc verba sunt Polybii (XXVII, 9) : Τοῦτο (τὸ βέλος), δυοῖν κώλων ἀνίσων ὑπαρχόντων τῆς σφενδόνης, εἰς τὸ μέσον ἐνηγκυλίζετο τῶν κώλων εὐλύτως. Λοιπὸν, ἐν μὲν τῇ περιαγωγῇ, τεταμένων τούτων, ἔμενεν· ὅτε δὲ παραλυθείη θάτερον τῶν κώλων κατὰ τὴν ἄφεσιν, ἐκπῖπτον ἐκ τῆς ἀγκύλης, καθαπερεὶ μολυβδὶς ἐκ τῆς σφενδόνης ἐφέρετο. Quæ sic transtulit Lipsius : *Hoc telum in funda, quæ duo funalia imparia habebat, in medio utrorumque, amento leviter et ut solvi posset ligatum, imponebatur. Tum igitur in circumactione fundæ, intentis funalibus, manebat; cum vero alterum solveretur in emissione, excidens amento suo, velut glans e funda ferebatur.* Statim animadvertitur, illud amentum, quod tamen in tali re aliquid valet, apud Livium omissum esse. Hic totius loci nodus est. Legendum enim videtur : « Funda media (duo » scutalia imparia habebat) quum majoris sinu ligatum funditor » habena rotaret, excussum velut glans emicabat. » Vox *sinu* sic explicanda est : pendente funda, media pars, ex habena spissiore facta, ubi glans lapisve imponi solet, duos sinus et quasi angulos, unum a læva, alterum a dextera præbet; in eo sinu, qui a majore scutali erat, ligabatur telum, ne volutaretur aut excideret; et in eo potius ligabatur, opinor, quia majus scutale funditor retinebat, quum alterum in emissione solveret. In ea lectione non jam supervacua est imparium scutalium mentio, sine qua vox *majoris* intellegi nequiverit. Vix addi necesse est, *excussum* idem esse quod ἐκπῖπτον ἐκ τῆς ἀγκύλης vel *excidens amento suo*, et telum, etsi a læva dextrave ligatum, tamen ipsum in media funda fuisse.

Cap. LXVI, 2. — (Quum Perseus circumventum præsidium Romanum obsideret, Liciniusque consul ad tuendos suos adventaret.) **Vulg.** : « Perseus, cui primum omnium fuerat, ut, contentus » fortuito successu, captis aliquot frumentatoribus occisisque, non » tereret tempus in obsidione præsidii; secundum, ea quoque » tentata utcumque, quum sciret nihil roboris secum esse, dum » liceret intacto, abire; et ipse hostium adventum elatus successu » mansit. » **Cod.** : *terere... ...utcumque secum sciret.* Vitiosissima constructio est *primum ut non tereret, secundum abire.* Deinde *utcumque* sententiæ non aptum est; neque enim id agitur, quomodo obsideatur præsidium, sed qua opportunitate; exspectes potius *utique.* Denique *secum* pro *cum* a librario scriptum esse haud verisimile est. Opinor olim fuisse *psertim,* inde ortum *qsecum,* postremo *quesecum*; certe huic sententiæ apta est locutio *quum præsertim.* Non gravior, quam antea, allata erit medicina, si legerimus : « Perseus, cui primum omnium fuerat, ut ...non » tereret tempus in obsidione præsidii; secundum, ea quoque » tentata, ut, quum præsertim sciret nihil roboris secum esse, dum » liceret intacto, abiret; et ipse... » Quanquam ne sic quidem omnis offensio sublata est : nam verba *cui primum omnium fuerat* vulgo significant *cui primum omnium optatum fuerat*; hic autem sententia cogit ut interpretemur *cui primum omnium optandum fuerat.* Fieri potest ut exciderit *optandum* aut simile aliquid, immo ut ipsum *omnium* pro *optandum* scriptum sit. —— Infra, § 8 (de phalange raptim acta et in angustiis iterum oblata suorum agmini in contrarium tendenti) : « Ibi vero clamor jubentium referre signa » ruinæ quoque prope similem trepidationem fecit. » Perplexam vocem *quoque* Madvigius uncis inclusit. Meminisse oportet, phalangem paulo ante, quo sibi viam faceret, obvii prioris agminis vehicula jumentaque in præceps dejecisse : hæc est ruina, cujus revocatur memoria. Igitur non aliena est vox *quoque*, sed aliquid ante intercidit. Legendum : « ...ruinæ tum quoque prope similem » trepidationem fecit. »

Cap. LXVII, 8. — **Vulg.** : « ..in proximis Thessalis urbibus... »

Soli poetæ dixerunt *Thessalus* pro *Thessalicus*, nec sine causa Gruterus ibi ediderat *Thessaliæ*. Frustra vulgatum tuetur Drak., dum ex Livio affert *Thessalos equites* : dicuntur enim *Galli equites*, non *Gallæ urbes*. —— Infra, § 12 (quum Thebani consulem arcessérent) **Vulg.** : « Ad horum preces, quia hibernis aptior regio quam Magnesia erat, in Bœotiam duxit. » **Codex** *et* pro *ad*. Mutavit Madvigius ediditque *Et ob horum preces et quia hibernis...*, causatus, duplicem significari itineris causam, et preces Thebanorum et regionis commoditatem; præterea præpositionem *ad* alienam esse. Miror talem virum in re aperta errasse, nec vidisse, id ipsum, quod probat, a Grynæo dictum esse, atque haud paulo elegantius. Grynæi enim lectio nihil aliud significat, nisi *Præter horum preces*, vel *Ad horum preces accedente regionis commoditate*. Fraudi forte fuit vulgati interpunctio : prave enim post *preces* positum est comma. Legendum : « Ad horum preces quia... »

LIBER XLIII

Cap. IV, 10. — (Abderitæ legati apud senatum queruntur, oppidum suum ab Hortensio prætore expugnatum direptumque esse, etsi spatium petissent, quo de iis, quæ imperasset prætor, consulem Hostilium adirent.) **Vulg.** : « Vixdum ad consulem se pervenisse, » et audisse oppidum expugnatum, principes securi percussos, sub » corona ceteros venisse. Indigna res senatui visa, decreveruntque » eadem de Abderitis, quæ de Coronæis decreverant priore anno... » **Codex** : *ceteros venisse et audisse indigne senatui visa*. Editores supplevere vocem *res* auctore Gronovio, et expunxere voces *et audisse*, tanquam ex proximo versu temere repetitas, quum ex verbo *venisse* ad verbum *pervenisse* respexisset librarius. Et in aliis quidem codicibus id pro certo habendum esset; sed hujusce librarii spectata consuetudo alio ducit. Mirum enim, quoties in præcedentium verborum similitudinem verba integra traxerit, quæ sæpe editores, vana rati, injuria delevere (Cf. statim infra § 13, ac præterea XLII, xvii, 3; XLII, xxvi, 7; XLIII, vii, 10; XLIII, xix, 14; XLV, xii, 6; XLV, xiii, 3). Huc accedit, quod, ne deletis quidem his duabus suspectis vocibus, cetera expeditur scriptura. Quare haud scio an codici et Liviano mori convenientius sit scribi : « ...ceteros venisse. Ea accidisse indignis senatui visa, decre- » veruntque... » Cf. III, xxxvii, 2 : *credere (ea) haud indignis accidere*; XXXVI, xxxv, 4 : *ut indignis accidisse ea videantur*. —— Infra, § 13, **Vulg.** : « Eisdem mandatum, ut et Hostilio consuli et » Hortensio prætori nuntiarent, senatum Abderitis injustum bellum » illatum, conquirique omnes, qui in servitute sint, et restitui in » libertatem, æquum censere. » Itane injustum bellum cuiquam

illatum esse senatus Romanus æquum censebat, id est probabat? In ea insulsitate neminem adhuc offendisse, vix credibile est. Unde petatur remedium, præsto est codicis scriptura, quæ sic habet : *nuntiarent senatu nuntiarent abderitis*. Legendum : « ...Hortensio » prætori nuntiarent senatum judicare Abderitis injustum bellum » illatum, conquirique omnes... æquum censere. » Ceterum hic, etiamsi non compertam haberemus peculiarem illam, quam supra dixi, hujusce librarii consuetudinem, tamen ex ipsis litterarum vestigiis emendatio elici posset; adeo *senatumiudicare* parum differt a *senatununtiare* (omitto postremas syllabas *nt*, quarum ratio non habenda est; etenim paucas admodum in hoc codice **Vind.** paginas invenias, ubi non occurrant litteræ *nt* aut *ur* in fine verborum perperam adjectæ).

Cap. V, 1. — **Vulg.** : « Eodem tempore de C. Cassio... querelæ » ad senatum delatæ sunt, et legati regis Gallorum Cincibili vene» runt. Frater ejus verba in senatu fecit, questus... » Male ea querelarum delatio et legatorum adventus tanquam duæ diversæ res memorantur; nam ab iis ipsis legatis delatæ sunt querelæ, neque ulla alia iis fuit veniendi causa. Sed aliorum quoque populorum legati paulo post (§ 3) de eodem C. Cassio questum venerunt; omnibusque una idem responsum a senatu datum est. Apparet Livium primo universam rem posuisse, id est, delatas esse querelas, deinde explicasse, quænam legationes questæ sint, et quid quæque. Itaque, quod ad sententiam attinet, sic distingui oportuit : « ...delatæ » sunt. Legati regis Gallorum Cincibili venerunt; frater ejus... » Sed ipsa lectio suspecta est : codex enim non habet *venerunt*, sed *tenuerunt*, pro quo forsitan legendum sit *detulerunt*.——Infra, § 8, **Madv.** : « Munera mitti legatis ex binis millibus æris censuerunt. » Duobus fratribus reguli hæc præcipua, torques duo... missa. » **Codex** : *censuerunt duo fratres regulis hæc*. Aliud quid requiri ipsa codicis verba ostendunt. Ad hoc, mire ibi duo reguli fratres ita memorantur, quasi jam ante comparuerint, quum initio unius fratris mentio facta sit. Legendum videtur : « ...censuerunt. Erant » duo fratres reguli; iis hæc præcipua... » Verbum *erant* absorbuerunt præcedentes syllabæ. In *regulis* non plus una defuit littera; nam vox *iis* in hoc codice scribi solet *is*.

Cap. VI, 5. — Ex codicis scriptura *commemorave*, notissimo compendio, non efficiendum fuit *commemoraverunt*, sed *commemoravere*.——§ 6, ubi Alabandenses legati senatum docent se magna

dona Romam attulisse et « ea, cui jussissent, tradituros », plurale *jussissent* non habet quo legitime referatur; nam proxime hæc præcessere : *si quid imperare ad bellum senatus vellet*, ex quibus dure et inconcinne intellegeretur *Patres* aut *senatores*. Legi præstat : « ea, cui jussi essent, tradituros. »

Cap. VII, 2. — **Vulg.** : « Cretensium legatis commemorantibus, » se, quantum sibi imperatum a P. Licinio consule esset sagitta» riorum, in Macedoniam misisse, quum interrogati non infitiaren» tur, apud Persea majorem numerum sagittariorum quam apud » Romanos militare, responsum est... » Majorem numerum sagittariorum apud Persea esse, ita tantum Cretensibus exprobrari a senatu poterat, si Cretenses erant et ipsi Persei sagittarii : declarari igitur id debet, suppleta una voce, quam excidisse propter proximarum syllabarum similitudinem haud dubium videtur : « ...apud » Persea majorem numerum sagittariorum suorum quam apud » Romanos militare... »——In fine, § 10, ubi Chalcidenses queruntur de avaritia et crudelitate prætorum Romanorum, **Vulg.** : « Apud » se... libera corpora in servitutem abrepta, fortunas sociorum » populi Romani direptas esse et quotidie diripi. » **Codex** : *libera corpora liberata in servitutem abrepta*. Legendum : « ..libera corpora » verberata, in servitutem abrepta... » Vox *verberata* non ideo tantum in *liberata* abire potuit, quod præcedens vox *libera* præoccupaverit aurem librarii; ipsa scriptura forsitan fraudi fuerit, si putes in antiquiore libro scriptum fuisse *u'berata*.

Cap. IX, 5. — **Madv.** : « Itaque et octo naves ornatas a Brun» disio senatus censuit mittendas ad C. Furium legatum Issam, » qui cum præsidio duarum Issensium navium insulæ præerat; (duo » millia militum in eas naves sunt imposita, quæ M. Ræcius... » conscripsit;) et consul Hostilius Ap. Claudium in Illyricum cum » quattuor millibus peditum misit... » **Codex** : *præerant miserunt dua milia*. Incommode relativum *qui* divellitur a nomine legati, interposita voce *Issam*. Inconcinne deinde, ubi duo præsidia a senatu et ab Hostilio missa esse apparet, hinc dicitur *Hostilius misit*, illinc nihil aliud quam *senatus censuit mittendas*, relicta dubitatione, effectumne id sit, aut quo tempore. Vereor, ne necessarii aliquid sublatum sit, sublato codicis verbo *miserunt*. Forte legendum : « ...senatus censuit mittendas ad C. Furium legatum (Issam, qua » cum præsidio... insulæ præerat, missæ sunt; duo millia... con» scripsit); et consul... »

Cap. X, 1. — **Vulg.** : « Haud procul inde Uscana oppidum » finium plerumque Persei erat (**Madv.** : *fuerat*). » **Codex** : *finium plerique persei ferat*. Infelix quidem Grynæus in hoc *plerumque erat* : quid enim refert, cujus plerumque fuerit Uscana? Indicari oportuit, cujus tunc esset. Infelicior autem Madvigius, dum scribit *fuerat* : quid enim inde colligendum videtur, nisi Uscanam eo tempore, quo Claudius ad eam accessit, Persei non fuisse? Persei autem tunc fuisse, ostendit Cretensium præsidium. Legendum : « ...finium imperiique Persei erat. » Nam in hoc codice scribi solet *inperi*, unde *finiũinperique*, una detracta littera *l*.

Cap. XIII, 1. — **Drak.** : « Non sum nescius, ab eadem negle- » gentia, qua nihil deos portendere vulgo nunc credant, neque » nuntiari admodum nulla prodigia in publicum neque in annales » referri. » Sic codex, nisi quod habet *in publicumque in*. Duplicem negationem *neque nulla* ferri non posse viderunt Gronovius Creveriusque. Itaque Weiss. uncis inclusit *neque*, Madvigius scripsit *ulla*. (Qua quidem mutatione non contentus Madvigius, pro *qua* scripsit *quia*, quod eum fefellit sensus vocis *neglegentia*; credidit enim, si satis ejus verba assecutus sum, significari hominum incuriam aut pravam opinionem; immo significatur deorum neglegentia, id est deorum contemptus, ut in oratione Camilli, V, LI-LII, passim). Sed omnes receperunt *nuntiari in publicum*, tanquam rem haud dubiam; nec curavit quisquam docere quid id sit, aut apud quem auctorem inventum sit. Insolenti sermone abstinendum censeo et scribendum : « Non sum nescius, ab eadem neglegentia, qua nihil deos porten- » dere vulgo nunc credant neque nuntiare, admodum nulla prodigia » in publicum neque in annales referri. » Certe omnes norunt *referre in publicum*, idem quod *condere in ærarium* inter cetera acta publica ibi asservata. Nec redundantia ulla videri debet in verbis *portendere* et *nuntiare*, altero de ominibus, altero de jussis deorum dicto; immo et altero de rebus futuris, altero de præsentibus aut præteritis; nam sæpe victorias relatas prius prodigiis quam litteris imperatorum nuntiatas esse traditur.

Cap. XIV, 2. — **Vulg.** : « Quum dilectus habendi major quam » alias propter Macedonicum bellum cura esset, consules plebem » apud senatum accusabant, quod et juniores non responderent. » Licentius ibi cum codice actum est, qui sic habet : *macedonici belli curam*. Legendum est : « Quum dilectus habendus major quam » alias propter Macedonici belli curam esset... » Cf. XLIV, XVII, 1 : *propter Macedonici maxime belli curam*; ibid. § 6 : *belli Macedonici stimulabat cura*. Nec verba tantum codicis, sed etiam res ipsa id jubet. Nam et dilectus major quam alias habebatur (cf. superiori capite), nec tamen plus duæ legiones in Macedoniam decretæ erant, eæque nihilo, quam antea, majores. Adde quod hæ duæ legiones jam alterum annum in Macedonia militabant, neque ad eas, nisi ob justum supplementum, pertinebat dilectus. Sex autem novæ scribebantur legiones, quarum duæ in Italiam decretæ, quattuor, si quo opus esset, educendæ. Hinc patet, adjectivum *major* aptius ad dilectum referri, quam ad curam. Denique illa ipsa, quæ accusatur, militiæ detrectatio, sicut abhorret a majore, id est severiore, dilectus cura, ita congruit cum majore dilectu. —— Infra, § 4 (ubi C. Sulpicius et M. Claudius prætores nimiam consulum facilitatem in dilectu habendo apud Patres accusant), **Vulg.** : « Id » ut ita esse scirent et Patres conscripti, prætores, quibus et vis » imperii minor et auctoritas esset, dilectum, si ita senatui vide- » retur, perfecturos esse. » **Codex** : *prætores et quibus vis*. Ea igitur vox *et* ab editoribus trajecta est. Emendandam potius eam, quam trajiciendam fuisse, arguit sententia, in qua aliquid desideratur. Etenim nomen *prætores*, infinite positum, de omnibus prætoribus accipi necesse est. At hi duo prætores sibi solis petebant, ut in consulum vicem succederent, iisque solis id a senatu mandatum est, non quattuor simul eorum collegis. Quare legendum : « Id ut » ita esse scirent et Patres conscripti, prætores se, quibus vis » imperii minor et auctoritas esset, dilectum... perfecturos esse. » —— Infra, § 6 (in formula nova jurisjurandi, quo civium unusquisque a censoribus adigi cœptus est), **Madv.** : « Quotienscumque » dilectus erit, cum hi censores magistratum habebunt..., in » dilectum prodibis? » Codex non *cum*, sed *quae* habet; ex qua voce efficiendum fuit *quoad*.

Cap. XV, 7. — **Vulg.** : « (Censores) causas stipendiis missorum » cognoscebant. » *Stipendiis missus* pro *a militia dimissus* insolenter dici monuit Dukerus. Lacunam suspicatus Creverius suasit *causas stipendiis nondum emeritis missorum*, duriorem structuram, etsi Madvigio tolerabilem visam. Forte nihil aliud quam *causas de stipendiis missorum*.

Cap. XIX, 2. — **Vulg.** : « Ibi Romanis (captivis)... præter prin- » cipes in custodiam civitatum divisis... » **Codex** *civitatem*. Malim *in custodiam per civitates divisis*, sicut IX, XLII, 9, *per Latinos*

populos, et apud Sall. Cat. LI, 43, *per municipia.* —— Infra, § 5, **Vulg.** : « Admoto exercitu, omnes extemplo dediderunt sese. Qua » spe celeriore deditione erectus (Perseus)... » Horridam illam ablativorum implicationem cave Livio imputes; exhibet enim codex *quam spe celeriorem deditionem.* Quid apertius quam excidisse *ad* ante relativum? Legendum : « ...dediderunt sese. Ad quam spe » celeriorem deditionem erectus... » Sic IX, XXII, 7, *ad ducis casum perculsa multitudo*; XXII, VII, 13, *ad primum conspectum filii gaudio exanimatam*, et passim. —— Infra, § 7, **Vulg.** : « Magno » usui Carvilius Spoletinus erat in colloquiis, dicendo, nihil in » ipsos sævitum. Ad Oæneum perventum est... » **Codex** : *sævitum aeide oæneum.* Secundæ vocis una correcta littera (ut sit *ēeide*), legendum est : « ...nihil in ipsos sævitum esse. Inde Oæneum » perventum est... » (*ēe = esse*).

Cap. XIX, 14. — (ubi Perseus ad Gentium Illyriæ regem legatos mittit, qui eum ad amicitiam cum Macedonibus jungendam hortentur) **Vulg.** : « Iis mandat, ut exponerent æstatis ejus hiemisque » acta sua adversus Romanos Dardanosque, adjicerent recentia in » Illyrico hibernæ expeditionis opera... » Per vocem *hiemis* sic positam, intellegi necesse est eam hiemem, quæ supradictam æstatem secuta erat. Quod falsum est; patet enim ex Livii narratione (cap. XVII) totam eam hiemem expeditione Illyrica absumptam esse, ita ut ne initio quidem hujus hiemis res geri potuerint adversus Dardanos Romanosque. Idcirco Madvigius uncis inclusit *hiemisque*. Illa autem Persei adversus Dardanos acta, quæ a Plutarcho (P. Æmil. IX) memorata sunt, nusquam apud nostrum reperias; eorum narrationem intercepit ea lacuna, quæ post tertium hujusce libri caput notata est, ubi quattuor codicis quaterniones periere; eoque ipso in loco utcunque suppleta sunt a Freinshemio (vide apud Drak.). Itaque de illa hieme meminit Livius, quæ æstatem præcesserat, non quæ secuta erat. Hæc autem est codicis scriptura : *æstatis ejus hiemisque suæ acta sua adversus romanos uardanosque acta sua adversus adicerent.* Ibi quattuor voces ab editoribus expunctæ sunt, in principio *suæ*, in fine *acta sua adversus*. Ceterum, cur librarius primum adjecerit *suæ*, deinde iteraverit *acta sua adversus*, nulla apparet causa. Ego horum verborum duo tantum postrema a librario adjecta esse censeo (et quidem allata manifesta jam hujus erroris causa), et lego : « Iis mandat, ut » exponerent æstatis ejus hiemisque anteactæ sua adversus Roma» nos Dardanosque acta, adjicerent recentia... » Patet posteriora hæc

codicis *sua adversus* ideo iterata esse post *acta*, quia librarius aberrans recurrit ad prius *acta*.

Cap. XX, 3. — (Quum Persi per eosdem legatos respondisset Gentius, sibi ad bellandum cum Romanis non voluntatem deesse, sed pecuniam) **Vulg.** : « Extemplo iidem legati... (a Perseo) re» mittuntur sine mentione pecuniæ, qua una barbarus inops impelli » ad bellum poterat. » **Codex** : *qua unda barbarus... bellum non poterat.* Legendum est : « ..qua non data barbarus inops impelli ad » bellum non poterat. » Quæ lectio non modo codicis observantior, sed etiam sententiæ aptior est, quia significatur illius pecuniæ jam antea factam esse mentionem.

Cap. XXIII, 5. — (Quum Macedones, duce Cleva, atque Epirotæ, duce Philostrato, ad Antigoneam accessissent, et alteri agrum popularentur, alteri in insidiis starent.) **Vulg.** : « In palatos popula» tores quum erupissent ab Antigonea armati, fugientes eos perse» quentes effusius in vallem insessam ab hostibus præcipitant. Ibi » ad mille occisis, centum ferme captis, ubique prospere gesta re, » prope stativa Appii castra movent... » **Codex** : « *præcipitan*» *tibus idem occisis... capti et ubique.* Dicas eosdem homines in priore periodo præcipitasse in insidias, in posteriore castra movisse, siquidem nullum novum intervenit subjectum. At hinc de Antigonensibus agi, illinc de Macedonibus Epirotisque patet. Notanda præterea vocis *ubique* obscuritas aut potius pravitas, postquam memorata est una tantum res, uno loco gesta. Neque enim cogitandum est de superiore adversus Appium certamine (§ 2), quod ad Epirotas, tunc cum Macedonibus nondum conjunctos, nullo modo pertinet. Potiora videntur hæc : « ... præcipitant, ubi ad mille occisi sunt, » centum ferme capti. Ei utrique, prospere gesta re, prope stativa » Appii castra movent. » Verbo *occisi* adhæsisse videtur prior littera sequentis verbi *st* (*sunt*), tum posterior omissa esse.

LIBER XLIV

CAP. II, 10. — **Vulg.** : « (Perseus) omnes saltus insidere præ-
» sidiis jussit. In jugum Cambuniorum... decem millia levis arma-
» turæ juvenum cum duce Asclepiodoto mittit.... » Sub otiosa voce *juvenum* latere aliquod gentis nomen putavit Creverius. Recte autem monet Madvigius, in Persei exercitu nullam fuisse gentem, exceptis ipsis Macedonibus, quæ decem millium numerum conficeret. Quæ ipse proponit (*plurium*, *variarum*, *alienigenum*), ea minime probabilia sunt. Probabilius *insessum* (*mittit insessum*, h. e. ad insidendum). Quod verbum si intransitivo sensu accipitur, nihil præterea mutandum ; sin transitivo, initio legi oportet *Inde jugum Cambuniorum*.

CAP. IV, 10. — (De Q. Marcio consule, quum, juga invia et ab hostibus insessa superare aggressus, paulisper hæsisset, quonam modo se expediret.) **Drak.** : « Egregie ad ultimum in audacter commisso
» perseveravit ; et, Popilio relicto in custodia jugi, per invia trans-
» gressus, præmissis, qui repurgarent iter, Attalum et Misagenem,
» cum suæ gentis utrumque auxiliaribus, præsidio esse saltum
» aperientibus jubet ; ipse... cum legionibus agmen cogit. » Manifestum est, non prius per invia transgressum esse consulem, quam repurgaretur iter aperireturque saltus, sed ideo ea opera jussisse fieri, ut transgredi posset. Propterea Weiss. scripsit *transgressurus*, item deinde Madvigius. Vereor autem, ut ea medela sententiæ sermonique satis sit. Quum enim primus versus totius consilii declarationem contineat, et jam inde a verbo *præmissis* incipiat partium executio, id est longi difficilisque itineris narratio, quæ totum præterea insequens caput absumptura est, videtur universa res se-

paratim proponenda fuisse, non cum prima singularum partium jungenda. Quam confusionem a Livio non profectam esse, vel ex eo colligi potest, quod verborum tempora (*perseveravit*, *jubet*, *cogit*) inter se non congruunt, et offendit impeditioris periodi prolixitas. Itaque legendum videtur : « Egregie ad ultimum in audacter com-
» misso perseveravit, et, Popilio relicto in custodia jugi, per invia
» transgressus est. Præmissis... » Non plus muto, qui suppleo voculam *est* (*ē*), quam qui scripsere *transgressurus*.

CAP. V, 1. — **Vulg.** : « Inenarrabilis labor descendentibus cum
» ruina jumentorum sarcinarumque. Progressis vixdum quattuor
» millia passuum nihil optabilius esse, quam redire, qua venerant,
» si possent. » Et insolenter ibi usurpatur infinitivus historicus, et contra codicem ; is enim habet, non *esse*, sed *esset*. Inde apparet supra excidisse vocem *ut*. Legendum : « Inenarrabilis labor descen-
» dentibus cum ruina jumentorum sarcinarumque, ut progressis...
» nihil optabilius esset, quam redire. » Atque haud scio an duæ una exciderint voces *fuit*, *ut*.

CAP. VI, 7. — **Vulg.** : « Sunt enim Tempe saltus, etiamsi non
» bello fiat infestus, transitu difficilis. » Durissima hæc pluralis singularisque numeri constructio. Id Madvigio quoque displicuisse videtur, qui malle se ait *Est enim ipse saltus*. Ipsius quidem vocis *sunt* mutatio re lenior est quam specie : nam, ut vocis *est* prima forte exciderit littera, ex reliquis *st* facile nasci potuit *sunt*. Ceterum codex habet *sunt enim p. saltus*, ubi Grynæus pro littera *p* scripsit *Tempe*. Ego prorsus omissam esse eam vocem *Tempe* censeo, et litteram *p* eo modo, quo solet, interpretandam esse, id est *per* ; idque eo verisimilius, quod proxime bis intra paucos versus occurrerunt verba *per Tempe*, tertium repetita paulo post, § 12. Legerim igitur : « Est enim per Tempe saltus... » Cf. paulo supra, § 5 : *unum* (*saltum*) *per Tempe*. —— Infra, § 8, in his : « qua exiguum jumento
» onusto iter est », exhibente codice *qua exexiguum*, malim *qua perexiguum*, sicut § 16 occurrit. —— Deinde, § 13, in his : « ita pro-
» palam, tenentibus superiora cacumina hostibus », quum codex habeat *propalam a tenentibus*, legendum puto *propalam*, *ac tenentibus*. Duæ enim diversæ res sunt, rem propalam tentari, et hostes supra caput esse.

CAP. VII, 1. — **Vulg.** : « Consul plurimum et præsidii et spei
» cernens in stultitia et segnitia hostis... » **Codex** *præsidii perspeciecernens*. Suspicatur Madvigius *plurimum esse præsidii per-*

spiciens. Probo *esse*, sed propius codicem est *perspicue cernens*.

CAP. VIII, 2. — (De consule ab Dio ad Philan regresso.) **Vulg.** : « Alii metu recessisse eum ab hoste ferebant...; alii, ignarum, belli » quæ in dies fortuna novaret, ut opperientibus sese rebus, emi- » sisse de manibus, quæ mox repeti non possent. » Ea Madvigius etsi recepit, tamen non probat ; voces enim *belli* et *fortuna* vitiose distractas esse, prioremque sine causa ante pronomen *quæ* positam. Quare, quum primo tentasset *ignarum belli, quod in dies*, deinde assensit Perizonio suadenti *ignarum belli quæque in dies*. Non assentiendum fuisse puto ; namque aliud est, ignorare eas res, quas fortuna novet, id quod vult Perizonii lectio, aliud, ignorare quam soleat fortuna res novare, id quod sententia haud dubie postulat. Legendum videtur : « ... alii, ignarum belli, quas in dies for- » tuna novaret, ut opperientibus sese rebus, emisisse... », h. e. quasi res, quas in dies fortuna novaret, eum opperirentur. —— Infra, § 7, **Weiss., Madv.** : « Hoc flumine obsæptum iter hostis » credens.. » **Codex** : *flumine hospesetseptum*. Propius accesserit : « Hoc flumine objecto sæptum... » ut XXIII, XXVI, 10 : *flumine etiam objecto tutum*.

CAP. IX, 8. — Dixit Livius (§ 3), in oppugnatione Heraclei, juvenes aliquot Romanos humillimam muri partem cepisse, inducta nova quadam testudine, ex ludicris circensibus sumpta. Post descriptionem circensis hujus testudinis, sequuntur hæc apud Madvigium : « Huic testudo similis humillimæ parti muri admota. » Quum armati super stantes subissent, propugnatoribus muri fas- » tigio altitudinis æquabantur ; depulsisque iis, in urbem duorum » signorum milites transcenderunt. » Voluerat Kreissigius, cui debetur prioris partis emendatio, *huic testudo simillima humillimæ parti*. **Codex** : *huic testudo simillime parti... depulsisquæ in iis in urbem*. Legendum : « Huic testudo simillima ei parti muri » admota... depulsisque inde iis, in urbem... »

CAP. X, 3. — **Gryn.** : « (Perseus) trepidans gazam in mare dejici » Pellæ, Thessalonicæ navalia jusserat incendi. Andronicus, Thes- » salonicam missus, traxerat tempus, id ipsum quod accidit, pœni- » tentiæ relinquens locum. Incautior Nicias Pellæ projiciendo pe- » cuniæ partem, quod fuerat nactus ; sed in rem emendabilem visus » lapsus esse, quod per urinatores omne ferme extractum est. » **Codex** : *proiciendæ.. quod fuerat natum... omnes ferme stractus est*. **Madv.** : « .. partem, quæ fuerat ad Phacum ; sed in re emenda- » bili visus est lapsus esse.. » Madvigio nomen *Phacum*, ipsi debitum, nimium arrisit ; id quemadmodum duobus aliis in locis (cap. VI, 2, et XLVI, 5), bene reposuisse videtur, ita hic ex supervacuo ; quippe regiam pecuniam, quæ Pellæ erat, in arce ejusdem urbis fuisse, non iterum docendi sumus. Nec præterea apud eum magis quam apud Grynæum posterior periodi pars (jam inde a voce *incautior*) cohærere videtur. Denique vix Latinum videtur *omne extractum est*, nullo ante occurrente nomine, ad quod referatur adjectivum *omne*. Illa malim : « Incautior Nicias Pellæ, projiciendæ pecuniæ partem quod jecerat » in altum, sed in errorem emendabilem visus lapsus esse, quod per » urinatores omnis ferme extracta est. » Ita ex verbo *visus* pendent pariter *incautior* et *lapsus*, deinde utræque particulæ *quod* inter se respondent, hoc sensu : Visus est incautior Nicias Pellæ, quod pecuniæ projici jussæ partem projecerat, sed visus est in errorem emendabilem lapsus, quod... Emendatio *errorem* Gronovio debetur.

CAP. XI, 9. — (Ubi oppugnatur a Romanis Cassandrea.) **Gryn.** : » Hoc ubi perfectum esse opus militibus nuntiatum est, clamorem » alacres gaudio repente tollunt, aliis parte alia in urbem irrup- » turis. » **Codex** : *inrupturum*. Male nominativus in ablativum absolutum transit, quasi alii homines, non ii ipsi milites, irrupturi fuerint. Quod quum vidisset Gronovius, suasit *alii.. irrupturi*, vitiosa tamen ea quoque, utpote dicta ex opinione scriptoris, non ex opinione ipsorum militum, id quod oportuit. Id vitii Madvigium non fefellisse opinor, qui, quum primo Gronovianam lectionem recepisset, deinde in Emend. Livianis monuit malle se *ut alii.. irrupturi*. Hoc autem remedium quid profuturum sit, non video : nihilo magis ea sententia ipsorum militum propria fit, præterquam quod otiosa est, nec quicquam affert, quod non lectori jam antea notum fuerit. Adde ambiguitatem ; nam æque intellegi potest *ut qui irrupturi fuerint*, aut *quasi irrupturi fuerint*. Ut postremis verbis declarari ipsum militum clamorem appareat, legendum est : « ... clamo- » rem alacres gaudio repente tollunt, aliis parte alia in urbem » irruptum iri. »

CAP. XIV, 10. — (Ubi legati Rhodii de pace reconcilianda inter Romanos et regem Persea apud senatum agunt.) **Gryn.** : « Ter- » tium se annum multa ejus incommoda belli sentire ; mari inter- » cluso, inopia insulam premi, amissis maritimis vectigalibus » atque commeatibus. » Ibi codex erasus est ; hunc locum accurate

Madvigius sic descripsit, quum præmonuisset, tot fere litteras, quot puncta posuerit, legi non posse : *mari interim incluso inopiam insulam inopem miss...... ritimisiuu...colendi itaque commeatibus*. Hæc Weiss. et Madvigius mutila reliquerunt, ego sic restitui posse puto : « ...sentire ; mari interim intercluso, omnium » insulam inopem fuisse, quæ maritimis viveret compendiis atque » commeatibus (*int'cluso, cōpendis*). » De voce *compendiis* cf. VIII, xxxvi, 10. Vocem *interim* expunxerant Grynæus ceterique deinceps, quia de præsenti tantum insulæ statu agi crediderant; sed *tertium annum sentire* nihil aliud est quam tres annos sensisse; quare vox *interim*, h. e. *per omne hoc tempus*, apta est.

Cap. XV, 1. — (Ubi Rhodiis provincias olim a se datas adimit senatus.) **Drak.** : « Senatus consultum recitatum, quo Caras et Ly- » cios liberos esse juberet populus Romanus, litterasque extemplo ad » utramque gentem**scirent indicatum mitti. » Sic codex, sed *sciret*. Extremæ parti nondum remedium inventum est. Conjecit Creverius *et senatus consultum mitti*, nimium discedens. Propius codici Madvigius *ut sciret judicatum, mitti*, nec tamen probabiliter. Neque enim id modo docendi erant Cares et Lycii, de se judicatum esse, non definito judicio, sed etiam quid judicatum esset; in quam sententiam reponi utique oportebat *ut ita sciret judicatum*. Præterea *decretum* exspectes potius quam *judicatum*; et sententia ipsa friget, namque missas de aliqua re litteras satis per se apparet ideo mitti, ut ea res sciatur. Litteris aliquid novi adjectum fuisse putandum est. Inter alia venit in mentem : « ..litterasque extemplo ad utramque gentem, » et qui iret vindicatum, mitti. » h. e. mitti legatum, qui utramque gentem ab imperio Rhodiorum in libertatem vindicaret (*et qiret*).

Cap. XVIII, 5. — (Postquam L. Æmilius consul designatus, mox in Macedoniam profecturus, a senatu petiit, ut eo legati mitterentur, qui res inspicerent.) **Vulg** . : « Senatus Cn. Servilio consuli nego- » tium dedit, ut is in Macedoniam, quos L. Æmilio videretur, » legaret. Legati biduo post profecti Cn. Domitius Ahenobarbus, » A. Licinius Nerva, L. Bæbius. » Neminem fallere arbitror, quam supervacuum sit pronomen *is*, cui ibi tantum locus est, ubi cavenda est aliqua ambiguitas; an, absente eo, ambigi potuit de eo homine, qui legaturus erat? Codex habet, non *ut is*, sed *utris*. Una littera supplenda fuit, nedum resecanda. Legendum enim : « ...negotium » dedit, ut tris (tres) in Macedoniam, quos L. Æmilio videretur, » legaret. » Sequuntur autem tria nomina.

Cap. XIX, 4. — **Vulg**. : « Sacrificio rite perfecto, se et Cn. Octa- » vium... exituros esse. » **Codex** : *perfecto esset cn*. Legendum : « ..perfecto, et se et Cn. Octavium...» ——Infra, § 11, **Vulg**.: « Ea » merita populi Romani in Antiochum, eam apud omnes reges gen- » tesque auctoritatem esse, ut, si legatos misissent, qui denuntia- » rent, non placere senatui, sociis regibus bellum fieri, extemplo... » abscessurus esset. » **Codex** : *qui enuntiarent*. Legendum : « ..qui » ei nuntiarent... » Eo minus abesse potest pronomen *ei*, quod Antiochi mentionem obscuravit recentior regum gentiumque mentio; et verbum *nuntiarent* ibi fuisse, non *denuntiarent*, patet ex § 14 : *adire jussi et nuntiare*.

Cap. XX, 4. — (Ex iis, quæ de Macedonico exercitu legati retulerunt.) **Gryn.** : « Hiemem etiam asperam rebus gerendis inter- » venisse; in otio militem ali, nec plus quam sex dierum frumentum » habere. » **Codex** : *in hiemem etiam inspe rebus gerendis intervenisse notio militi alii nec...* **Madv.** ex Perizonii Vahleniique conjecturis : « Hiemem etiam insuper rebus gerendis intervenisse; vix in otio » militem ali, nec... » In priore parte quid vox *insuper* adjiciat voci *etiam*, frustra quæro. Hæc malim : « Vi hiemem etiam insueta » rebus gerendis intervenisse... » Ne sequentia quidem, præsertim nullo exstante vocis *vix* vestigio, satis accommodata codici videntur; minore certe mutatione conjicere licet *noxia militi alia* (*intervenisse*). —— Deinde, § 5, **Vulg**. : « Si App. Claudio circa » Lychnidum satis validus exercitus foret, potuisse ancipiti bello » distineri regem. » **Codex** : *potuisset in ancipiti... destinere*. Legendum : « ...potuisse eum ancipiti bello distinere regem. »

Cap. XXII, 6. — (Ex oratione Æmilii Pauli, jamjam in Macedoniam profecturi, ad populum.) **Gryn.** : « Vos, quæ scripsero senatui » aut vobis, credite; rumores credulitate vestra ne alatis, quorum » auctor nemo exstabit. » **Codex** : *vobis mores crudelitatis vestræ adlatis*. Recte monuit Madvigius, neque *credite quæ scripsero*, neque *ne alatis* (pro *ne alueritis*) Latine dici. Ipse plura excidisse ratus, mutilum locum reliquit; et in Em. Livianis longiorem aliquanto sententiæ formam descripsit, retento verbo *alatis*, quod quidem Grynæum verisimile est sumpsisse ex XXVIII, xxiv, 1 : *quum ad id quisque, quod audierat, insita hominum libidine alendi de industria rumores, adjiceret aliquid*. Sed illo in loco verbum *alere* aptum est, non in hoc : aluntur enim rumores, dum eos aliquis spargit et auget, non dum iis nihil aliud quam credit. Weissen-

bornio satis visum est, recepta Grynæi scriptura, pro *credite* reponere *habete pro certis*. Ceterum in hoc loco grave vitium inesse videtur, quod haud scio an correctione sua Weissenbornius auxerit. Mira res est et imperii majestate indigna, id petere consulem a populo, ne litteræ suæ pro vanis habeantur. Nam ex illa sermonis distinctione, quæ Grynæo ceterisque placuit, sequitur duas res a consule peti, primum ut sibi credatur, deinde ne aliis. At manifestum est, petere eum, non ut sibi credatur, sed ut sibi soli, spretis aliis. Itaque hæc male divulsa in unam sententiam redigenda puto, ita ut legatur : « Vos, quæ scripsero senatui aut vobis, iis credite, non rumo-» ribus credulitati vestræ adlatis, quorum auctor nemo exstabit. » Quod attinet ad vocem *rumoribus*, finales syllabas *es*, *is*, *ib*, in hoc codice sæpissime confundi, notum est.——Infra, § 17, **Vulg.** : » Traditum est... prope certa spe ominatos esse homines finem esse » Macedonico bello, maturumque reditum cum egregio triumpho » consulis fore. » Confitendum quidem est, parum Latine dici *ominatos finem esse bello*; sed, deleto hoc verbo *esse*, etsi auctore Gronovio, rem in pejus mutasse videtur Madvigius. Sive enim verbum *fore* in priore quoque parte intellegi voluit (*fore finem bello et reditum consulis...*), sive eam partem omnino verbo carere, ita ut vox *finem* ex ipso verbo *ominatos* penderet (*ominatos finem et fore...*), quomodo cohæreat sermo non assequor. Audiendus fuit Creverius, quum reponi jussisset *adesse*, h. e. imminere, impendere.

Cap. XXIII, 10, et XXIV, 1. — (Quum legati Macedones una cum Illyriis legatis mitterentur Rhodum, principe iis dato Metrodoro Rhodio.) **Vulg.** : « Is princeps junctæ cum Illyriis legationis datus » est. Eodem tempore ad Eumenem et ad Antiochum communia » mandata, quæ subjicere condicio rerum poterat. » Desideratur verbum in posteriore sententia, opinaturque Madvigius excidisse *data*. Nihil excidisse mihi videtur, sed periodum unam in duas, immo in duo capita male distractam, sic reconcinnandam esse : « Is » princeps junctæ cum Illyriis legationis datus, et eodem tempore » ad Eumenem et ad Antiochum communia mandata... »

Cap. XXV, 1. — **Vulg.** : « Eumenes neque favit victoriæ Persei, » neque bello eum invadere in animo habuit, non tam quia paternæ » inter eos inimicitiæ erant, quam ipsorum odiis inter se accensæ : » non ea regum æmulatio, ut... » Non ita pridem, pro *invadere*, repositum est *juvare*, ad sententiam aptissime. Deinde Madvigius, quum ineptam esse videret eam paternarum propriarumque inimicitiarum inter se comparationem, vocem *quam* expunxit, prave additam ratus ob præcedentem vocem *tam*. Et sic quidem recte se habere videtur sententia. Tamen residet scrupulus in voce *tam*, quam quum tueri ante aggressus esset, nuper in ea non acquievisse Madvigium apparet; nam conjicit *tantum*. Reponi debere *tantum* censeo, quum propter sententiam, tum quod, compendio scribi solitum *tm̃*, facillime in *tam* abire potuit. Sed vocem *quam* non tollendam esse, et depravatam potius quam supervacuam esse, suspicari licet ex pluribus locis, ubi ea pro *etiam* scripta occurrit (Cf. X, xxvi, 14; XXVI, i, 3; XXXIV, xxxii, 3). Itaque sic legerim : « Eumenes neque favit victoriæ Persei, neque » bello eum juvare in animo habuit, non tantum quia paternæ » inter eos inimicitiæ erant, etiam ipsorum odiis inter se accensæ : » non ea...»——Infra, § 11, **Drak.** : « (Aiebat Perseus se) pecuniam » perfecta re daturum; interea Samothracæ in templo depositurum. » Ea insula quum ipsius ditionis esset, videre Eumenes nihil inter-» esse, an Pellæ pecunia esset. » Quum aliquid in postremis verbis deesse videretur, suasit Creverius *nihil interesse, ibi an Pellæ*, id quod recepit Madvigius. Maluit Weissenb. *nihil interesse, in ea an Pellæ*. Opinor ego scriptum fuisse *depositurũin* : « ...depositurum. » In ea insula, quum ipsius dicionis esset, videre Eumenes nihil » interesse, an Pellæ pecunia esset. »

Cap. XXVI, 1. — **Codex, Vulg.** : « ...Perseo per avaritiam » est dimissa res, quum pecuniam tutam et pacem habere per » Eumenem... posset. » Conjecit Gronovius *pecunia tantula aut pacem*, Cobet *pecuniam dando pacem*, alii alia. Scripsit Madvigius *pecunia data aut pacem*. Suspicor ego excidisse unam vocem, propter præcedentis vocis similitudinem, cetera integra esse : « ..quum » pecuniam aliam tutam et pacem habere per Eumenem... posset. » Id enim Perseo, qua fuisse avaritia hic quum maxime memoratur, optabile in primis videri debuit, thesauris suis in posterum caveri. —— Infra, § 9, **Madv.** : « Hæc mandata ad eos (Gallos) quum per-» tulisset Antigonus, adjecissetque per quantam omnium... copiam » ituri forent, quibusque muneribus principes... excepturus rex » esset... » **Codex** : *per quem quantum*. Inde scribendum videtur *perque quantam*, ita ut illud *que* respondeat posteriori *que* (*quibusque*).——Infra, § 11, **Codex, Vulg.** : « Clondicus, regulus eorum : » abi, renuntia ergo, inquit, regi, nisi aurum obsidesque acce-» pissent, nusquam inde Gallos longius vestigium moturos. »

Vitiosum sane est *accepissent,* ubi lex sermonis postulat *acceperint.* Sed quod præterea Madvigius ibi vidit miram et plane incredibilem obliquæ rectæque orationis confusionem, contendens potius dicendum fuisse *acceperimus*, *nusquam hinc*, ea quidem confusio aciem meam fugit ; at ipsum clare video intoleranda reposuisse, postquam scripsit *abire nuntiareque jubet regi*, non modo mutatis quattuor vocibus, sed etiam intruso eo mendo (*nuntiareque*), cujus nullum exemplum apud Livium reperiri posse dixi II, XXIII, 7, ubi notam vide. Taliane adeo confidenter Livio adscribi? Legendum : « ...abi, » renuntia ergo, inquit, regi, nisi aurum obsidesque accepti sint, » nusquam inde Gallos longius vestigium moturos. »

Cap. XXVII, 4. — **Vulg.** : « Quæ manus... Perrhebiæ saltum in » Thessaliam traducta... » Sensus est *per Perrhebiæ saltum*, quod ipsum scribi jusserunt Gruterus, Perizonius, Clericus ; sed vulgatum obtinuit, etsi nullo idoneo, quod sciam, exemplo confirmatum. Aliena sunt, quæ attulit Drakenborchius. Nam, quod recte dicitur *Traductus est exercitus silvam* aut *flumen* aut *saltum* (id est *trans saltum*), non inde sequitur, in eadem verborum comprehensione insuper adjici posse, in quam regionem traductus sit : verbi gratia, in hoc Cæsaris loco : *multitudinem trans Rhenum in Galliam traducere* (B. G. I, 35), non puto præpositionem *trans*, salva Latinitate, omitti posse. Donec aliqua proferatur auctoritas, satius videtur aut Grutero obsequi aut scribere *saltu.* —— Infra, § 12, postquam Gentius, rex Illyriorum, venientes ad se legatos Romanos in custodiam conjecerat, **Codex** : « Quo audito, Perseus, contraxisse eum necessitatis » ratus ad bellum utique cum Romanis, ad revocandum, qui » pecuniam portabat, misit. » Bene Madvigius supplevit *satis* post *necessitatis*, sed hactenus assentio. Causatus enim inepta esse verba *utique ad bellum* (h. e. si non ad aliam rem), scripsit deinde *ratus ac bellaturum utique cum Romanis.* Eum fefellit jungi debere, non *utique ad bellum*, sed *utique cum Romanis,* id est, quia minime omnium populorum Romani injuriæ patientes erant, neque cum iis postea pax speranda erat.

Cap. XXVIII, 12. — (De Gallis ab Elæa in Macedoniam navigantibus atque apud Chium a classe Macedonica oppressis.) **Vulg.** : « Pars eorum, qui propiores continenti littori erant, in Erythræam » enarunt, pars velis datis ad Chium naves ejecere. » Audiendum fuisse reor Gronovium, suadentem *continentis*. Id sibi quoque placere ait Perizonius in Minerva Sanctii, sed vulgatum utique ferri

posse ; enarrat enim continens littus esse littus continentis, inhærens continenti, cum oppositione ad littus insulæ. Haudquaquam probabilis ea enarratio. Nisi enim diserte significatur, aut ex ipso sermone satis intellegitur, cui rei aliqua res continens sit (ut *mari aer continens, cum Cilicia regio continens,* aut *proxima et continens causa, Chersonesum et continentia*), ea res intellegi debet continens inter se, id est, continuata, non interrupta. Insulæ autem littus non minus inter se continens est, quam cetera littora. Vulgatum nihil adjuvat laudatus a Creverio Horatii locus (Od. II, XVIII, 22), ut in quo dissentiant interpretes (1). In reliquis reponi censeo *inde Erythræam*, pro *in.*

Cap. XXXII, 11. — **Codex** : « Huic ut omnis multitudo vacaret, » feminæ... cibaria in castra afferebant. » Nullo ante exstante nomine ad quod referretur pronomen *huic*, nuper scriptum est *huic operi ut*, quod jam olim jusserant Muretus Creveriusque. Verisimilius post *vacaret* excidit *rei.* Ibidem in his : « feminæ ex propin- » quis urbibus coactæ cibaria », recentiores, ex Drakenborchii conjectura, pro *coactæ* scripserunt *cocta*. Non sine aliqua temeritate mutatur ibi codex, ubi nec in sententia nec in sermone quicquam offendit ; ad hoc, ut voces *coctus* et *coactus* aliquando confusæ sint, difficilius confundi potuerunt *cocta* et *coactæ*. Quid, quod ne apta quidem ea vox *cocta* hic videtur esse ? Nam si ad omnes Livii locos respicere libuerit, in quibus coctorum cibariorum mentio facta est (ut III, XXVII, 3 ; XXI, XLIX, 8 ; XXIV, XI, 9; XLIV, XXXV, 13, etc.), videbis agi de cibariis in multos dies paratis, ne in expeditione aut navigatione penuria esset, neu milites coquinaria cura ab officiis suis averterentur. Quid autem cocta cibaria memorari hic opus fuit, postquam feminis ea cura mandata erat, eæque quotidie in castra veniebant ?

Cap. XXXIII, 2. — **Vulg.** : « Montes ingentis altitudinis spem » faciebant, eo magis quia nullos apertos evergerent rivos, occultos » contineri latices... » **Codex** *evergenttrivos.* Pro incognito verbo *evergerent*, conjecit Madvigius *erigerent* aut *egererent*, utraque parum, ut mihi quidem videtur, apta : erigitur enim aqua in plano

(1) Hæc sunt Horatii verba : *Marisque Baiis obstrepentis urges Summovere littora, Parum locuples continente ripa* ; ubi Orellius adnotat : « Ceterum *continente ripa* non » est *vicina*, ut explicatur in lexicis, sed *terræ continentis littus,* ut Livius XLIV, 28. » Ne Orellio quidem assentiendum est. Immo, etiam si aliis in locis liqueret continens littus pro continentis littore accipi posse, tamen in hoc, ubi agitur de homine, qui, ripa non contentus, ultra ripam ædificat, negarem debere. Cetera enim sententia cogit ut interpretemur *Parum locuples dum te continet ripa.*

scaturiens, non aqua ex monte exiens; rursus egeritur, non fons, sed moles aliqua aquarum, dum alio quasi evehitur, ut apud Plinium, Ep. VIII, xx, 9 : *lacus in flumen egeritur*. Placeret « quia » nullos apertos ex se agerent rivos. »

CAP. XXXIV, 5. — (Verba Pauli ad milites.) **Recc.** : « Se, quod » sit officium imperatoris, provisurum, ut bene agendæ rei occa- » sionem iis præbeat; illos nihil, quo die futurum sit, quærere » debere...» **Codex** : *quodid futurum*. Frustra quæro, quod sit subjectum verbi *futurum sit;* nam *nihil* haud dubie perinde accipiendum est ac *nequaquam*. Legendum videtur *quo die id futurum sit*.

CAP. XXXV, 4. — **Vulg.** : « Sub idem tempus Rhodii legati in » castra venerunt... » Per hæc necesse est intellegi ea castra, quæ statim ante memorata sunt, id est castra Persei. Immo de Romanis castris agitur. Excidisse videtur *r* sive *ra* post *castra*, et legi debere *in castra Romana venerunt*. — Infra, § 5, pro his : « præ- » cipites sine responso agendos castris », quum codex habeat *agendosicastris*, legendum *agendos e castris* (1).

CAP. XXXVII, 4. — **Vulg.** : « Rex quoque... contentus, quod per » hostem moram fuisse pugnæ scirent, et ipse in castra copias re- » duxit. » Neque Livius, neque bonorum auctorum quisquam dixisse videtur *contentus quod*, ac ne codicis quidem eo ducit scriptura, quæ sic habet : *contemptuse quod*. Legendum *contentus eo, quod*. —— Infra, § 10, **Weiss.** : « Postero die (tantus utrique ardor exercitui » ad concurrendum fuerat, ut et regem et consulem suorum qui- » dam, quod sine prœlio discessum esset, accusarent) regi prompta » defensio erat, non eo solum quod... sed etiam quod... » Sic et ipse Madvigius, nisi quod initio parenthesis per supplementum præposuit *nam*. Miror defensionem regi promptam fuisse postero die tantum, non eo ipso die, quo pugnatum erat. Cur non eo ipso die defensionem promptam haberet, si tunc accusatus erat? Patet postero tantum die regem consulemque accusatos esse, ideoque verbum *accusarent* in parenthesim non relegandum fuisse. Legendum : « Postero die (tantus utrique ardor exercitui ad concurren- » dum fuerat) quum et regem et consulem suorum quidam... accu- » sarent, regi prompta defensio erat... » Et alibi jam monuimus, voces *ut* et *cū* sæpissime permutates esse. —— Infra, § 12, **Gryn.** :

(1) De capite XXXVI, 2, multa conatus, nihil habeo quod dicam, nisi Madvigium in pejus multo mutasse Grynæi lectionem; neque enim Latine dici *lassitudinem accendi*.

« ..atque ibi, quod rei gerendæ tempus esset, loquendo et intempes- » tive consultando videbatur quibusdam extrahere. Post sermones » tamen consul orationem habuit. » Vox *post* a codice abest. Deesse præterea videtur aliquid, quod eam orationem statim subsequi indicet. Edidit Madvigius : « ... extrahere** sermones talem » consul orationem habuit. » Deinde hæc subjecit : « Videtur fuisse » *Adversus eos sermones*. » Arbitror ego verba *quod rei gerendæ tempus esset* pro appositione esse, neque in codice reprehendi quicquam posse, nisi quod *tamen* pro *tumeā* scriptum sit : « ..atque ibi, » quod rei gerendæ tempus esset, loquendo et intempestive con- » sultando videbatur quibusdam extrahere sermones. Tum eam » consul orationem habuit. »

CAP. XXXVIII, 10. — (Ex oratione Æmilii Pauli ad suos.) **Vulg.** : » Nihilne interest, utrum militem... in aciem plenum » virium, vigentem et corpore et animo educas, an longo itinere » fessum... hosti objicias recenti, requieto, qui nulla re ante » consumptas vires ad prœlium afferat? Quis, pro deum fidem, ita » comparatus, vel iners atque imbellis, fortissimum virum non » vicerit? » Vox *non*, quæ ultimo verbo *vicerit* præposita est, in codice non comparet; nec bene cohæret oratio. Nam verba *Quis ita comparatus*, quæ ad hostem pertinent, ad militem Romanum pertinere debuisse, id est ad eum qui in priore periodo præcipuum locum obtinuit, videntur. Perspicue id appariturum reor, sic versa oratione : Quis, ita comparatus, vel ab inerte atque imbelli fortissimus vir non victus erit? Id jubebant superiora. Sed vitium inde ortum est, quod codicis scriptura corruptior habita est, quam erat. Nihil supplendum fuit, una tantum littera tollenda. Legendum : « ... hosti objicias recenti, requieto, qui nulla re ante consumptas » vires ad prœlium afferat, qui, pro Deum fidem, ita comparatus, » vel iners atque imbellis fortissimum virum vicerit? »

CAP. XXXIX, 1. — (Ex eadem oratione.) **Gryn.** : « At hercule » aciem quidem inconditam inordinatamque habuissemus : castra » munita, provisam aquationem, tutum ad eam iter præsidiis impo- » sitis, explorata circa omnia, an nihil nostri habentes præter nu- » dum campum, in quo pugnaremus? » Hæc est interpunctio (nam levissimæ mutationis a me allatæ, quo manifestius appareret universæ periodi tenor, non est quod ratio habeatur), qua hunc locum adornavit Grynæus, vir facile omnium, qui Livium attigerunt, ne excepto quidem ipso Gronovio, sagacissimus; atque ea se tes-

tatus est sensum probe perspexisse. Hæserunt ibi recentiores, et prave, mea quidem sententia, interpunxerunt; immo Madvigius, sordes in his sibi videre visus, ab interpolatione non temperavit. Rectissime se habent hæ sordes, earumque ordo et sensus universus hic est : At hercule aciem quidem inconditam habuissemus, utrum autem castra munita habentes, an nihil nostri habentes? Id vulgo erratum est, quod interrogationem ab voce *an* demum incipere crediderunt, quum ea jam inde a voce *castra* incipiat. Illud quoque nocuit, quod particula *at* speciem præbuit contradictionis vel occupationis. Sed, præterquam quod non semper *at* perinde valet atque *at enim*, locutiones certe *At hercule*, *At per deos immortales*, nihil aliud quam vividæ transitioni inservire videntur. Quod omissa est vox adversativa (*sed*, *verum*, *autem*) quæ antecedenti voci *quidem* responderet, id Livio familiare fuisse jam monuimus XXX, xxix, 4, ubi vide. —— Deinde, § 5 : « Sine » ulla sede vagi dimicassemus, ut quo victores nos reciperemus? » Subinsulsum hoc videtur, nec sine causa fatetur Dukerus se non intellegere. Manifestum est, ut sentiant milites quam utilia sint castra, eis ante oculos proponendam esse adversam, non prosperam pugnam : victoribus enim quid aliud periculi futurum est, nisi ut unam noctem, et quidem æstivam, sub divo agant? Oreretur suspicio, excidisse *non* ante *victores*, si ulla excogitari causa posset, cur Livius diceret *non victores* pro legitimo verbo *victi*. Sed meminisse oportet, paucis ante versibus occurrisse hæc : *Castra sunt victori receptaculum, victo perfugium*. Adducor ut credam, eandem sententiam, eadem verba hic repetita esse, sed posteriorem partem, propter aliquam fortasse syllabarum similitudinem, a librario omissam esse. Legendum videtur : « Sine ulla sede vagi dimi» cassemus, ut quo victores nos reciperemus, victi perfugeremus?»

Cap. XL, 8. — **Gryn.** : « Quod (jumentum) quum per aquam, ferme » genus tenus altam, tres milites sequerentur, Thraces duo id ju» mentum ex medio alveo in suam ripam trahentes** altero eorum » occiso receptoque eo jumento ad stationem suorum se recipie» bant. « Admodum sui oblitus Gronovius negavit ibi quicquam excidisse, sed orationis vulnus sutura coire posse; æque infeliciter ei Madvigius obsecutus, pro *trahentes*, scripsit *traherent*. Livione tribui tale dicendi genus : *milites Romani se recipiebant, quum sequerentur jumentum, et Thraces duo id traherent*? Saltem diceret *secuti essent* et *traxissent*. Hunc locum, etsi desideratæ partis ea

ferme videtur fuisse forma, quam descripsit Sigonius, tamen mutilum relinqui præstat.

Cap. XLI, 2. — **Vulg.** : « (Legio) frontem adversus clipeatos » habebat; chalcaspides appellabantur. » Scribendum videtur *habebat, qui chalcaspides appellabantur*. Clipeati enim, id est phalangitæ, non omnes vocabantur chalcaspides; altera phalanx leucaspidum erat. —— Infra, § 3, **Recc.**, nihil fere a Grynæo discrepantes : « In dextrum cornu (Macedonum Paulus) elephantos » inducit et alas sociorum; et hinc primum fuga Macedonum est » orta. Nam, sicut pleraque nova commenta mortalium in verbis » vim habent, experiendo, quum agi, non, quemadmodum agatur, » edisseri oportet, sine ullo effectu evanescunt, ita tum elephanti » nomen tantum sine usu fuerunt. Elephantorum impetum subse» cuti sunt socii nominis Latini pepuleruntque lævum cornu. » (**Weiss.** : *agantur*). His quidem nihil minus inter se consentaneum, nihil insulsius reperias. Quomodo enim dici possunt elephanti tunc fuisse aut nova mortalium commenta, quum prope omni memoria eis homines usi fuerint? aut in acie nomen sine usu, quum et ex initio et ex fine sententiæ appareat, eorum opera fusos esse Macedonas? Tamen, quod minime quis crederet, doctissimi viri, Sigonius, Turnebus et ipse Gronovius ibi minuta quædam reprehenderunt, de summa conniverunt. Primus Creverius repugnantiam sensit. Itaque suspicatus est hanc periodum ex alio loco temere huc immigrasse. Aliud Madvigius : rectius hæc fortasse a Polybio, hic desiderato, scripta fuisse. Quæ suspicio quo pertineat, lectoribus moris Madvigiani minus gnaris interpretor, nempe Polybii verba male Livium aut assecutum esse aut vertisse; in eo enim honore apud Madvigium Livius est, ut, quicquid erret dubitetve Madvigius, plectatur Livius. Atqui Madvigio, id quod Creverio non contigerat, inspiciendi codicis copia fuit, ubi disceret, non Livium, ac ne librarium quidem, hic peccasse. Codex non exhibet *elephanti*, sed *elepanto mace*, h. e. *elephantomachæ* (ἐλεφαντομάχαι), novum, ut videtur, apud Macedonas militum genus, ad id institutum ut adversus elephantos pugnaret. Verba ipsa indicant, usurpari ibi peculiare quoddam insolitumque nomen; nam de equitibus, puta, male pugnantibus, nusquam dici videas, equites in acie nomen tantum sine usu fuisse. Itaque legendum est : « ... ita tum elephantomachæ in acie nomen tantum sine » usu fuerunt. » —— Infra, § 7, de phalange : « Si carptim aggre» diendo circumagere... hastam cogas, confusa strue implicantur.»

Nullum præcesserat plurale nomen, sed tantum *phalangem*. Exhibente codice *adgrediendos*, scribi præstat *aggrediendo eos*.

CAP. XLII, 1. — **Vulg.** : » Peditum passim cædes fiebant. » Adhibenda eadem hic fuit emendatio, quæ paucis post versibus, auctore Gronovio, recepta est; nam § 3, ubi legebatur *peditum acies, cujus cædes victores tenebant,* recte repositum est *tenebat*.

CAP. XLIII, 2. — **Vulg.** : « Simul in silvam ventum est... » **Codex**: *in uiam silvam*. Reponendum : *in illam silvam*; hujus enim silvæ in superiore versu mentio facta est.——Deinde, § 3, **Gryn.** : « Perpauci inde Pellam celerius, quam ipse Perseus, quia recte » expedita via ierant, pervenerunt. Rex ad mediam ferme noctem » terrore et variis difficultatibus viæ vexatus est. » Ultima vox *est* a codice abest. Unum in his mendum correxit Gronovius, pro *recte expedita* suadens *recta et expedita*; alterum Weissenbornius, pro *terrore* reponens *errore*. Sed fefellit universa loci forma, etsi ejus indicia præbebant et verbum absens, et corrupta vox *terrore,* et ipsius sententiæ vitium. Mirum est enim, memorari quantum temporis Perseus vexatus fuerit, non memorari quo tempore Pellam pervenerit, immo ne diserte quidem memorari perveneritne, id quod magis ad rem pertinebat. Legendum : « Perpauci inde Pellam, » celerius quam ipse Perseus, quia recte et expedita via erant, perve- » nerunt, rex ad mediam ferme noctem, ut errore et variis diffi- » cultatibus viæ vexatus. » h. e. rex pervenit.

CAP. XLVI, 6. — (De situ urbis Pellæ.) **Madv.** : « Cingunt » paludes inexsuperabilis altitudinis æstate et hieme, quas resta- » gnantes faciunt amnes. Arx Phacus in ipsa palude, qua proxima » urbi est, velut insula eminet... » **Codex** : *inexsuperabiles... faciunt padcus in ipsa*. Hunc locum magna ex parte sanavit ipse Madvigius, restituens nomen arcis *Phacus*, ubi Grynæus ceterique scripserant *lacus*. Reliqua paulo secus ei cessere. Neque enim scio, nec quemquam scire opinor, quid sit palus inexsuperabilis altitudinis; quasi inexsuperabilem paludem faciat altitudo. Difficilius immo illa palus superatur, quæ minus alta est, quoniam limosæ voragines nec nantem nec navigantem recipiunt. Minore supplemento legendum est : « Cingunt paludes, quia inexsuperabiles » altitudines æstate et hieme aquas restagnantes faciunt. Phacus in » ipsa palude... » h. e. quia assurgentium ibi terrarum altitudinem superare aquæ nequeunt et restagnant. De altitudinibus, h. e. locis editis, cf. XXVII, XVIII, 9.

LIBER XLV

CAP. I, 4. — (Romæ inter spectacula rumore orto de Macedonica victoria) **Vulg.** : « Mirari magistratus, et quærere auctorem repen- » tinæ lætitiæ; qui postquam nullus erat, evanuit quidem tanquam » certæ rei gaudium; omen tamen lætum insidebat animis. » **Codex** *equidem*. Inconcinna est sententiæ forma. Quum enim eas voces, quibus postponuntur *quidem* et *tamen*, oporteat alteram alteri respondere, exspectandum erat *gaudium quidem... omen tamen* (non *evanuit quidem... omen tamen*). Excidit aliquid, cujus videtur vestigium in corrupta voce *equidem* deprehendi. Legendum : « ...eva- » nuit id quidem tanquam certæ rei gaudium, omen tamen... »

CAP. III, 8. — (Verba senatus Rhodiis legatis respondentis) **Gryn.** : « Postquam superatos saltus transgressosque in Macedo- » niam Romanos audirent..., tunc Rhodios legationem misisse. » Emendationem *audierint* cur suaserit Gronovius receperintque recentiores, non video. Quoniam in recto sermone dicitur *postquam audiebant*, quidni in obliquo *postquam audirent* ?

CAP. V, 2. — (De Cn. Octavio, quum Samothracam, quo Perseus perfugerat, classem suam appulisset.) **Vulg.** : « Is quoque, præsenti » admoto terrore, modo minis, modo spe perlicere, ut se traderet, » quum conaretur... » **Codex** : *spe permitteret se tradere conaretur.* Duobus ante versibus dictus erat Paulus ipse tetendisse, ut Perseus in fidem populi Romani « se permitteret ». Idem verbum nunc repeti jubent et codex, et sententiæ ipsius initium *Is quoque*. Adde, quod offendit *perlicere minis*. Malim igitur : « Is quoque... modo » minis, modo spe, permitteret se, suadere quum conaretur... » ——Infra, § 4 (Verba L. Atilii ad populum Samothracum de Evandro

homicida in insulam sacram recepto.) **Madv.** : « Cur igitur, inquit, » pollutus eam (insulam) homicida sanguine regis Eumenis violabit, » et, quum omnis præfatio sacrorum eos, quibus non sint puræ » manus, sacris arceat, vos penetralia vestra contaminari cruento » latronis corpore sinetis? » **Codex** : *polui eam... violavit.* Male distracta videntur verba *pollutus* et *sanguine*; neque aptum est tempus futurum *violabit* de re jam facta : insulam enim jam violaverat Evander. Ego nulla alia re magnopere corruptum codicem opinor, quam quod vox *et* (post *violavit*) loco suo mota sit; paulo supra transponenda ea videtur. Itaque legerim : « Cur igitur, inquit, » polluit eam homicida, et sanguine regis Eumenis violavit? Quum » omnis præfatio... sacris arceat, vos penetralia vestra contami- » nari... sinetis? » Perfecto tempore item accipiendum est verbum *polluit*. Nulla vero offensio est, violatam eo sanguine insulam dici, quo respersus Evander in eam venerat.——Infra, § 10 (postquam Evander, in judicium vocatus, fugam parabat) **Vulg.** : « Quod » quum renuntiatum regi esset, metuens ne, tanquam a se subracto » pœnæ reo, iram Samothracum in se converteret, interfici Evan- » drum jussit. » **Codex**: *converteretur*. Fieri poterat, ut ira Samothracum in regem converteretur, non, ut rex, nihil omnino agens, iram Samothracum in se converteret. Legendum : « ...ira Samo- » thracum in se converteretur. »

Cap. VI, 2. — (De Persei comitibus.) **Vulg.** : « Pro se quisque » transire ad Romanos; fugæque consilium capere solum prope » relictum coegerunt; Oroandemque Cretensem... appellat, ut se » sublatum in lembum ad Cotym deveheret. » Vidit Madvigius ineptam esse copulam *que* (post *Oroandem*), suspicatusque est *Oroandem itaque*. Verisimilius post *dem* excidit *deni*, et legi debet *Oroandem denique*.

Cap. VII, 2. — (De Perseo rege in castra Romana adducto) **Recc.** : » Patrum ætate Syphax rex captus in castra Romana adductus erat; » præterquam quod nec sua nec gentis fama comparandus, tunc » accessio Punici belli fuerat... **Codex** : *tunc quod accessio.* Nihil illo *tunc* frigidius : an metui potest, ne de alio quo tempore cogitetur? Fefellit sententiæ forma. Ceterum huc facit ille alter Livii locus (VI, XXIV, 7) : *dux, præterquam quod tot insignis triumphis, etiam ætate venerabilis*, ubi locutio *præterquam quod*, sicut hic, nihil aliud valet quam *præterquam*. Inde sumpta emendatione, correctaque interpunctione, legi potest : « ...adductus erat, præter- » quam quod nec sua nec gentis fama comparandus, etiam quod » accessio Punici belli fuerat... » h. e. non modo nec sua nec gentis fama comparandus, sed etiam quia accessio... fuerat. Ac nescio an hic retineri possit, non *tunc*, sed *tum*, eodem sensu quo *præterea*.

——Infra, § 5, **Vulg.**: « (Paulus) introeunti regi dextram porrexit, » summittentemque se ad pedes sustulit, nec attingere genua » passus, introductum in tabernaculum adversus advocatos in » consilium considere jussit. » **Codex**: *considere adversus sit.* Nulla dubitatio est, quin posterior vox *adversus* ex priore per incuriam orta sit. Eam autem sine ulla causa repetitam esse atque prorsus redundare, negat ipse sensus, quoniam necesse fuit retineri postremam ejus syllabam, unde conficeretur verbum *jussit*. Quum librarium, pro simplici syllaba *jus*, scripsisse *adversus*, minime credibile sit, sub litteris *adver* aliquid latere putandum est. Solet autem is, qui consilium habet, considere adversus eos, quos in consilium advocavit; quum igitur Perseus et ipse considere adversus advocatos jussus sit, sequitur eum apud Paulum consedisse. Hinc adducor ut legam : « ...introductum in tabernaculum adversus » advocatos in consilium considere apud se jussit. »

Cap. IX, 7. — (Postquam breviter commemorata sunt Macedonicæ gentis initia, incrementa, præclara facta usque ad Alexandrum) **Gryn.** : « Tum maximum in terris Macedonum regnum » nomenque; inde morte Alexandri distractum in multa regna, » dum ad se quisque opes rapiunt, lacerantes viribus : a summo » culmine fortunæ ad ultimum finem centum quinquaginta annos » stetit. » Ferri nequit *lacerantes viribus*; quare Madvigius, auctore Gronovio, scripsit *laceratis viribus*. Placere fateor *lacerare opes*, non item *lacerare vires*, durum dicendi genus. Ad hoc conclusio, quæ sequitur, paulo abruptior videtur, nec conclusionis speciem præferens. Legendum censeo : « ... dum ad se quisque opes rapiunt, » lacerant. His vicibus a summo culmine fortunæ ad ultimum » finem... stetit. » *His vicibus*, h. e. dum sic mutatur fortuna, nunc secunda, nunc adversa.

Cap. X, 2. — **Vulg.** : « C. Popilius, qui ad Delum præsidio na- » vibus Macedoniam petentibus erat, postquam debellatum in Mace- » donia et statione summotos hostium lembos audivit, dimissis et » ipse Atticis navibus ad susceptam legationem peragendam navi- » gare Ægyptum pergit. » Nusquam ante mentio facta est de his navibus Atticis. Ideo vocem *Atticis*, ut corruptam, Madvigius signo

notavit; ipse suspicatur *adventiciis*. Aliud requiri ex supra dictis colligendum est. Vidimus enim (XLIV, XXIX, 1) Popilium cum tribus quinqueremibus suis venisse Delum, atque ibi quinque regis Eumenis quinqueremes invenisse; ad Delum deinde eum substitisse, ut his octo quinqueremibus naves onerarias Romanas prætemavigantes tutaretur a classe Macedonica. Perfecto igitur bello, quum ipse legationem intermissam cum tribus navibus suis repeteret, haud dubie ceteras naves, quibus ad Delum præfuerat, dimisit, id est, regis Eumenis quinqueremes. Legendum : « ..dimissis et ipse » Asiaticis navibus... » —— Infra, § 6 (Legatos Romanos, Ægyptum navigantes, Rhodiorum principes orant, ut Rhodum devehantur, et, quæ ibi agantur, inspiciant), **Vulg.** : « Diu negantes per» pulerunt ut moram navigationis brevem pro salute sociæ urbis » paterentur. » Desiderari ibi videtur sermonis Liviani solita perspicuitas. Unde enim sciam verbum *negantes* accusativo casu usurpari, nisi postquam in primo conatu offendero? Dixisset Livius *diu negantes eos*. Quum igitur codex habeat *perpulserunt*, haud scio an legi debeat *perpulsi sunt*. —— Infra, § 9, Popilius ad Rhodios adeo atrociter disseruisse memoratur « ut, cum propriæ simultatis » nulla causa cum civitate esset, ex unius senatoris Romani acer» bitate qualis in se universi senatus animus esset, conjectarent. » Deest aliquid ; legendum *cum civitate ei esset*, vel potius initio *ut, cui propriæ*.—— Infra, § 13, ubi, pro codicis verbo *deluderet*, scriptum est *diluere*, reponendum videtur *defendere*.

Cap. XI, 5.— (De Antiocho Pelusium retinente.) **Vulg.** : « Appa» rebat claustra Ægypti teneri, ut, quum vellet, rursus exercitum » induceret. » **Codex** : *rursus me exercitum*. Forte : *rursus inde exercitum induceret* (in ceteram Ægyptum).

Cap. XII, 6. — (Ubi Popilius regem Antiochum virga circumscribit, jubetque senatui statim responsum reddere.) **Vulg.** : « Ob» stupefactus (rex) tam violento imperio parumper quum hæsitasset, » Faciam, inquit, quod censet senatus. Tum demum Popilius dex» tram regi, tanquam socio atque amico, porrexit. » **Codex** : *senatus tum demum popilius senatum dextram..* Spectata hujus librarii consuetudine, aliquid latere puto sub voce *senatum*, præsertim nulla apparente causa inanis repetitionis. Meminisse autem oportet, qua asperitate animi Popilius ad regem accesserit, quomodo regi salutanti dextramque porrigenti ipse nihil aliud quam senatus consultum tradiderit, ne quid præterea de circulo descripto

dicam. Convenit igitur illa emendatio : « ..Tum demum Popilius » sedatus dextram regi... porrexit.» —— Infra, § 10, **Vulg.** : « Non » auspicato templum intravit. Vitio diem dictum... » **Codex** : *templum intuitio*. Verisimilius *templum iniit. Vitio...*, una littera *i* omissa (nam scriptura *int* pro *iniit* plerumque occurrit).

Cap. XIII, 3. — **Vulg.** : « Antiochi legati, referentes... eum » haud secus quam deorum imperio legatorum Romanorum jussis » paruisse, gratulati deinde victoriam sunt (**Madv.** : *dein de victoria sunt*, improbabili artificio). » **Codex** : *paruisse legati deinde victoria sunt..* Haud dubie nomen legatorum, bis jam ante occurrens, ita præoccupavit aurem librarii, ut in ejus similitudinem verteret participium. Quis autem credet subesse *gratulati*? In hoc genere mendi, si ad cetera exempla, eaque haud pauca, attenderis, solet posterior vox in similitudinem quidem prioris flecti, non tamen sui adeo dissimilis fieri, ut agnosci nequeat. Legendum est : « Antiochi legati, referentes... jussis paruisse, lætati deinde victoria » sunt. » Cf. XLV, XIV, 3 (ubi agitur de Massinissa item gratulante) : *Victoria vero populi Romani lætari eum regem.*—Infra, § 10, **Vulg.**: « Disceptatum inde inter Pisanos Lunensesque legatos, Pisanis » querentibus, agro se a colonis Romanis pelli. » **Codex** : *legatos et pisannis*. Legendum : « Disceptatum inde inter Pisanos Lunen» sesque legatos est, Pisanis... » —— Infra § 17 (Verba Masgabæ, filii Massinissæ, ad senatum.) **Vulg.** : « Cum iis mandatis a patre » profectum postea consecutos equites, qui devictam Macedoniam » nuntiarent, gratulatumque senatui juberent indicare, tantæ eam » rem lætitiæ patri suo esse, ut Romam venire velit... » **Codex** : *juberent et indicarenttaceam rem*. Propius ad codicis vestigia : « ... nuntiarent, gratularique senatui juberent et indicare, ita eam » rem lætitiæ patri suo esse, ut... »

Cap. XVII, 2. — (Quum decem legati in Macedoniam mittendi essent.) **Gryn.** : « In Macedoniam sunt hi nominati, A. Postumius Luscus, C. Claudius... » **Codex** : *in macedoniam culpmi nominati*, puncto litteræ *p* superposito (quo solet indicari, delendam esse litteram). Ex parte errasse Grynæum posteriora ostendunt; id enim initium ejusmodi est, quasi secutura sint omnium deinceps legatorum nomina. Contra eorum quosdam primum nominatos esse videmus, qui consulares essent; deinde, et quidem in alia periodo, quinque alios adjectos esse non consulares. Ceterum vox *culpmi* Kreissigio adeo desperata visa est, ut ibi Œdipo conjectore opus

esse diceret. Immo mihi videtur Grynæus ænigmatis plus dimidiam partem jam solvisse, quum vidisset *cul* pro *sūt* scriptum esse (quæ depravatio si cui parum credibilis videbitur, is conferat XLV, xxxix, 10, ubi *addiscut* scriptum fuit pro *ab dis sunt*). Superest *pmi*, in quo latere *primi* sequentia ita evincunt, ut supplenda fuisse videatur ea vox, etiamsi nulla ejus vestigia exstarent. Sed eodem ducunt vestigia : punctum enim litteræ *p* superpositum male confusum est cum eo signo, quod loco syllabæ *re* poni solet (*p'mi*). Itaque id unum in ea parte peccavit librarius, quod, pro *primi*, scripsit *premi*. Hoc igitur nodo expedito, ad cetera pergamus : « In Macedoniam sunt » primi nominati, A. Postumius Luscus, C. Claudius, ambo alii » censorii, C. Licinius Crassus, collega in consulatu Pauli... His » consularibus addidere.. (Post sequuntur quinque nomina lega- » torum non consularium). » Pro voce *alii*, quam Grynæus expunxerat, recentiores reposuerunt *hi*. Sed parum profecerunt ; manet illa difficultas, quod pro decem nominibus octo tantum relata sunt. Duo exciderunt, aut ex consularibus, aut ex iis, qui secundo ordine fuere. Vox autem *alii* indicio est, desiderata hæc duo nomina ex numero consularium fuisse. Libenter legerim : « In Macedoniam sunt » primi nominati A. Postumius Luscus, C. Claudius, ac duo alii » censorii***, C. Licinius Crassus, collega in consulatu Pauli... », ita ut ex his quinque consularibus quattuor censorii fuerint (1).

Cap. XVIII, 6. — (Patrum decreta de Macedonia) **Madv.**: « Com- » mune concilium gentis esse, improbatum, ne volgi adsentator ali- » quando libertatem salubri moderatione datam ad licentiam pestilen- » tem traheret. In quattuor regiones describi Macedoniam, ut suum » quæque concilium haberet, placuit, et dimidium tributi, quam quod » regibus ferre soliti erant, populo Romano pendere. » **Codex**: *gentis esset inprobum vulgi adsenator... tributique quam quod...* In priore parte displicet *improbatum*, rarius in decretis et in Liviano sermone verbum, quam ut ex tam levi codicis indicio fides ei accedat ; atque ibi, mutata interpunctione, malim : « Ne commune concilium gentis » esset, et improbus vulgi assentator aliquando...traheret, in » quattuor regiones describi Macedoniam... placuit. » In posteriore

(1) Nonum nomen *C. Antistium Labeonem* ex se addiderat Grynæus inter postremos, haud dubie per conjecturam sumptum ex capite XXXI, 14, etsi ne ibi quidem is Labeo ex legatis fuisse diserte dicitur. Ceterum, quum cognomen *Labeo* ibi nudum compareat, nullo nomine aut pronomine adjecto, conjici pariter poterat Q. Fabius Labeo, qui consul fuerat anno 571.

parte æque displicet *dimidium tributi quam*. Neque id ex codicis scriptura satis colligitur (nam in syllabis *quequam* non minore vi reciditur *que*, quam legi potest *quamque* (*regionem*), præsertim oblata voce *quæque* in superiore versu), nec præterea constat Livium usquam dixisse *dimidium quam*. Paulo post tres loci occurrunt, ubi eadem res iisdem ferme verbis repetita est, non comparente voce *quam*; cap. xxvi, 14 : *vectigal dimidium ejus, quod regi pependissent*; cap. xxix, 4 : *tributum dimidium ejus, quod pependissent regibus*; cap. xxix, 11 : *vectigal dimidium ejus impositum, quod pependissent regi*. Ex adversa parte affertur hic tantum locus (XXXV, i, 2) : *dimidium militum, quam quod acceperat*, cui loco fidem infirmat ipsa sermonis difficultas et interpretum dissensio.

Cap. XIX, 6. — (Verba quorundam Romanorum, Attalum hortantium, ut Patrum voluntate uteretur, neu dubitaret etiam ex fratre Eumene crescere.) **Vulg.** : « Vix statui posse, utrum, quæ pro se, » an quæ contra fratrem petiturus esset, ab senatu magis impetra- » bilia forent ; adeo universos omnia et huic tribuere et illi vero » negare. » **Codex** : *tribueret ille*. Nonnulli jam hæsere in verbis *et illi vero*, ubi aut *et* aut *vero* abundat. Vocem *et*, quam codex ignorat (nam *tribueret* pro *tribuere* scribi, usitatissimum mendi genus huic librario fuit), haud dubie ideo tantum invexit Grynæus, ut superiori voci *et* ea responderet. Sed illa ipsa superior vox *et* pro spuria habenda est. Aliud enim, quod adhuc fefellisse videtur, notandum est, vitiose in obliqua oratione per pronomen *huic* significari illum ipsum hominem, quem quis alloquitur. Dicendum erat *ei*. Quare legi censeo : « ...adeo universos omnia ei nunc » tribuere, illi vero negare. » Vox *nunc* eo apta est, quod antea apud Romanos Eumenes in summo honore fuerat, Attalus nulladum in gratia, nisi propter fratrem. —— § 7 : « ...ni unius amici prudens » monitio veluti frenos animo ejus, gestienti secundis rebus, impo- » suisset. » Opportune monet Madvigius, in codice inter voces *ejus* et *gestienti* spatium esse trium aut quattuor litterarum. Huic enim Attali cupiditati immodicæ frenisque egenti vix satis videtur esse vox *gestienti*; sensus requirit *prægestienti*. —— Infra, § 11, **Gryn.** : « Attalum vero, quia ætate proximus, quis non pro rege habeat ? » neque eo solum, quia tantas præsentes ejus opes cernat, sed quod » haud ambiguum propediem regnaturum eum infirmitate ætateque » Eumenis esset, nullam stirpem liberum habentis. » **Codex** : *proximus si quis... infirmitatem ætatemque eumenes esse*. Initio,

auctoribus Kreissigio Madvigioque, emendatum est *qui ætate proximus sit*, *quis...*, bene quidem, etsi haud inutile erat indicari cuinam homini Attalus ætate proximus fuerit; deinde in fine, *pro esset*, scriptum est *sit*. Reliqua fefellisse, facile apparet. Quid enim est, ambiguum esse infirmitate Eumenis? Nec modo a codice multum discessum est, sed etiam, refragante eo, invectum est id mendi (*ætateque*), quod a Liviano utique sermone alienissimum esse dixi II, xxxiii, 7, ubi vide. Sic refingendus est hic locus : « Attalum vero, » qui ei ætate proximus sit, quis non pro rege habeat? neque eo » solum, quia tantas præsentes ejus opes cernat, sed quod haud » ambiguum sit, propediem regnaturum : eam infirmitatem » ætatemque Eumenis esse, nullam stirpem liberum habentis. » h. e. adeo enim infirmum esse Eumenem. —— Infra, § 15, monet idem amicus, Eumenem et Attalum, si regnum eorum divisum sit, « omnibus injuriis [populi Romani] obnoxios fore. » Sic Madvigius. *Populi Romani* ineptum esse, eo patet, quod, vel fraterna concordia viventes Eumenes Attalusque nihilominus populi Romani injuriis, si ita populo Romano visum esset, obnoxii fuissent. Miror ineptum aliquid ideo fingi, ut uncis includatur. Codex enim non habet *populi Romani*, sed tantum *pro*, quæ syllaba quum in extremo versu, ut monet Kreissigius, posita sit, verisimile est posteriorem verbi partem a librario prætermissam esse. Et Kreissigius quidem scripserat *probrisque*; ego haud scio an satis sit legi *prope*. —— In his deinde : « ..exsulem... illa corporis infirmitate vivere », ubi verbum *vivere* a Madvigio suppletum est, excidisse potius videtur *esse* (*ēe*), præsertim post *infirmitate*. —— Infra, § 17, **Vulg.** : « Eos » ipsos, qui, non illi amici, sed Eumeni infesti, stimulent eum, » pietatem constantiamque laudaturos.. » **Codex** : *qui nillis amicis sed*. Non credo pronomina *illi* et *eum* de eodem Attalo simul dici posse, ideoque malim *qui nullis amici, sed...*

Cap. XX, 3. — (Quum Attalus in senatu mandata exposuisset.) **Vulg.** : « Ita destituta eorum spe... curia excessit. Ut raro alias » quisquam rex aut privatus, tanto favore... est auditus... » *Ut* notavit Gronovius, expunxit Madvigius, sublato post commate. Opinor reponendum esse *At*, quod respondeat verbis *destituta eorum spe*. —— Sequitur longa periodus, cujus universus sensus, nisi fefellit, certe prava distinctione corruptus est. Quam, etsi truncatam, quoniam afferre longum est et de summa tantum agitur, summam pono : Rhodiorum maxime legati civitatem converterunt; nam, quum primo in veste candida visi essent, postquam patres censuerunt eos non hospitaliter excipiendos esse, egressus e curia consul pronuntiavit Rhodios indignos esse, qui amicorum numero haberentur. Quæritur in his quo magnopere modo ii legati civitatem converterint; quæritur maxime quid fiat illa candida veste, quam quum primo sumpsisse dicti sint, posituri deinde fuisse videbantur. Et hæc quidem, quæ exspectabantur, dicere Livius non omisit; sed, puncto inepte posito, in alteram periodum ab editoribus relegata sunt. Ut cohæreat sententia, quamvis prolixa jam videatur periodus, tamen comma pro puncto post *habendi sint* ponendum est, et paulo supra, pro *egressus e curia*, scribendum *egressusque e curia*. (Item in fine tollendum erat punctum vulgo positum post *testes essent*, atque id jam sustulit Madvigius.) Denique minuta quædam in eo loco emendari oportet. Primum (§ 5) in his : *quod et gratulantes decebat*, haud facile verbum *decebat* subjecto carere potest; post *et* excidit *id* aut *ea*. Deinde, § 7, ubi exhibente codice *pronuntia* editur *pronuntiat*, præstat *pronuntiavit*.

Cap. XXII, 8. — (Ex oratione Astymedis, Rhodiorum legati, ad Patres.) **Gryn.** : « Cum Perseo socii vestri oppugnati, alii » interfecti reguli principesque gentium aut populorum, causa belli » vobis fuere. » Ibi quoque fucum faciente, ut solet, voce *alii*, crediderunt recentiores aliquid excidisse; itaque scripserunt : *socii vestri oppugnati, alii interfecti, alii ejecti reguli...*, ubi audire jubemur, omnes hos regulos principesque gentium primo oppugnatos esse, deinde ex iis alios interfectos, alios ejectos. Id autem falsum esse arguit ipsa Q. Marcii oratio (XLII, xl), ubi omnia Romanorum crimina adversus Perseum relata sunt. Ibi Abrupolim quidem oppugnatum videmus, quoniam regno suo pulsus est; Arthetaurus autem et Thebanorum principes Eversa Callicritusque, qui ab occultis insidiatoribus interfecti sunt, quonam modo a Perseo oppugnati esse dici possunt, postquam eorum necem ulla parte ad se pertinere Perseus negavit? Itaque vox *oppugnati*, quæ aliquid publice factum significat, ad omnes referri nequit. Legendum : « ...socii vestri oppugnati aut interfecti reguli principesque... » Nec mirum, vocem *aut* in vocem *alii* abiisse.

Cap. XXIII, 6. — (Ex eadem oratione) **Gryn.** : « ...neque bonorum » sociorum defuimus officio, sed a vobis prohibiti præstare fui» mus. » Sic codex, nisi quod habet *prohibitio*. Editores plus justo movit mendum *fuimus*, longiusque a codice deduxit. Scripsit Weiss.

præstare non potuimus, Madvigius *præstare nequivimus*. Nihil aliud opus est quam *prohibiti præstare sumus*. Nam, quod ait Madvigius ineptum esse eum verborum ordinem (pro *præstare prohibiti sumus*), millies immo eum ordinem Livio placuisse, nemo magis scit, quam ipse Madvigius ; neque aliter desinit superior ipsa sententia, duobus ante versibus : *aspernati nostra auxilia estis*. In fine vocis *prohibitio* subesse eam, quæ desideratur, vocem puto, h. e. *id*. —— Infra, § 11 (ubi fatetur Astymedes peccasse Rhodios, quod legationem de pace Romam misissent), **Vulg.** : « ...quod infelix consilium furiosus, ut postea audivimus, orator » stultissimum fecit, quem sic locutum constat, tanquam C. Popilius » legatus Romanus... loqueretur. » **Codex** : *furiosius... oratio stultissimam fecit quod sic*. Miror adhuc assensum esse Grynæo, codicis scripturam quattuor locis mutanti, quum retineri ea fere integra potuerit, una tantum suppleta voce. Hæc enim monstrat codex : « ..quod infelix consilium furiosius, ut postea audivimus, » oratio stultissima fecit, quod sic locutum legatum constat, » tanquam... »

Cap. XXIV, 2. — (Ex eadem oratione.) **Gryn.** : « Voluntatis » nostræ tacitæ velut litem æstimari vestris inter vos sermonibus » audio, patres conscripti. Favisse nos regi, et illum vincere » maluisse, ideo bello persequendos esse credunt ; alii vestrum » voluisse quidem nos hoc, non tamen ob id bello persequendos » esse. » In ea lectione, verbi *credunt* requiritur subjectum. Heusinger voluit *credunt alii; alii vestrum voluisse*; tum autem abundat *vestrum*, et priori *alii* potius adjungi debebat. Quare scripsit Madvigius *credunt alii vestrum; alii voluisse*, sententiæ magis quam codicis respectu; nulla enim jam apparet causa, cur exciderit posterius *alii*. Opinor ego ante verbum *favisse* excidisse *hi*, propter syllabæ præcedentis similitudinem ; ceteram Grynæi lectionem retinendam esse. —— Infra, § 3, **Madv.** : « ...neque legibus » ullius civitatis ita comparatum esse, ut, si qui velit inimicum » perire, si nihil fecerit, quo id fiat, capitis damnetur. » **Codex** : *si qui vellet inimicum perire ut si nihil*. Codici propius stari potuisse puto, hoc modo : « ..ita comparatum esse, ut » is, qui vellet inimicum perire, etsi nihil fecerit, quo id fiat, capitis » damnetur. » *Etsi* jam olim suasit Perionius, contionum Livianarum editor, a. 1535. —— Infra, § 9, **Gryn.** : « Philippum, An- » tiochum, Persea, tanquam tres sententias ponite. Duæ nos ab- » solvunt : una dubia est, ut gravior sit. Illi de nobis si judicarent, » damnati essemus. Vos judicate, P. C., sit Rhodus in terris, an » funditus deleatur. » **Codex** : *una aut dubia... nobis judicarent... judicatis p̄c*. Quæ quum male se habere pateret, multa et varia quæsita sunt remedia, quorum maxime notabilia hæc sunt. Baumgarten : *una autem dubia est, ut gravior sit. Illi de nobis si judicarent*... Kreissigius : *una, ut dubia est, et gravior sit? Illi de... vos judicatis*. Weiss. : *una, ut dubia est, ita gravior sit. Illi de... vos judicatis*. Madvigius : *una aut dubia est, aut gravior. Si illi de nobis judicarent... vos judicate*. Perplexas has lectiones confutare non operæ est. Singulas qui excusserit, ei nusquam apparebit certa cohærensque sententia. Cujus vitii ea præcipua causa fuit, quod in antiqua distinctione omnes acquieverunt. Legendum est : « Duæ » nos absolvunt ; una autem dubia est. Ut gravior sit, illi de nobis » si judicarent, damnati essemus : vos judicatis, P. C., sit Rhodus..» h. e. : Quæ tertia sententia etiamsi non esset dubia, sed gravior (ita ut stetisse pro hostibus in hoc tertio bello convinceremur), tamen ab iis ipsis hostibus damnati essemus, si illi judicarent : verum enimvero non illi, sed vos, P. C., judicatis, neque id de parva re, sed utrum sit Rhodus an deleatur. Itaque codex opinione integrior est ; tantummodo scriptum est *aut* pro *autē*, et intercidit *si* inter litteras *s* et *i*. Bene Grynæus pronomen *illi* ibi collocari voluit, ubi sequenti pronomini *vos* responderet. —— Infra, § 12, **Vulg.** : « Corpora nostra conjugumque ac liberorum vestræ potestati per- » mittemus. » **Codex** : *vestra potestate*. Legendum : « .. liberorum » in vestram potestatem permittemus. », quod dicendi genus Livio magis placuisse jam advertimus XLV, v, 4. —— Infra, § 14, **Gryn.** : « Hostes Rhodios esse Romani judicare possunt ; est » tamen et nostrum aliquod de nobis judicium, quo nunquam judi- » cabimus nos vestros hostes, nec quidquam hostile, etiamsi » omnia patiamur, faciemus. » **Codex** : *possunt teste est enim et nostrum... quod nunquam judicavimus*. Ad hæc Kreissigius adnotavit : « Non est quod de Grynæi emendatione dubites. Est tamen » aliquid talia corrigere. » Sane sagacissimus vir fuit Grynæus ; sed, quam laudem ei verissime plurimis aliis in locis tribuere potuit Kreissigius, vereor ne intempestive hic tribuerit. Nam, postquam Grynæus aliquot verba mutavit, maximeque pro voce *enim* contrariam ipsam vocem *tamen* reposuit, quid aliud quam sententiam aliquam suam, etsi haud absurdam, pro sententia Livii substituit?

Contingit autem, ut longe meliorem fuisse Livii sententiam doceat ipse codex, quoniam, si brevissimam voculam suppleas, omnis ejus scriptura, ne una quidem mutata littera, retineri potest, sic distincta : « Hostes Rhodios esse Romani judicare possunt, teste se : » est enim et nostrum aliquod de nobis judicium, quod nunquam » judicavimus nos vestros hostes, nec quidquam... » h. e. arbitrii populi Romani est, nos hostes judicare, sed de sua unius sententia, neque ullo nostro aut merito aut confessione ; namque nos hostes neque antea fuisse fatemur, et ne tunc quidem, postquam indictum erit nobis bellum, erimus (1).

Cap. XXV, 1. — **Vulg.** : « Secundum talem orationem universi » rursus prociderunt, ramosque oleæ supplices jactantes, tandem » excitati, curia excesserunt. » Prava hæc est verborum compositio ; tunc enim ramos jactarunt Rhodii, quum prociderunt, non quum curia excesserunt ; quare vox *que*, non post *ramos*, sed post *tandem* ponenda fuisse videtur. Sed vitium unde ortum sit, ex codice conjici potest, ubi legitur *secundum talem orationem secundum universi*. Sub altero *secundum*, quod editores expunxerunt, apparet latere aliquid, unde vox *que* secuta sit. Quodnam verbum restituendum sit, nemo dixerit, sed forma ea certe orationis fuit : « Secundum talem orationem, precando universi rursus prociderunt » ramosque oleæ supplices jactantes ; tandem excitati, curia excesserunt. » —— Infra, § 3 (de oratione Catonis pro Rhodiis) **Gryn.** : « Non inseram simulacrum viri copiosi, quæ dixerit, referendo : » ipsius oratio scripta exstat, Originum quinto libro inclusa. » **Codex**, auctore Madvigio : *inseram non simul viri copiasidque dixerit* (auctore Hertzio *simulacrum viri*). Grynæum errasse manifestum est. Scripsit Madvigius : « Non inseram simulacrum veri, co- » piose, quæ dixerit, referendo.. » ; quæ emendatio, ut veri similior est, ita non ab omni parte laudabilis. Quid enim sibi vult illud *copiose* ? Cujus si quis sensus est, dicere videtur Livius, se non copiose, ne

(1) Non infitior scrupulum residere in hoc *teste se* (pro *testibus se*), sed verbo tenus, neque ullo, quod ad cetera attinet, periculo : nihil enim obstat, quominus pro eo reponatur *sine teste, uno teste, quo teste*? aut simile aliquid. *Sine teste damnari* non semel dixit Cicero. Ceterum Latine dici posse *teste se*, etiam præcedente plurali numero, facile crediderim, etsi hujus ipsius rei nullum adhuc habeo, quod afferam, exemplum. Certe haud durius id videtur esse quam *milite nondum noto inter se* (T. L. XXXV, III, 4). Quid, si compares cum illis locutionibus, quas tamen Latinas fuisse constat, *absente nobis* (Ter. Eun. IV, III, 5), *nobis præsente* (Pl. Amph. II, II, 194), *præsente legatis* (Varr. apud Donat. ad Ter.), *præsente omnibus, absente suis* (Nonn. Marc.), *nobis merenti* (Tib. III, VI, 55)?

inutile simulacrum inserat, sed breviter orationem Catonis relaturum. Atqui eam orationem ne breviter quidem attingit. Sin vocem *copiose* significare velis *ad verbum*, ita ut integrum ipsius orationis exemplum intellegatur, ad præcedentem reprehensionem accedit, quod exemplum non vocari potest simulacrum veri, quum verum ipsum sit. Si sinceram protulit Madvigius codicis scripturam, melior inde sententia elici potest. Nam *simuluiric* videtur esse pro *simulacrū*; tum relinquitur *opiasid*, in quo deprehenduntur vestigia vocis *otiosū*. Scribendum igitur : » Non inseram simula- » crum otiosum, quæ dixerit, referendo.. » h. e. inutile, supervacuum. —— Infra, § 6, ubi offendit repetitio verborum *nuntiata* et *renuntiata*, quæ quibusdam audacioris emendationis causa fuit, levari offensionem posse puto hac interpunctione : « Hæc Rhodum » nuntiata. Quæ per se.. » —— Infra, § 9, **Vulg.** : « ..ne spem re- » gibus absciderent auxilii sui, si cui opus esset. » **Codex** : *si quod id opus esset*. Bene vidit Grynæus *quod* errore scriptum esse pro *quoi*; quid autem displicuit *id*? Recte dicitur *si cui id opus esset*, h. e. si cui regi opus esset id auxilium.

Cap. XXVI, 3. — **Gryn.** : « (L. Anicius) in Epirum est profectus, » ubi prima Phanota ei dedita, tota multitudine cum infulis obviam » effusa. » **Codex** : *dedita totomnium multitudinem*. **Weiss.**, **Madv.** : *..dedita est, omni multitudine...* Per libidinem a Grynæo discessisse eos dicas ; nam is propius codicem steterat. Legendum : « ...Phanota » ei dedita, tota civium multitudine... » —— Infra, § 5 (Verba Theodoti ad Passaronenses, quum, adventantibus Romanis, duo principes civitatis portas clausissent, atque ad resistendum hortati essent multitudinem, contra hiscere non ausam.) **Vulg.** : « Quæ vos » rabies, inquit, agitat, qui duorum hominum noxæ civitatem ac- » cessionem facitis ? » Enimvero multitudinem nulla rabies agitare videbatur, quæ duorum præpotentium civium metu obmutuerat inersque stabat ; hi soli rabie agitabantur, qui in arma ruere parabant ceterosque in arma concitare instituerant. Codici mala vis illata est, qui sic habet : *quos rabies inquid*. Legendum : « Quos rabies, » inquit, agitat, quid duorum hominum noxæ civitatem accessionem facitis? » Junge *hominum quos*. —— Infra, § 15, **Gryn.** : « Hac formula dicta in Illyrico, ipse in Epiri Passa- » ronem in hiberna rediit. » Non sine admiratione doctos viros hærere video in ejusmodi nodis, quos aliis in locis jam sæpe expeditos viderint, immo et ipsi aliquando expedierint. Nam Weiss.

alterum *in* delevit, et Madvigius (qui præterea sine ulla causa prius *in* uncis inclusit) aut assentiendum Weissenbornio ait, aut scribendum *ipse in Epirum Passaronem*. Atqui neuter nescit *inde* solere scribi *in*. Legendum : « Hac formula dicta in Illyrico, ipse » inde Epiri Passaronem in hiberna rediit. »

Cap. XXVIII, 4. — (De Paulo Æmilio nobilissimas Græciæ urbes circumeunte.) **Gryn.** : « Inde Lacedæmonem adit, non operum magni- » ficentia, sed disciplina institutisque memorabilem. » **Codex** : *memorabilem ac silentiam*. Sub his extremis vocibus, a Grynæo omissis, suspicati sunt Kreissigius Weissenborniusque latere *ac Pallantium*, minime probabiliter, quippe nullum ignobile oppidum memorante ibi Livio. Scripsit Madvigius : [*ac visendam*], ut quæras, quid opus fuerit ea inserere, quæ inserenti uncis digna visa sint. Meminisse autem oportet, eo tempore, quo Lacedæmonem Paulus invisit, ejus disciplinam institutaque jamdiu obsolevisse, eorumque extrema vestigia ab Achæis deleta esse; eo igitur venisse Paulum, non ut urbis disciplinam institutaque, sed ut urbem memoria disciplinæ institutorumque præclaram viseret. Quare, quum de antiquæ tantum urbis moribus et singulari ingenio agatur, legendum censeo : « ... sed » disciplina institutisque memorabilem ac silentio », propter Laconicum sermonem et expulsam civitate eloquentiam. —— Infra, § 5, **Madv.** : « Olympiam escendit, ubi et alia quidem spectanda ei » visa; Jovem velut præsentem intuens motus animo est. » **Codex** : *spectanda et visa....* Monumenta, quæ Olympiæ, præter Jovem, spectanda habuit Paulus, non ejus generis erant, quorum nomen taceretur. Legendum : « ..ubi stadia quidem spectanda ei visa : » Jovem.. » Nam duo stadia Olympiæ fuisse (stadium ipsum et hippodromon) notum est. —— Infra, § 6, **Weiss.** : « Ita peragrata Græ- » cia... Demetriadem cum revertitur, in itinere sordidata turba Æto- » lorum occurrit; mirantique et percontanti, quid esset, defertur... » **Codex** : *revertit.. turba ne ætolorum*. In eo codice, cognita librarii consuetudine, tenendum est, nihil interesse inter *revertit* et *revertitur*. Madvigius quum animadvertisset, idque recte, non aptum esse *cum revertitur* in hac significatione occasionis et temporis, ipse reposuit *quum repeteret*, codicis, ut sæpe, securior. Mihi claudicare videtur universus periodi tenor; quippe in posteriore membro subjectum verbi *occurrit* melius futurum fuisse Paulum ipsum, qui in priore præcipuum locum obtinuerit, quam turbam Ætolorum; eoque verisimilius, quod in vulgata lectione

pronomen *ei* (*ei occurrit*) vix omitti potest. Qua causa suspicor *turbane* scriptum fuisse pro *turbae*, et legi debere : « ..Demetriadem » dum revertitur, in itinere sordidatæ turbæ Ætolorum occurrit; » mirantique... » —— Infra, § 9 (quum Perseus ab Amphipoli Apolloniam venisset, Paulo redeunti occursurus), **Vulg.** : « Quo quum » Perseus obviam Amphipoli nimis soluta custodia processisset... » **Codex** : *nimis solutis cujus custodia*. Custodia nimis soluta nihil aliud est quam custodia remissior, non satis arta. Itaque sententiæ non satis consuluisse, nedum codici, Madvigium puto, scribentem *omni solutus custodia*. Legendum : « ... nimis solutæ securus cus- » todiæ.. » h. e. custodiam parum curans, utpote neglegentem. —— Infra, § 10, **Vulg.** : « (Paulus increpuit Sulpicium) quod adeo indul- » sisset militibus, ut nudare tegulis muros urbis ad tegenda hiber- » nacula sua pateretur. » **Codex** : *indulsisset milites sibi ut*. Vitii id ibi quoque indicium est, quod desideratur pronomen (*nudare eos pateretur*). Legendum : « ... quod adeo indulsisse milites sibi, ut » nudarent tegulis muros urbis, pateretur. » —— Deinde **Gryn.** : « ..referrique tegulas et resarciri tecta, sicut fuerant, jussit. » **Codex** : *tegulas et referri et tecta*. Ibi Kreissigio in mentem venit non Livianum esse verbum *resarciri*, eoque auctore recentiores edidere *refici*. Immo id verbum, quod displicuit, non Livianum modo, sed etiam proprium et peculiare fuit de tectis reficiendis, id quod apparet ex sollemni formula de censoriis muneribus; vide XLII, III, 7 : *sarta tecta exigere*. Retinenda est Grynæi lectio.

Cap. XXIX, 2. — (Quantum Macedonas moverit imperii Romani majestas, quum Paulus, decem legatis circumdatus, in tribunali consedisset.) **Madv.** : « Adsuetis regio imperio tamen novum for- » mam terribilem præbuit : tribunal, summoto aditus, præco, » accensus, insueta omnia oculis auribusque... » **Codex** : *tamen novi in formam... summoto additu*. Offendit adjectivum *novum* nomine destitutum, neque ea est verborum compositio, ut nomen *imperium* facile audiri possit ex præcedente *imperio*. Ad hoc a Latina consuetudine aliena est hujusmodi distinctio *præbuit : tribunal...*, ubi, si sequentia nomina per appositionem adjuncta sunt, comma tantum ponendum fuit. Ceterum ipsi Madvigio incerta ea visa esse verisimile est, quoniam aliud ad ultimum tentavit, conjecitque (rem quidem admodum improbabilem) fortasse verbum *erant* ad *insueta* audiri posse. Grynæus nullam post *præbuit* interpunctionem posuerat, ita ut intellegeretur *novum tribunal*; sed

huic constructioni obstat prava harum vocum distractio. Mihi, præter mendum *additu*, unius tantum litteræ omissione peccasse videtur librarius. Eum enim sæpe, in hoc præsertim quinto libro, verborum compendiis usum esse constat; ac maxime vocem *imperator* scribere solitus est *imp* aut *inp*, ut cap. XXXII, 2; XXXVII, 1; XXXVIII, 12; XXXIX, 15, et passim. Adde XLII, LXI, 5; XLIV, IV, 10. (Omitto voces inchoatas tantum, ut XLIV, XXII, 8, *convi* pro *conviviis*; ibid. *mace* pro *macedoniam*; XLV, XXXIX, 9, *victori* pro *victoriam*; XLV, XXXIX, 16, *provocatio* pro *provocationem*; XLV, XLI, 11, *no* pro *nomen*). Quare hic vocem *in* suspicor scriptam esse pro *inp.* sive *inperii*, et legendum esse : « Assuetis regio imperio tamen » novi imperii formam terribilem præbuit tribunal, summoto ad- » itus, præco, accensus, insueta omnia oculis auribusque... » h. e. omnia hæc terribilem præbuerunt novi imperii formam. —— Infra, § 6, **Vulg.** : « (Pronuntiavit Paulus) unam fore et primam partem, » quod agri inter Strymonem et Nessum amnem sit; accessurum » huic parti trans Nessum, ad Orientem versum, qua Perseus te- » nuisset vicos, castella, oppida... « Inexplicabilia hæc sunt. Quonam enim referam participium *accessurum*? quis deinde sensus est verborum *qua Perseus tenuisset vicos*? quasi non illam ipsam regionem Perseus, sed aliquot tantum in illa regione vicos et castella tenuerit. Senserat vitium Perizonius, quum, pro *qua*, suaderet *quæ*; tunc autem emendatio latius pertinebat, et reponi *accessura* necesse erat. Non satis attenderunt, in posteriore membro continuari eandem ipsam constructionem, quæ in priore erat, id est, *accesssurum quod agri*. Legendum : « ... accessurum huic parti, trans Nessum, » ad Orientem versum, quod (scil. quod agri) Perseus tenuisset, » vicos, castella, oppida... »

CAP. XXX, 2. — (De Macedonibus in quattuor regiones distractis.) **Madv.** : « Regionatim commercio interrupto ita videri » lacerati, tanquam animali in artus alterum alterius indigentes » distracto. » **Codex** : *regionatim mescio interruptis advideri lacerata... animalia.* Duplicem hujus loci scripturam affert codex; nam paulo infra (§ 6) librarius eundem versum per incuriam inseruit, sic scriptum : *regionem sordei commercio interruptis ita videri laceratam.* Manca est Madvigii lectio. Cuinam enim videntur Macedones lacerati? Nempe sibi, quo pronomine omisso sententia non constat. Id animadverteram, quum in posteriore Emendationum Liv. editione nuper vidi idem Madvigium sensisse, propterea que illam

alteram lectionem, etsi diffidenter, proposuisse : *Regionatim commercio interrupti ita sibi videri lacerati, tanquam..* Gaudeo, quod auctoritate doctissimi viri confirmatum id video, quod non sine dubitatione conjeceram, Latine dici posse *commercio interrupti.* Confidentior igitur illam affero, in quam jamdiu incideram, emendationem : « Regionatim commercio interruptis sua videri lacerata, » tanquam... » —— Infra, § 3, **Vulg.** : « Pars prima Bisaltas » habet, fortissimos viros (trans Nessum amnem incolunt et circa Strymonem), et... » Superiore capite § 6 dixit Livius Bisaltas omnes cis Strymonem fuisse, ad occasum versus; quomodo igitur hic dici possunt incoluisse trans Nessum, quod flumen ultra Strymonem erat, ad orientem versus? Opinor legendum esse : « Pars prima Bisaltas » habet, et fortissimos viros, qui trans Nessum incolunt et circa » Strymonem, et.. » —— Infra, § 4 (de Chalcidices portubus) **Gryn.** : « Maritimas quoque opportunitates ei præbent portus ad Toronen » ac montem Atho (Æneæ vocant hunc) alii ad insulam Eubœam, » alii ad Hellespontum opportune versi. » **Codex** : *ad toroneam montem athoeneaevocant hunc alii insulamque euboeam.* In media hujus loci parte Grynæum errasse manifestius est, quam ut excuti refellique ejus verba attineat. Aptius edidit Madvigius : « ..portus a » Torone ac monte Atho in Favonium alii insulamque Eubœam, alii » ad Hellespontum opportune versi. » Sed neque verba, neque ipsa sententia ab omni parte placet. Livius ignorat istum Favonium, nec magis dicere debuit primum *versi in*, deinde *versi ad.* Maxime autem offendunt portus versi ad aliquam regionem a Torone ac monte Atho, quasi non suo ipso situ hi portus ea versi fuerint, sed tantum si respexisses a Torone ac monte Atho. Ceterum antea conjecerat Madvigius in codicis scriptura latere nomen *Acanthum*, quam opinionem retinere debuerat. Mihi certe nec de nomine *Acanthum* dubitandum videtur, nec de nomine *Æneæ*, quod Grynæo placuerat. (Duo hi Chalcidices portus sunt, alter in sinu Thermaïco situs, alter ex adversa parte in sinu Strymonico.) Quattuor autem illa nomina, Torone, Athos, Ænea, Acanthus, si ad universam Chalcidices formam attenderis, perspicue monstrant, quid scripserit Livius. Ex maritimis enim Chalcidices locis, Toronen ac montem Athon posuit tanquam extremos ad meridiem versus, rursus Æneam et Acanthum tanquam extremos ad septentrionem, Æneam a læva, Acanthum a dextera. Ut igitur omnem oram omnesque portus hujus regionis complecteretur,

potuit quidem simpliciter dicere ab Ænea ad Acanthum; sed, quia hos portus bifariam, qui ad occidentem, quique ad orientem spectarent, dividi ei visum est, ideo maluit dicere, hinc ab Torone usque ad Æneam, illinc ab monte Atho usque ad Acanthum. Itaque legendum videtur : « ...portus ab Torone ac monte Atho ad Æneam » et Acanthum, alii ad insulam Euboeam, alii ad Hellespontum » opportune versi. » Restat, ut de voce *que* (*insulamque*) quid videatur, dicam. Aliquid ibi a librario omissum esse opinor, eo magis, quod præpositionis *ad*, quam in hac quoque parte fuisse posterior pars indicat, nullum exhibet codex vestigium. Fortasse fuerat : *alii ad Thessaliam insulamque Eubœam, alii ad Hellespontum...*

Cap. XXXI, 14. — **Vulg.** : « Ad Antissam in Lesbo insula » diruendam... Labeonem miserunt, quod Antenorem, regium » præfectum, quo tempore cum lembis circa Lesbum est vagatus, » portu receptum commeatibus juvissent. » Admonuit Gronovius imperfectum requiri (*erat vagatus*), sed rem in medio reliquit. Miror, qui tertio ante capite simile mendum correxerat, eundem hic hæsitasse (cf. cap. xxviii, 10, ubi, Gronovio auctore, receptum est *passus esset* pro *passus est*). Conjunctivus *juvissent* ostendit memorari crimen ab ipsis Romanis adversus Antissæos allatum, cujus criminis pars haberi debet illud quoque membrum *quo tempore... vagatus*. Legendum igitur : « ..quo tempore cum lembis circa Les- » bum esset vagatus ..(*eet*) »

Cap. XXXII, 5. — **Vulg.** : « ..alii prædivites, alii, quos fortuna non » æquarent, his sumptibus pares. » **Codex** : *æquaret*. Non credo Livium hujusmodi fraudes lectori suo parasse. Cui enim, legenti *his sumptibus*, in mentem statim veniat, *his* dativo casu positum esse, *sumptibus* ablativo? scio quidem eandem offensionem occurrere apud Sallustium (Cat. xx, 10, *illis annis*); sed perspicuitatem magis curat Livius, et aliud monstrat codex. Legendum : « ..alii prædivites, » alii, quos fortuna non æquaret iis, sumptibus pares. » —— Infra, § 6, **Recc.** : « Omnes igitur, qui in aliquis ministeriis regiis, » etiam qui in legationibus fuerant, jussi Macedonia excedere atque » in Italiam ire. » **Codex** : *ministeriis regiis etiam qui in ministeriis legationibus*. Ita principes Macedonum, quo majorem cuique fidem majoresque honores tribuerat rex, eo diligentius conquisiti ablegatique sunt. Mirum vero est illos, qui in ministerio regio quolibet fuerant, iis anteponi, quibus commissæ erant legationes. Quos rex

consiliorum suorum participes fecerat, quos Romam miserat de salute regni acturos, ii scilicet in fide gratiaque minore apud eum fuerant, quam scribæ et apparitores et cubicularii? Melius multo sententiam perspexerat Grynæus, cui placuerat scribi *etiam qui in minimis legationibus fuerant*. Differt quidem *minimis* a *ministeriis*, non ita tamen, ut propter id sententia depravanda fuerit. Omissionis auctor fuit Kreissigius, eique obtemperatum est; adeo apud recentes in morem et quasi legem vertit, ut, sicubi verbum aliunde repetitum videretur, statim id exturbarent. (Conjeceram ego *minus seriis*, quod in medio relinquo. Sunt enim qui contendant, id adjectivum non dici posse, nisi de ea re, cui aliqua subsit rei jocosæ oppositio. Sed ei æque opponitur res levis, nullius momenti.) Præterea scire velim, ubinam apud Livium inventus sit ablativus *aliquis*. Locos non ita paucos afferre possum, ubi dixit *aliquibus*, nullum, ubi *aliquis*. Nisi vero hic per libidinem a consuetudine sua descivit. *Aliquis* scriptum fuit pro *aliquib*; et sic Grynæo, locupleti certe testi, visum erat, qui ediderat *aliquibus*.

Cap. XXXIII, 1. — **Vulg.** : « Edito ludicro omnis generis clypeis- » que æreis in naves impositis, cetera omnis generis arma, » cumulata in ingentem acervum... ipse imperator face subdita » succendit. » Verborum *omnis generis* repetitio eo ingratior est, quod paucis ante versibus (capite sup. § 9) jam occurrerat *artifices omnis generis*. Nec minus ingrate id iterum admonemur, quod superiora abunde docuerant, omnis generis fuisse hoc ludicrum (ut quidem recte se habeat *ludicrum omnis generis* pro *ludi omnis generis*). Offendit et ipsa verborum compositio. Nam verba *clypeis impositis* per copulam *que* cum verbis *edito ludicro* ita conjuncta sunt, quasi duarum harum rerum cognatio aliqua sit, et posterior utique aut jam prænuntiata aut præsciscenda fuerit. Suspicor ego fuisse *omnib*, sequente nescio quo armorum nomine, ut, puta, *cetris* (nam cetratorum magnam fuisse famam, et ipsum agema ex cetratis constitisse vidimus XLII, li, 4). Forte : « Edito ludicro, om- » nibus cetris clypeisque æreis in naves impositis... »

Cap. XXXIV, 11. — **Gryn.** : « Legati (Romani), qui cum Attalo » ad finiendum bellum inter Gallos et regem Eumenem missi erant, » in Asiam pervenerunt. Induciis per hiemem factis, et Galli » domos abierant, et rex in hiberna concesserat Pergamum, gravi- » que morbo æger fuerat. Ver primum ex domo excivit : jamque » Synnada pervenerant, quum Eumenes ad Sardes undique exer-

» citum contraxerat. Ibi et Romani Solovettium ducem Gallorum » Synnadis adlocuti, et Attalus cum eis profectus; sed castra » Gallorum intrare eum non placuit, ne animi ex disceptatione irrita- » rentur. » **Codex** : *domo excivitatiamque... cum eumenisab sardis... ibi romani cum et solovettium... synnades adlocutus et talus cum eis profectus sed...* Hujus loci non in partibus tantum, sed in universa sententia videtur erratum esse. Quum enim Livius, statim memorato legatorum in Asiam adventu, supra repetat, et res antea in Asia gestas narret, Grynæum, ac deinceps omnes, fefellit quousque progrederetur ea rerum præteritarum narratio; eamque credidit vere primo terminari, quum contra usque ad legatorum adventum extenderetur. Et illam præcipue totius mali originem fuisse opinor, quod offendit in voce *ibi*, eamque de loco dictam putavit. *Ibi* autem significat *eo tempore,* h. e. *is erat rerum status quum Romani...* Ego sic legendum censeo : « ...Ver primum eos domo exciverat, jamque » Synnada pervenerant; tum Eumenes ad Sardes undique exercitum » contraxerat. Ibi Romani cum Attalo veniunt, ducem Gallorum » Synnadis allocuturi. Attalus cum eis est profectus; sed castra » Gallorum intrare eum non placuit... » Vix monendus quisquam est, verbo *veniunt* significari *veniunt ad Eumenem*, sive ille Pergami fuit, sive ad Sardes cum exercitu suo; et inde profectos esse legatos Synnada in Phrygiam. Nec est quod magnopere miremur *Attalo* abiisse in *et solo*, quum ejusdem depravationis prior pars statim post iterum occurrat (*et talus* pro *Attalus*). Proinde hic Solovettius regulus eodem ablegandus videtur, quo jam abiere M. Junius captivus (XXI, LIX, 1) juvenisque Perolla (XXIII, VIII, 7).

CAP. XXXV, 7. — **Gryn.** : « Totus Macedonicus exercitus imperatori erat negligenter adfuturus comitiis ferendæ legis. » Sic codex, nisi quod, pro *erat,* habet *ita*. Monuit Madvigius repugnare verba *totus* et *negligenter adfuturus*, deinde milites adesse debere, non imperatori, cui nihil periculi esset, sed comitiis, h. e. comitiis interesse, denique verbum *erat* male ante *negligenter* retractum esse. Ipse scripsit : « Iratus Macedonicus exercitus imperatori erat; itaque » negligenter erat adfuturus comitiis.. »; quumque ea cum præcedenti sermone non arte cohærere viderentur, præterea suspicatus est initio fuisse *Ob hæc iratus*. Tantamne depravationem in brevi scriptura fuisse, ut eam quattuor locis mutari parum sit? Mihi illud notatione dignum videtur, quod nomen *imperatori* integrum

perscriptum est; nam in hoc codice, ac maxime in hac extrema codicis parte, per compendium plerumque scribi solet *imp* (id quod paulo supra monuimus, cap. XXXIX, 2, ubi vide). Quod nomen hic conflatum esse crediderim ex antiquiore illa scriptura *imp. erat ob id*, ac deinde *ita* scriptum esse pro *irat'* (*imperatori erat ob id iratus*). Quare legerim : « Totus Macedonicus exercitus imperatori erat ob id » iratus, et negligenter adfuturus comitiis... »

CAP. XXXVI, 8. — (Verba principum civitatis, Æmilii Pauli triumphum a militibus interpellari indignantium.) **Madv.** : « Ob- » noxios imperatores tradi licentiæ atque avaritiæ militari. Jam » nunc nimis sæpe per ambitionem peccari; quid, si domini milites » imperatoribus imponantur? » Sic et Weiss. omisso *jam*. **Codex** : *militari in uno nimis se per ambitionem.* Pro *in uno* quænam verba olim fuerint, incertum est, quid significaverint, perspicuum. Ibi enim sententia esse debuit contraria illi alteri, quam demonstrant verba contrarie relata *si domini milites imperatoribus imponantur.* Quid autem militibus dominis contrarium esse potest, nisi milites in officio manentes, aut etiam, si Livio majorem vim oppositionis placuisse putes, prorsus obnoxii? Propterea Madvigii lectionem, ut a vera sententia non alienam, ita inertem existimo; neque erat, quod ea præferretur Gronovianæ lectioni *Ultro nimis sæpe...*, in qua imperatori sua sponte peccanti aptius respondet imperator peccare coactus. Sed ne id quidem omnino placet, et, nisi verba ipsa, formam certe sententiæ illam potius fuisse opinor : « In » submissis sæpe per ambitionem peccari; quid, si domini...? » h. e. etiam obnoxiis militibus sæpe per ambitionem disciplinam remittit imperator, nedum præpotentibus non remissurus sit.

CAP. XXXVII, 2. — (Ex oratione Servilii pro triumpho Æmilii Pauli.) **Madv.** : « Eadem severitas imperii, quam nunc oderunt, » tum eos continuit. Itaque antiqua disciplina habiti quieverunt. » **Codex** : *aderunt ut eos continuit itaque antiqua... habita neque fecerunt*. Melius, qui retinuere *neque fecerunt*, posito ante lacunæ signo. Hoc enim argumento nihil aliud colligitur, ac si dicas : *severitas eos continuit; itaque eos continuit.* Saltem scribi debuerat *atque*, non *itaque*. Sed alio ducunt verba *ut* et *ita*, quæ responsura fuisse inter se videntur. Latere suspicor hujusmodi sententiam : ut eos continuit Pauli severitas, ita ea severitate habendos fuisse demonstrant hæc ipsa, quæ nunc faciunt. —— Infra, § 8, **Vulg.** : « Duas » mihi aliquis contiones parumper faciat, unam militum Macedo-

» nicorum; puram alteram, integrioris judicii et a favore et odio, » universo judicante populo Romano (**Madv.** : *universi populi* » *Romani*). » **Codex** : *universis iud. c. pr.* Et sensus vocis *puram* (h. e. non mixtam) et locus, quo posita est vox *alteram*, ostendunt ita distinguendum esse : « ..unam militum Macedonicorum puram, » alteram integrioris... » Deinde, quum et alibi in hoc codice animadverterim singula puncta singularum litterarum loco posita esse, legerim *universo judice populo Romano*.—Statim post, **Drak.**, **Madv.** : « Apud contionem togatam et urbanam prius reus aga» tur.» **Codex** : *prius rex*. Recte Weissenbornius, Mureto obsecutus, edidit *res*. Nec reus erat, ne per fictionem quidem, Paulus, nec recte dicitur *reum agere apud populum* (pro *ad populum*); aliud est reum facere apud populum. Librarius scripsit *rex* pro *res*, ut XLV, XIX, 7; item occurrit *milex* pro *miles* XLV, XLIII, 8. —— Infra, § 9 (ubi fingitur Galba militem admonere de Pauli severitate) **Vulg.** : « In statione severius et intentius institisti; vigiliæ acerbius » et diligentius circumitæ sunt. » **Codex** : *vigiliæ si acervius*. Mavult Madvigius *stetisti*; nam militem in statione stare, non instare. Sed ne sic quidem expeditur res : quænam enim est severitas militis in statione stantis? Legendum : « In statione severius » et intentius institit tibi; vigiliæ ei acerbius et diligentius circum» itæ sunt. » Vocis *tibi* posteriorem partem hausit similis insequens syllaba *vi* (*vigiliæ*); litteras enim *v* et *b* prope easdem fuisse docet hic ipse locus, ubi *acervius* pro *acerbius* scriptum videmus. De voce *ei* (pro *si*) non dubitandum videtur.—— Deinde **Codex, Gryn.** : « Operis plus quam antea fecisti, quum ipse imperator et exactor » circumiret. » **Weiss.** et **Madv.** : *imperator ut exactor*. Non sine causa Weiss. vocem *et* damnavit : neque enim circumibat Paulus simul imperator, simul exactor operis, sed circumibat imperator, ut opus ipse a militibus exigeret. Verum parum apta est vox *ut* : non erat similis tantum exactori Paulus, sed exactor ipse. Non *ut* reponendum fuit, sed *ei*, id est *ejus* (ejus operis exactor). —— Sequuntur hæc : « Eodem die et iter fecisti et in aciem ex itinere ductus es. Ne » victorem quidem te acquiescere passus est. » **Codex** : *ex itinere victorem*, mediis omissis. Suppleverat Grynæus *duxisti*; quod Gronovius quum alienum videret, nihil aliud quam sententiæ consulens, pro *duxisti* scripsit *ductus es*. Et oratio quidem sic cohæret; sed quæ potissimum vox a Livio hic scripta fuerit, et cur interciderit, conjici potest. Scripserat Livius *isti*. Nam quum in archetypo legeretur *itinere isti ne* (atque haud scio an etiam scriptum fuerit per compendium *itine' isti ne*), offendit ad has voces propter similitudinem librarius, duasque postremas aut aberrans omisit aut perperam geminatas ratus recidit. Quare legendum : « Eodem die » et iter fecisti et in aciem ex itinere isti. Ne victorem quidem... » —— Infra, § 13, ubi Madvigius edidit *hiscere prohibuisset* (**Codex** *id scire potuisse*), propius vero videtur *hiscere noluisset* aut *vetuisset*.

CAP. XXXVIII, 2. — (Ex eadem oratione.) **Codex, Vulg.** : « Quid etiam dicitis, milites? Aliquis est Romæ, qui triumphari de » Macedonibus nolit, et eum non eisdem manibus discerpitis, » quibus Macedonas vicistis? » Vocis *etiam* quum nullus appareret sensus, Gronovius eam expungi voluit, Muretus pro ea legi *enim*, id quod recepit Madvigius. Sed parum profecit. Nihil enim dicere videntur milites, neque ante aut post quicquam reperitur, quo pertinere possit verbum *dicitis*. Ut interrogatio cum sequenti sermone congruat, fingi oportet, pro *dicitis*, aliquod verbum huic ferme sententiæ aptum : « Quid statis? quid non irascimini? » Id autem verbum ex ipso codice, si pressius ejus vestigia sequimur, elici potest. Videtur enim *etiam dicitis* ortum esse ex *enambigitis*, ubi unius litteræ *b* depravatio notatione digna est; nam *g* in *c* abiisse nemo mirabitur. Notum est autem *enim* solitum esse scribi *eñ*. Itaque legendum : « Quid enim ambigitis, milites? » h. e. quid dubitatis? quid moræ est, quominus Galbam discerpatis? —— Infra, § 3, **Madv.** : « Erratis, milites, si triumphum imperatoris » tantum et non militum quoque et universi populi Romani esse » decus censetis. Non unius in hoc Pauli honos agitur. Multi etiam, » qui ab senatu non impetrarant triumphum, in monte Albano » triumpharunt. » Codex ignorat verba *honos agitur*, quæ Madvigius ipse supplevit, ex § 6 sumpta. Primum quidem attendere oportet, quam supervacua frigidaque sint verba *non unius in hoc Pauli honos agitur*, iterantia id ipsum, quod statim ante dictum erat, eoque molestiora, quod bis paulo infra (§ 6 et 12) eadem ferme recursura sunt. Sed maxime offendit insequens sententia *Multi etiam... triumpharunt*, quæ quid sibi vellet, neminem unquam assecutum esse opinor, etsi de ea taceri video. Hujus enim cum præcedente nullum omnino vinculum est, aut, si aliquod esse volueris, in insulsitatem recideris : nam, quum dicitur non unius in hoc Pauli honorem agi, multos etiam in monte Albano triumphasse, quid

aliud inde colligi potest, nisi in hoc eorum quoque imperatorum, qui sic triumpharunt, honorem agi? Lux aliunde petenda est. Huc pertinentes duo loci de Albano triumpho afferendi videntur; unus (X, XXXVII, 8), ubi L. Postumius, quum triumphus ei negatus esset, Patribus dicere ausus est : *eodem jure imperii, quo bella gessi,.. triumphabo*; alter (XXXIII, XXIII, 3) : *Q. Minucius, tentata tantum relatione, quum adversum omnem senatum videret, in monte Albano se triumphaturum et jure imperii consularis et multorum clarorum virorum exemplo dixit.* Cf. etiam XLII, XXI, 7. Ex his apparet, non modo in morem venisse, ut sine auctoritate publica sic triumpharetur, sed etiam id jus fuisse consularis imperii. Hoc illud est vocabulum (*ius*), cujus depravatio huic loco tenebras offudit. Cohærebit oratio, si reposuerimus : « Non unum jus in hoc » Pauli; multi, etiam qui ab senatu non impetrarant triumphum, » in monte Albano triumpharunt. » h. e. : Si triumphum Paulo negaveritis, alterum jus suum usurpare ei licebit, ut in monte Albano triumphet, quemadmodum multi jam fecere, etiam illi qui... Comma ante *etiam* ponendum est, quo significetur *non solum qui ab senatu triumphum impetraverant* : quibusdam enim duplex placuerat et in monte Albano et in Capitolio triumphus, ut Marcello (XXVI, XXI, 6). Ceterum scripturæ ibi nulla alia depravatio fuit, nisi quod duæ voces in unam coaluere (*unius* pro *ūn ius*) : namque terminationem *um* per compendium nonnunquam omissam esse, et notum est, et jam XXXII, XV, 3 advertimus; adde XXXV, XXXIV, 4. —— Infra, § 10, **Vulg.** : « Si infamia nulla esset, et » de gloria tantum ageretur, qui tandem triumphus non com- » munem hominis Romani gloriam habet? » Non puto cuiquam in mentem venire posse, ut *qui* accipiatur tanquam *qualis, cujusnam generis triumphus*, quasi orator triumphos in diversa genera divisurus sit; divisio hujusmodi nulla apparet. Restat igitur ut *qui* accipiatur tanquam *quomodo*. At non dici solet *quomodo non habet* pro *nonne habet*. Fefellit admodum familiare Livio dicendi genus. Legendum : « Si... de gloria tantum ageretur, quid » tandem? triumphus non communem gloriam nominis Romani » habet? » Cf. III, LXVIII, 3; V, LII, 13; VI, XL, 15. —— Infra, § 14, **Vulg.** : « Si quis vos interroget, milites,... quid moremini hic, et » non diversi domos quisque abeatis vestras, quid aliud respon- » deatis, quam vos triumphantes videri velle? Vos certe victores » conspici velle debebatis. » Postrema hæc sententia (*Vos certe... debebatis*) nondum intellecta esse videtur, etsi rectissime habet. Eam tolli Creverius voluit, ut insulsam et ingratam; tueri quidem conatus est Drakenborchius, sed ita, ut cæcutire se quoque ostenderet. Nec minus hærere Madvigium, inde apparet, quod eam ablegat ad initium insequentis capitis, ad quod quomodo pertineat, frustra quæras. Enarratione nulla opus est, sed tantum nuda interpretatione, quam obliquo quidem sermone, perspicuitatis causa, affero : *si quis milites interroget, quid aliud respondeant, quam se triumphantes videri velle? Etenim se certe, si non Æmilium, victores conspici velle debebant.* Illud omnes fefellit, quod *vos* accusativo casu, non nominativo, positum est; idque nulla offensione, quia, quum in superioribus vox prior *vos* accusativo casu usurpata sit, altera alteram trahit.

CAP. XXXIX, 1. — (Ex eadem oratione.) **Vulg.** : « De Perseo » capto, in urbem cum liberis abducto, non triumphabitur? » Non recte dicitur aliquis abductus in eam urbem, in qua ille ipse est, qui id dicit, sed *adductus*. Adde quod ex præcedenti sermone ne intellegitur quidem ullus locus, unde abductus sit Perseus; contra diserte definitur is, quo adductus. Ceterum vulgato obstat ipsa Livii consuetudo; cf. XLV, VII, 2. —— Infra, § 2 (de L. Anicio et Cn. Octavio, qui Æmilio Paulo prælati erant), **Vulg.** : « Currum ei » cessuri et præ pudore videntur insignia ipsi sua tradituri. » **Codex** : *currum i censuri*. Ad ea objectat Madvigius, et recte, ut videtur, Livianæ ætatis non fuisse *cedere rem alicui* (pro *concedere*); quare ipse scripsit *curru descensuri*, in aliud vitium relapsus : nam verbum *tradituri* eget pronomine *ei*; indicari necesse est, cui tradantur insignia. Legendum : «.. Curru ei cessuri et... » Nihil purius, quam *loco alicui cedere*. —— Infra, § 9, **Vulg.** : « Cui sortito » provinciam, cui proficiscenti præsagientibus animis victoriam » triumphumque destinavimus, ei victori triumphum negaturi? » Eam sententiam conclusione egere nemo non videt. Ceteri mancam eam reliquere; Madvigius, suppleto verbo, scripsit *negaturi sumus?* Emendatio adhibenda videtur et levior et quæ Servilii objurgationi vim aliquam additura sit, hoc modo : « Cur sortito provinciam, cur » proficiscenti... destinavimus, ei victori triumphum negaturi? » h. e. si negaturi eramus. Hæc dicendi forma non inconstantiæ tantum, sed etiam fraudis populum insimulat, eoque aptius præcedenti sententiæ respondet, ubi memoravit orator non petentem Paulum ab ipso populo ad consulatum compulsum esse, ut per eum gravi bello

res publica tandem defungeretur. —— Infra, § 10, sic editur : «.. et » quidem non tantum eum, sed deos etiam suo honore fraudaturi? Diis » quoque enim, non solum hominibus, debetur triumphus. Majores » vestri omnium magnarum rerum et principia exorsi ab diis sunt, » et finem eum statuerunt.» **Codex**: *debetur utrum majores.* Vocem *triumphus* latere sub *utrum* non verisimile est ; neque ea opus est, quoniam ex iis, quæ præcessere, aptissime intellegitur *honor*. Non est quod grave mendum ibi fuisse putemus, ubi vix una littera corrupta est. Legendum : « Diis quoque enim, non solum homi- » nibus, debetur. Verum majores vestri...» Hic enim est sententiarum ordo : non modo Paulum, sed etiam deos, offensuri estis, quum hic honor non minus diis, quam hominibus, debeatur. Verum longe alius mos fuit majorum vestrorum, qui...

Cap. XXXIX, 12. — (Ex eadem oratione.) Aggredior nunc locum difficilem et perplexum, qui doctos viros sæpe exercuit, nec magnopere, post multorum conatus, videtur profecisse. Auspice Grynæo, sic primum prodiit : « Omnes illas victimas, quas tradu- » cendas in triumpho vindicavit, alias alio cædente, mactate. Illas » quidem epulas senatus, quæ nec privato loco, nec publico profano, » sed in Capitolio eduntur (utrum hominum voluptatis causa an » deorum hominumque?) auctore Ser. Galba turbaturi estis ? » **Codex** : *traducendo in triumpho vindicavit alias alios dente mactati quidem illæ epulæ senatus quod nec... auctores erunt ulo galba..* In hunc modum emendavit Madvigius : « ..in triumpho locavit... » mactate. Quid? illas epulas... (utrum... an deorum honoris?) » auctore... » Omnia hæc languida, incerta, disjecta. Ubi argumentationem deprehendas ? ubi seriem juncturamque ? Deinde, etsi singula excutere vix refert in tanta universæ rei pravitate, quorsum spectat hic imperativus *mactate*, destitutus abruptusque ? Quam inscite illa, quæ ad religiones pertinent et gravissima sunt, sic cursim attinguntur, quasi accessio tantum sint, et id maxime præcavendum sit, ne senatus epulis suis fraudetur ? Quam inconsiderate illa deorum mentio, in quam totum orationis pondus incumbere debuit, in parenthesim relegatur, tanquam res levis, adventicia, et quæ obiter succurrat ! Omitto quod verbi *vindicavit* sensus parum constat ; pro quo, si voluit Grynæus *suas et proprias fecit*, saltem dicendum fuisse videtur *sibi vindicavit*. Ibi Madvigium Gronovii infelicem emendationem *locavit* recepisse miror : scilicet privatum damnum metuit Servilius, si forte eam impensam intra publicas

locationes vetet populus referri, et audientes admonet, ne in rem familiarem Pauli gravius consulant. Emendationem affero, sicut in tali re diffidenter, ita cum aliqua spe, fore ut ea minus obscura incertaque, quam vulgata lectio, videatur, simul codicis aliquanto observantior : « Omnes illas victimas, quas traducendo in trium- » phum dicavit, nefas alio cædente mactari. Quid deinde illæ epulæ » senatus ? quid nec privato loco, nec publico profano, sed in Ca- » pitolio eduntur ? utrum hominum voluptatis causa, an deorum » hominumque ? Ea, auctore Servio illo Galba, turbaturi estis ? » h. e. : Omnes illæ victimæ, eo ipso quod Romam ad triumphale sacrum traductæ (adduci jussæ) sunt a Paulo, nunc ab eo sunt dicatæ, neque ab alio homine mactari, salvis religionibus, possunt. Quid deinde dicam de illis epulis senatus ? Nonne ideo in Capitolio eduntur, quia non hominum tantum, sed deorum etiam causa eduntur ? Ea (id est sacrificium et epulas) turbaturi estis ? Turnebi est emendatio *dicavit* ; quæ, quum adhuc sola aliquam argumentationis speciem inani sententiæ præbuerit, cur tamdiu spreta jacuerit, exputare non possum : forsitan præoccupati animi fuerint locutione aliena *traduci in triumpho*, aut parum Latine dici crediderint aliquid traduci, nisi addito loco unde traducatur ; atqui ejus generis exempla multa sunt. De voce *cædente*, quæ correctio Madvigio incerta visa est, cf. XLV, vii, 1. Quod attinet ad *deorum hominumque*, quæ verba Creverio displicuere, non statim, id quod fecit Madvigius, arripiendam reor Creverii conjecturam *deorum honoris* ; immo periculum est, ne sententia per hæc corrumpatur. Nam hominum quoque potest fuisse aliqua voluptas, quum his epulis Capitolium deligerent locum. Dempto *hominumque*, quid superest, nisi deorum tantum causa, non hominum, eas in Capitolio edi ? At sententia eo spectare debet, non ut homines, sed ne dii prætereantur. Ceterum de hac locutione, vide quæ dixi XXI, x, 9 ; cf. etiam V, liv, 4 ; VII, xxvi, 8 ; X, xli, 10 ; XLV, xxxii, 9. Præterea vox *ea*, quam addidi (*hominumque ? Ea, auctore*), apparet quam facile intercidere potuerit inter litteras *e* et *a*. Denique de pronomine *illo*, duobus nominibus interposito, cf. VI, xl, 7 et 17 ; X, xxiv, 1 ; XLII, xlvii, 10 ; XLV, xxxvii, 3.

Cap. XXXIX, 15. — (Ex eadem oratione.) **Grynæus** : « Et tu, » centurio, miles, quid de imperatore Paulo senatus decrevit po- » tius, quam quid Ser. Galba fabuletur, audi : et hoc dicere me po- » tius quam illum audi. » **Codex** : *miles quibus ab imp. paulo*

donatus decrevit potius quam servius galba fabulentur audis et... (Jam inde a Gronovio repositum est *decrerit*; sed probabilius est *decreverit*, propter compendium *decrev'it.*) Postremam quidem partem hujus lectionis recte improbavit Madvigius; etsi miror ab eo damnari locutionem *dicere me audi* (pro *dicentem*), quæ, ne plura afferam, in una Ciceronis oratione de Signis decies occurrit, capitibus VIII, XXIII, XXIV, XXVII, XXXI, XXXIX, LX, XLV, LI. Sed in universa re ipse Grynæo longe infelicior fuit, dum sic scribit : « Et » tum, centurio milesque, quibus ab imperatore Paulo donatus es, » decreta potius, quam quid Ser. Galba fabularetur, audisti, et hodie » me potius quam illum audi. » Equidem milites ludibrio habet, qui iratos ob malignitatem imperatoris eos admonet de donis imperatoris. Deinde, præterquam quod verba *tum* et *hodie*, in quibus omnis vertitur oratio, utraque ficta sunt, prioris eorum nullus omnino sensus est, siquidem nihil præcessit, quod ad ullum tempus pertineret. Ego, licet hunc locum, adeo corruptus est, admodum nulla spes sit posse unquam emendatione certa corrigi, id tamen proponam, quod inter incerta minimum displicuit : « Et tu, cen» turio milesque, nisi, quid imperatori Paulo senatus decreverit, » potius quam quid Ser. Galba fabuletur, audis, at hic dicere me » potius quam illum audi. » —— Infra, § 16, ex codicis voce *ipsud* efficiendum fuit, non *id ipsum*, sed, ut voluit Gronovius, *ipsum id*. Cf. Ter. Ad. IV, IV, 17. —— Ibid., **Vulg.** : « Ego ter » et vicies cum hoste per provocationem pugnavi. » **Codex** : *per provocatio*. **Madv.** : *...cum hoste provocanti pugnavi*. Ita, si Madvigio credideris, Servilius ter et vicies provocatus est, ipse tam pugnax ne semel quidem provocavit. Et illa Madvigio mutandi causa fuit, quod recte dici posse negat per provocationem pugnare, « quasi provocatio, inquit, quoddam pugnæ genus sit. » Ergo occasio quoddam pugnæ genus putanda est, quoniam dicitur per occasionem pugnare. —— Infra, § 18, **Vulg.** : « Hoc quoque, quod » videtis, inquit, in equo dies noctesque persedendo habeo. » **Codex** : *inquid quam quo dies*. Postquam ex *mquo* factum est *in equo*, videndum quid fiat præcedenti voce *qua*. Sæpe autem vox *Quirites* in mss. scripta fuit *qui*, eoque ipso in codice *que* paulo infra (XLV, XLI, 1). Eam vocem hic eo magis reponendam puto, quod appellatione aliqua egere videtur sententia.

CAP. XL, 5. — **Vulg.** : « Alterum tantum pediti daturum fuisse » credunt, et pro rata aliis, si aut non refragati honori ejus

» fuissent, aut benigne, hac ipsa summa pronuntiata, acclamas» sent. Sed non Perseus tantum... » **Codex** : *aut non suffragi honori... summa nuntiata classe sed non*. Tria in hoc loco parum probabilia sunt : primum pro *suffragi* repositam esse, non aliam modo, sed plane contrariam vocem *refragati*; deinde pro verbo *nuntiata* scriptum esse, auctore Mureto, *pronuntiata*. Sollemne quidem verbum fuit *pronuntiare* de decretis imperatorum; sed eam ipsam ob causam a codice discessum nollem. Non enim verisimile est Paulum, qua prudentia fuisse fertur, aliquid pronuntiasse ea mente, ut, si milites acclamassent, id statim revocaret, alteramque pronuntiationem faceret; propius vero est, eum ab inconstantiæ reprehensione cavisse, vulgato ante pronuntiationem aliquo nuntio, per quem animos militum tentaret; quibus exploratis, tum demum pronuntiasse. Tertiam offensionem præbet verbum *acclamassent*, quod ex voce *classe* probabiliter erui posse nemo crediderit. Ceterum, quum vox *sed*, per quam incipit insequens periodus, ibi plane supervacua sit, colligi par est, id, quod quæritur, verbum latere sub *classesed* potius quam sub *classe*. Minus autem discedit *passi essent*, et aptius est; nam, postquam militibus parcius, quam speraverant, offerebatur, non exspectandi fuerunt læti clamores. Itaque legendum videtur : « ... si aut in suffragio honori » ejus favissent, aut benigne, hac ipsa summa nuntiata, passi » essent. Non Perseus tantum... » —— Infra, § 9, **Gryn.** : « Paucis post diebus... quum de suis rebus gestis more ceterorum » imperatorum disseruisset, memorabilis ejus oratio et digna prin» cipe Romano fuit. » Non orationem habet Paulus postquam disseruit, sed dum disserit. Quare, pro *disseruisset*, scripsit Madvigius *dissereret*. Neutrum autem agnoscit codex, sed *dedisset*. Verisimilius excidit aliquid. Forte « ..more ceterorum imperatorum ra» tiones dedisset.. »

CAP. XLI, 11. — (Ex oratione Pauli) **Gryn.** : « ..ab alterius » funere filii currum** ex Capitolio prope jam expirantem veni. » Lacuna manifesta a plerisque, auctore Ursino, sic expleta est : *curru in Capitolium vectus, ad alterum ex Capitolio*. Potius recipienda fuit Gronovii conjectura *currum escendi, ad alterum ex Capitolio*, ut omissionis appareret causa, id est, simili syllaba desinentes voces *currum* et *alterum*. Nimium arrisit Capitolii repetitio, speciosa magis quam necessaria; nam *currum escendere* satis per se indicat triumphum.

Cap. XLII, 6. — **Gryn.** : « Paucos post dies, quam hæc acta, » legati... venerunt. » Sensit Madvigius mancum esse *quam hæc acta*, addiditque *erant*. **Codex** *hæc tanta legati*. Pro *tanta* legendum *stacta*, id est, *sunt acta*.

Cap. XLIV, 1. — **Vulg.** : « Consules eo anno, agro tantum » Ligurum populato, quum hostes exercitus nunquam eduxissent, » nulla re memorabili gesta, Romam ad magistratus subrogandos » redierunt. » **Codex** : *ligurum optato cum*. Male Livius, si ita scripsit. Nam, si attendimus quo loco posita sit vox *tantum*, intellegi necesse est, consules nihil aliud populasse, nisi agrum. Quid igitur aliud popularent? Non id quidem voluere editores, sed consules nihil in Liguribus fecisse, nisi populationem. Tunc dici debebat *nihil aliud quam populato Ligurum agro*. Ceterum ne sic quidem res bene haberet. Postquam enim initio dictum est, consules nihil aliud quam populasse agrum, quid opus fuit deinde addi *nulla re memorabili gesta*? Omitto quod *populato* ab *optato* multum differt. Legendum est : « ... agro tantum Ligurum oblato... » h. e. quum nihil consulibus, nisi ager, obviam fuisset. Nulla jam sequetur redundantia; non enim significatur per hæc consules nihil fecisse; præponitur tantum causa, cur nihil facturi sint. Vide quæ dixi ad V, xiii, 12 : *forte oblati populatores Capenatis agri*. — Infra, § 18, **Vulg.** : « Mire lætum ea benignitate in se populi Ro» mani regem fuisse ferunt. » **Codex** : *amire letum et ea*. Legendum : « Ac mire lætum ex ea benignitate.. »

FINIS.



